

BIBLIOTHECA

RHETORUM.

BIBLIOTHECAM RHETORUM PRÆCEPTA ET EXEMPLA COMPLECTENTEM,

QUÆ AD ORATORIAM ET POETICAM FACULTATEM PERTINENT;

(Auctore P. G. F. Le Jay, è Societate Jesu.)

In multis emendavit, et ad justiorem normam revocavit,

J. A. Amar, Unus è Præpositis Bibliothecæ Mazarineæ, etc. etc.

PARS POSTERIOR.

ARS POETICA.

PARISIIS,

Apud Aug. DELALAIN, DD. Lallemant et Barbou Successorem, viâ Mathurinensium, n° 5.

1809.

PRÆFATIO.

PARS hæc Bibliothecæ nostræ Posterior Poesim, et quæ ad eam pertinent, sedulò pertractat: Præceptis illa continetur et Exemplis, quibus in uno quoque Poematum genere erudiri studiosæ Juventutis solertia, et in eandem instituendam Magistrorum ipsorum labor possit adjuvari.

Postulat Primùm instituti à nobis ordinis ratio, ut, quemadmodùm Priori Bibliothecæ nostræ Volumini, quod Orationes præsertìm complectitur, Rhetoricam præfiximus, quæ Oratoriæ Artis Præceptiones et exempla traderet, ita Posterius hoc Volumen, quod Carminibus continetur totum, præcedat Poetica, quæ Poeticæ facultatis Leges suis pariter Exemplis instructas præscribat. Quam verò secuti sumus in Rhetoricâ scribendâ rationem, hanc in exarandâ Poeticâ tenebimus; ut, quæ Poësim generatim et universè spectant, suntque Poëmatis omnibus communia, prætermittamus ultrò; quia hæc ipsa apud Aristotelem, Horatium, et recentiores benè multos fusiùs agitata nihil desiderandum ulteriùs relinquunt. Quod autem speciatìm ac definitè de uno quoque Poemate disputatur, id, quoniam officii nostri rationem potissimùm attinet, breviter præstare conabimur.

Igitur hoc proponimus nobis in Poeticâ, ut claram exploratamque uniuscujusque Poematis notionem atque intelligentiam afferamus primùm; deindè scrutemur partes singulas, quibus illa Poemata componuntur. Tùm exactas ab Aristotele cæterisque rerum istarum præstantissimis Scriptoribus subjiciamus regulas, et iisdem

utendi feliciter viam ac modum ostendamus. Denique veteres Poëtas tam Græcos, quàm Latinos, qui in vario scribendi genere excelluerunt, suo quemque ordine designabimus. Eorumdem patriam, ætatem, scripta, et nostrum de singulis, ex eruditorum Criticorum mente, judicium proferemus.

Diversa Poematum genera, quæ Poeseos nomine censentur, ad hæc solent revocari: Heroïcum scilicet, Tragicum, Pastorale, Didacticum, Elegiacum, Satiricum, Lyricum, Epigraphicum: de quibus ità seorsìm dicemus, ut in Capita totidem distributa tractentur.

Præcipuum in hoc posteriore Bibliothecæ nostræ Volumine locum occupat Heroïcorum Carminum Liber, quibus commissam olim institutioni nostræ Juventutem ad Poesim informabamus. Non sunt illa quidem operæ longioris Poemata; at neque prolixiora esse eadem decuit, quæ scribendi modum rationemque traderent. Nam monere id obiter velim; nullâ re stimulari magis juniorum Poetarum industriam, quàm si in argumento brevi versentur, et novam singulos in dies Carminis materiam elaborandam habeant; quibus si continuam rerum earumdem seriem tractandam offeras, nauseam procul dubio atque fastidium paris. Equidem scio, undè crescit Discipulorum satietas, indè Magistrorum laborem imminui; neque tam operosum esse quiddam, dictare Poema longius, quod habeas ad manum, quam recentis quotidiè opusculi fieri artificem. Verùm an tanto labor ille computandus in loco, qui natam ad Litteras indolem promoveat, aut esse quidquam potest homini officiorum suorum amanti, quàm rei benè gestæ conscientia jucundius?

Quæ porrò proponimus exercendæ juventuti Carmina suum tam sacris, quàm profanis Litteris argumentum debent. Neque enim vel in istis Exercitationibus oblatum identidem ingenerandæ teneris animis Religionis locum par est præterire. Est in Testamento veteri pariter ac novo, est cùm in Græcâ tùm in Romanâ historiâ, est in Fabulâ nativæ Poeseos fons inexhaustus, qui scienter ac sedulò rimantibus deesse nunquàm possit. Adjecimus non pauca meræ fictionis opuscula, quæ cudendis proprio marte Poematibus sic Poetam erudiant, ut aliena terere vestigia ultrò abstineat.

Non in solis versibus heroïcis probatur Poetarum solertia. Reliqua quamvis inferioris cujusdam ordinis meritò censeantur, non tamen decet quemquam Poeticæ artis studiosum in iis aut intelligendis, aut tractandis hospitem ac peregrinum videri. Cui malo ut iremus obviàm, non habuimus satis de quocumque Carminum genere in Poëticâ nostrâ disserere, nisi specimen eorumdem aliquod hîc ederemus.

Nec prætermitti à nobis Fabula aut Epigramma debuere. Fabulam non commendat majestas quædam ac vis enthea, quæ Poetas facit. Unam sibi amœnitatem nativumque leporem vindicat, et cæteris Poeseos virtutibus ultrò caret. Quare adornata ritè Fabula non est tam opus sublimis ac vividæ mentis, quàm benignioris ingenii, cui præest Natura dux, cujus sensus ac vocem ità temperat ac regit, ut sentire Naturam ipsam credas ac loqui. Pauci fuere ab Augusti temporibus Latini Fabularum Scriptores, qui leporem Fabulæ ingenuum attigerint. Cujus ego si quam videri possim adumbrasse imaginem, nihil me collocatæ in scribendis Fabulis operæ pœniteat.

Non tam ardui res laboris est Epigramma. Nam cùm brevis illius Poematis vis ac gratia in fortuito ingenii partu sit posita, vel ex conflictu aut ambiguitate verborum exsurgat, nemo est tam adversis Musis natus, qui obviam operis ejusmodi laudem ambire confidenter non possit. Tamen momenti levis haberi non debet isthæc exercitatio, quæ juvenilem acuit industriam, ingenii igniculos excutit, incendit animos, et meditandi patientes facit, adeò fallit laborem injecta spes gloriolæ, quam excogitatum aut dictum acutè quidpiam auctori suo pepererit. Unus in eâ re vitandus diligenter scopulus, ne sentiendi et acutè dicendi prurigo mala præscriptos Epigrammati fines excedat, quos ultrà ne ferendum quidem acumen est. Hoc monendi tantò cautiùs statìm à pueris quicumque humaniores Litteras capessunt, quòd apud plerosque nemo ingeniosus audiat, nisi qui leves istas argutias in omni scribendi genere consectetur.

POETICA,
VARIA
POEMATUM GENERA
COMPLECTENS,

Et Brevem Poetarum cùm Græcorum tùm Latinorum, qui in uno quoque Carminum genere excelluerunt,

NOTITIAM.

CAPUT PRIMUM.

De Carmine Epico seu de Epopœiâ.

ARTICULUS PRIMUS.

De Epopœiæ Nomine ac Definitione.

Epopœia vox Græca est, eaque composita ex vocabulo duplici, quorum alterum est ἔπος, *verbum*, alterum ποιέω, *facio* seu *fingo*. Per Epopœiam, Poesim illam intelligimus, quæ Carmine Hexametro Heroum res gestas tractat: etsi ἔπος sumptum universè, *verbum* sive locutionem significat, speciatim tamen poeticæ locutioni tribuitur, et ob excellentiorem quemdam modum fit eorum proprium, qui cæteros inter Poetas præclara Heroum facta Hexametro Carmine narranda suscipiunt: quos ob eam rem

Tullius Epicos vocat, *Libro de optimo genere Oratorum*.

Hac semel nominis Epopœiæ interpretatione receptâ, in promptu est ad ipsam Epopœiæ definitionem devenire. Est enim Epopœia Poesis, quæ Carmine Hexametro illustres Personarum illustrium actiones narrat. Quod utrumque his versibus complexus est Horatius, *in Arte suâ Poeticâ*.

> Res gestæ Regumque Ducumque et tristia bella,
> Quo scribi possent numero, monstravit Homerus.

Hæc definitio Materiam et Formam Epopœiæ continet et explicat. Materiam quidem; est enim illustris actio Personæ illustris. Formam verò, quæ narratio est Hexametro Carmine exornata. De Materiâ primùm, de Formâ deindè disseremus.

ARTICULUS II.

De Materiâ Epopœiæ.

Est igitur Epopœiæ materia, actio quædam in quâ tractandâ Epopœia versatur. At cujusmodi actio illa sit, et quas habere virtutes debeat, operæ pretium est diligenter perscrutari.

Actio una. Ac primùm quidem actio illa Una sit oportet. Nam etsi in Epico Poemate multiplices variæque narrantur actiones, non illæ tamen sic pertinent ad Poema tanquam materia ipsius propria, ut abesse ab eo non possint; aut, si quam habere videantur cum Poemate ipso necessitudinem, propter quam prætermitti non debeant, hanc non habent à se ipsis, sed ab actione quadam primariâ cui referuntur, quam et Unam Poema respicit, et in qua pertractandâ unâ præsertim occupatur. Verùm hæc videri fortè poterunt

obscuriora, nisi exemplorum oppositione illustrentur.

Alterum è suis Poematis Iliadem, alterum Odyssæam Homerus cùm inscripsit, non fuit hoc Poetæ propositum, ut vel omnia, quæ per longam decennii obsidionem gesta sunt apud Ilium, narraret, vel integram Ulyssis vitam poneret ob oculos; sed unam simplicemque in utroque actionem spectavit. In Iliade scilicet, Trojanæ urbis excidium; in Odyssæâ reditum Ulyssis in pâtriam, receptamque ab eo, Procis interfectis, familiam ac domum. Cætera quæ totis viginti quatuor operis gemini Libris Homerus refert, hæc non attingit, nisi ut actiones secundarias, quæ primariæ utriusque Poematis actioni serviunt, et sine quibus, neque Trojanæ urbis excidium, neque felix Ulyssis reditus in patriam narrari commodè potuissent.

Ita secutus Homerum Virgilius, unam in Æneide suâ referendam sumpsit actionem; nimirùm adventum Æneæ in Italiam, et novum ab eo fundatum in istis regionibus Imperium. Longas verò Trojani Principis peregrinationes, varios periculorum casus, confecta feliciter cum Turno bella Latinus Poeta non exequitur, nisi quòd pertineant ad actionem primariam, et ad pacificum in Italiâ regnum Æneæ vindicandum conducant.

Ut autem Epopœiæ una esse actio debet, ità unus tantùm Heros eligendus est in Epici Carminis argumentum. Huic verò quotquot adjunguntur milites ac socii, nec rerum gloriâ pares, multò minùs superiores repræsententur: imò illustriora quæque facta tribuantur illi semper, non alteri. Quare culpandus videbitur Torquatus Tassus, qui, si quid est in Hiero-

solymitanâ obsidione arduum, si quid magnum et illustre, id Reginaldo, id Tancredo, id Raymundo vindicat; Godefrido verò, Heroi suo, tribuit ferè nihil. Quin etiam absente Reginaldo Godefridus de solvendâ obsidione deliberat, eodem redeunte instaurantur omnia, animus militibus, victoria Imperatori redit, urbs ipsa oppugnatur. Quo quid tam ab Homerico quàm à Virgiliano Poemate magis alienum? Peccavit etiam Statius in suâ Achilleide, qui non actionem unam aliquam Achillis, sed vitam Herois totam persecutus est. Itaque actionem unam et Heroem unum Epopœia requirit; quod ipsum præscripsisse Horatius in *Arte* visus est:

Denique sit quodvis simplex duntaxat et *Unum*.

Actio tota. Deindè Actio Epopœiæ tota sit oportet atque integra; ità ut de Heroe suo, quod Poeta se dicturum pollicetur, id expediat totum. Sic Homerus eversionem Trojæ in Iliade, in Odyssæâ Ulyssis reditum et rerum ipsius recuperationem tam solerter describit, ut propositum in utroque Poemate consilium exsequatur. Sic Virgilius Æneam suum per varios casus deducit in Latium, nec eundem dimittit, donec confectis feliciter bellis, terrâ illâ potiatur.

Hoc etiam sensu Actio Epopœiæ tota dicitur, quod partes habeat. Partes autem illæ, sunt Actiones secundariæ, quas cum primariâ sic uniri necesse est, uti mox dicemus, ut ex omnibus unum quid ac totum resultet.

Actio verisimilis. Tertiò. Id verò in Actione Epopœiæ longè gravissimum, ut verisimilitudini diligenter consulatur. Qua in re Poeta differt ab Historico. Is enim res, uti gestæ sunt, exponit; ille quales fieri potuerint. Quòd si quid alienum à verosi-

mihi fingatur nonnunquam audaciùs, id in Episodiis, seu secundariis Actionibus, non in Actione primariâ liceat. Quare non excusandus Homerus videretur, cùm equos exhibet in Iliade qui de futuris rebus cum Achille colloquuntur; cùm refert in Odyssæâ Ulyssis comites ex hominibus in porcos, et è porcis in humanum rursùs habitum transiisse: neque veniâ dignus Virgilius foret, cùm finxit ex arbore enatum fuisse ramum aureum, è cadavere Polydori effloruisse virgulta, mutatas Æneæ naves in Nymphas marinas, nisi ambo ejusmodi rerum portenta, quæ fidem omnem superant, episodicis ac secundariis Actionibus conclusissent.

Quartò. Magnitudo Actionis Epopœiæ æstimari potest, vel ex numero versuum, quos Epicum Poema complectitur, vel ex diuturnitate temporis, quo actionem ipsam peragi oporteat. Quod spectat ad primum, octo vel novem Tragœdias numero versuum Carmen Epicum æquare potest. Odyssæa continet versus trecentos suprà duodecim millia; Ilias quatuordecim millia et nonaginta tres versus, Æneis octingentos quinquaginta suprà novem millia. Quod temporis magnitudinem attinet, censet Aristoteles petendam illam esse ex commodo et naturali transitu fortunæ unius in alteram. Quæ licet nullum Epopœiæ certum tempus definiant, tamen sicut unius diei spatium Tragœdiæ, ita Epico Poemati annus circiter unus permittitur. Iliadi concessit Homerus annum; Æneidem anno minùs uno Virgilius complevit: Odyssææ verò Actio vix duorum mensium spatium requirit.

Actionis Magnitudo.

ARTICULUS III.

De Episodiis seu de secundariis Actionibus.

Episodium, si mera Græcæ vocis, ἐπεισόδιον, spectetur etymologia, dicitur id omne, quod extra causam est et insertum. At quoniam latiùs patet ejusmodi definitio, habenda est expressa magis Episodii notio, pro ut ad Epopoeiam pertinet. Episodium igitur propriè Actiones illæ sunt, quæ præter argumentum narrantur quidem, sed argumenti ornandi gratiâ afferuntur; atque ità cum ipso connectuntur argumento, ut Fabulæ partes fiant, sed non necessariæ; quia abesse ab eâ possunt. Rem planam magis in exemplis faciamus.

Adventus Æneæ ab urbe Ilio in Italiam et fundatum in istis regionibus ab eo Imperium, en Actio Æneidos primaria eademque necessaria, et una quam Virgilius enarrandam suscipit. At historia Trojani excidii, quæ profectionem Æneæ antecessit, et quam Poeta fusiùs exponit toto secundo ac tertio Poematis Libro, est Actio episodica, quæ prætermitti quidem potuerat, sed quæ plurimùm confert ad Fabulæ totius ornatum; et pars ejusdem fit felici nexu, quem solus Virgilius adhibet. Fingit enim Æneam actum tempestate appulisse in Africam, ubi à Didone exceptus humaniter, et rogatus etiam atque etiam rerum suarum seriem, temperare sibi non potest, quin benignissimæ hospitis curiositati abundè satisfaciat. Ejusdem Æneæ descensus ad Inferos visendi Anchisæ patris gratiâ, à quo posteritatis suæ fatum edocetur, aliud est egregium inprimis Episodium, quandoquidem enucleandæ toti Romanæ Historiæ et Au-

gusti Cæsaris, cui placere præsertim Poeta ambiebat, celebrandis laudibus dat locum. Verùm quantumvis operi toti conciliet decus ac leporem istud Poetæ figmentum, tamen actionis episodicæ rationem non excedit, quia abesse potuit à Poemate, nec eidem inseritur, nisi ad ornatum et gratiam. Neque verò aut alienum propterea censendum est, aut additum temerè atque ex improviso, cujus semina multò ante Virgilius jecerat; cùm digressus ad Helenum Æneas ab eo didicisset, non fore se Italiæ compotem, nisi patrem apud Inferos consilii in partem sui adhibuisset.

In his porrò fingendis Episodiis secutus Homerum Virgilius est. Ille enim in Odyssæâ cùm Ulyssem expugnato Ilio constituisset primùm in Ortygiâ Insulâ apud Calypsonem, ac deindè per pericula longè maxima deduxisset in Insulam Corcyram ad Alcinoum Phæacum Regem, hîc demùm inter epulas Regi et incolis labores ac casus suos narrantem inducit.

Hoc verò in Episodiis diligenter cavendum est, ne vel accersita longiùs vel putidiùs affectata videantur. Etsi enim Episodium non est pars actionis primariæ necessaria, non alienum tamen à Fabula, sed cognatum ac connexum esse cum ea debet. Quare Lucanus peccare visus est, qui suam in Pharsaliam disputationes inseruit de rebus reconditis, exquisitis illis quidem, sed ab argumento suo prorsùs alienis.

ARTICULUS IV.

De formâ Epopœiæ.

Forma Epopœiæ nihil et aliud, quam ornatus Actionis heroïcæ. Ornatus autem ille quatuor voluti partibus constat; Fabulâ, Moribus, Sen-

tentiâ, et Dictione. Hoc articulo de Fabulâ disseremus.

Fabula. Fabula definitur Actionis heroïcæ seu rerum narrandarum compositio. Actio ad Heroem pertinet, Fabula ad Poetam. Ulysses Procis interemptis uxorem, filium et bona recipit; en Actionem Herois. Homerus, id quod ab Ulysse gestum est, certo ordine comprehensum ac distinctum componit variisque Episodiis exornat; en Fabulam, quam animam Poematis Aristoteles appellat. Fabula igitur est Actio ipsa culta et ornata. Quod ut ritè Poeta præstet; *Actionem*, inquit Aristoteles, *probè habeat animo comprehensam et spoliatam Episodiis : addat deindè nomina, quæ personarum moribus atque officiis congruant : tum Episodiis ac cæteris ornamentis, totoque apparatu poetica actionem cohonestet.*

Constitutâ semel Fabulâ, sedulò spectare ejus partes oportet, quæ duæ omninò sunt, et ab Aristotele vocantur δέσις καὶ λύσις, hoc est Connexio seu nexus, et Solutio. Connexio extenditur ab initio usque ad eum Fabulæ locum, in quo commutatio fit à felicitate ad infelicitatem, vel contrà ab infelicitate ad felicitatem : solutio à principio mutationis usque ad finem. Pars utraque medio quodam conjungitur, quod ab eodem Aristotele μετάβασις, hoc est transitus dicitur.

Locus Episodiis ac digressionibus rarò est in solutione, ne Lectoris animus properantis ad finem languescat : verùm adhibentur semper in Connexione ubi rerum perturbatio est. Adeoque Connexio partim complectitur ea quæ rei propria sunt, hoc est primariam Actionem, partim quæ non propria, sed foris petita, qualia sunt Episodia, ad amplificationem et ornatum adjecta.

Ad Connexionem seu nexum pertinent Propositio operis, et Invocatio. Poeta Epicus in Propositione unius tantùm Actionis meminit quam suscipit tractandam. Homerus sic Odyssæam inchoat:

Dic mihi Musa virum captæ post mœnia Trojæ,
Qui mores hominum multorum vidit et urbes.

HORAT. *in Arte*.

Virgilius sic Æneidem aggreditur.

Arma virumque cano, etc.

In propositione abstinendum ab omni ingenii, doctrinæque jactantia, ab omni tumore et exquisitiore ornatu. Hoc monet Horatius in *Arte*.

Nec sic incipies, ut Scriptor Cyclicus olim:
Fortúnam Priami cantabó et nobile bellum.

Propositioni subjicitur à Latinis Invocatio. Græci ab invocatione ordiuntur. Homerus in Iliade:

Μῆνιν ἄειδε θεά.

IN ODYSSEA,

Ἄνδρα μοι ἔννεπε Μοῦσα.

Invocantur inprimis Jupiter, Apollo, Musæ. Poetæ verò, qui non bella, sed rerum naturam aut agriculturam tractant, Bacchum, Cererem invocant.

Altera pars Fabulæ Solutio est, quæ fit vel per Peripeteiam, vel per Agnitionem, vel per utramque simul. Atque hinc oritur gemina Fabulæ constitutio. Alia simplex, quæ solam Peripeteiam adjunctam habet; alia composita, quæ cum Peripeteia et Agnitione conjuncta est.

Peripeteia ex Aristotele est earum rerum, quæ

aguntur, mutatio, seu transitus in contrarium, sive mutatio hæc secunda sit, sive adversa. Utriusque exemplum in diversis personis Homeri Odyssæa suppeditat. Nam Penelope et allii, qui ab Ulysse stabant, felices fiunt; Proci verò, qui rerum domini dilapidabant Ulyssis domum, infelices.

Peripeteiâ nihil, Aristotele teste, jucundius, maximè si subita et magna sit. Magnam voco, ex quâ rerum, fortunarumque mutatio consequitur: subitam, quæ inopinata et præter expectationem accidit. Hæc verò fieri debet in personis, quarum priores sunt in Fabulâ partes, et tum censetur omnium optima, quando ex vi rerum antecedentium nascitur.

Porrò sic pertinet ad Epopœiam Peripeteia, ut abesse ab eâ sine vitio non possit. Reperitur illa in Odyssæâ, uti jam observavimus egregiè consignata tam in Ulyssis familiâ, quàm in Procis ejusdem familiæ perniciem machinantibus. Habet etiam locum in Iliade, ubi Achillis vel absentia, vel præsentia Græcorum pariter ac Trojanorum conditionem, aut deteriorem aut meliorem efficit. Sectatus est illam inprimis Virgilius in suâ Æneide. Nam Æneas ab excidio Trojano per varios terrâ marique periculorum casus Italiam tandem assequitur, gravissimisque bellis feliciter confectis, tranquillâ pace potitur.

Ex illa fortunarum commutatione oritur πάθος, hoc est vehementes illi motus animi, quos Aristoteles in Epopœiâ præsertim requirit.

Alia solvendæ Fabulæ ratio per Agnitionem. Est autem Agnitio unius pluriumve personarum, post longi temporis ignorantiam cognitio, ex quâ amicitia vel inimicitia oritur inter eos, qui felices sunt, aut infelices. Agnitio porrò duplex

est : alia composita, qualis est Euripidis Iphigenia in Tauris : ubi Orestes et Iphigenia se mutuò agnoscunt. Alia simplex, qualis in Odyssæâ deprehenditur, ubi Ulysses à nutrice agnoscitur, quam ipse non agnoscit, quia priùs hanc nôrat.

Verùm etsi Peripeteia sine Agnitione esse potest, Agnitio est aliqua sine Peripeteiâ ; non tamen Agnitio sola Epopœiæ convenit, nisi adjunctam habeat Peripeteiam ; est enim hæc, quæ maximam ad ciendos motus animi vim habet. Quemadmodùm autem Peripeteia laudabilior censetur illa, quæ vi causarum antecedentium provenit ; ita Agnitio illa melior, quæ immutationi rerum advenit, et ab ipsâ Fabulæ dispositione producitur, quàm quæ à Fabulæ constitutione disjuncta est, et pro arbitrio Poetæ adtexitur.

Jam multiplex recensetur ab Aristotele Agnitionis modus, quorum hi præcipui sunt. Primus est è signis tam congenitis, quàm adventitiis. Congenita sunt, quæ cum homine nascuntur ; ita Seleuci posteri Justino teste, Lib. 15. anchoram in femore veluti notam generis naturalem habebant. Adventitia sunt, quæ corpori advenerunt. Talis est cicatrix, ex quâ in Odyssæâ Ulysses à nutrice Eurycleâ agnoscitur, dùm jussu Penelopes Ulyssis pedes lavat.

Alter modus est signorum eorum quæ à Poetâ non inveniuntur in rebus ipsis, sed ab eo ex Verisimili finguntur. Exemplum habes in Iphigeniâ Euripidis, ubi Orestes Iphigeniam agnoscit ex epistolâ, Iphigenia Orestem ex textâ veste.

Tertius modus est, cum ex iis, quæ vel videntur vel audiuntur, aliquid revocatur in memoriam. Prioris generis exemplum subjicit Æneas in primo Virgilii Libro, qui ex picturâ

eorum, quæ erant ad Trojam gesta, recordatur omnium quibus ipse interfuerat, et sperare meliùs de rebus suis incipit.

Non benè Epopœia solvitur per Machinam, quæ ab Aristotele meritò improbatur. Est autem Machina actio seu modus actionis quidam extra primariam Actionem positus, qui viribus humanis major, nodo alioquin difficili solvendo serviat. Rationem subjicit Aristoteles, cur vitiosa sit ejusmodi solutio; neque enim, inquit, Actio primaria Deo, sed Heroi ipsi tribui debet. Potest et hæc alia afferri ratio: quia videtur illud in Poetâ reprehendendum, si nodum eum nexuerit, quem solvere ipse non valeat, aut si tantam rerum perturbationem induxerit, ut aliter expedire se nequeat, nisi vel recurrat ad Deum, vel aliquem è periculo per Machinam subducat. Quare arguitur Euripides in Medæâ, quod illa, occisis, quos à Jasone susceperat, liberis, volucri se curru per aëra sustollat et præsenti discrimine eâ se ratione expediat. Nec Homero ipsi parcitur, apud quem Junonis hortatu Minerva de cœlo descendit, ut suadeat Græcis, qui de expugnando Ilio desperabant, ne re infectâ, reditum moliantur. Hoc enim meliùs per aliquem è Græcis proceribus perfectum esset.

In Episodiis tamen Machinæ tolerantur. Ita Homerus passim et Virgilius Deos et Deas inducunt Græcis et Trojanis auxiliantes. Licitus est etiam Machinarum usus cum res vel præteritæ vel ignotæ vel futuræ nunciantur.

ARTICULUS V.

De reliquis ad Epopœiæ formam pertinentibus.

Est hoc Epopœiæ inter cætera providendum, ut convenientibus et idoneis moribus Heroas suos informet. Per *Mores*, intelliguntur habitus vel ingeniti nobiscum, vel consuetudine parti, quibus animus tam in bonum quàm in malum inclinatur. Mores.

Igitur id studeat diligenter Epicus Poëta, ut in exhibendis Moribus accuratus sit ac sedulus. De Moribus ita præscribit Aristoteles. Primò, ut boni sint, non eâ bonitate quam virtus efficit. Hîc enim designatur genus aliquod bonitatis, quæ tam vitiosis, quàm laudatis moribus conveniat. Igitur per bonos Mores intellige quod Horatius *in Arte* præcipit, *Notandi sunt tibi mores*, ut nimirùm mores rectè designentur, sive quis virtute præditus, sive nequiter pravus in scenam inducatur. Ergò præstabunt Mores illâ bonitate quam exigit Aristoteles, si, qui loquitur, feliciter exprimat sensus animi, sive in bonum sive in malum propendeant. Secundò, ut congruant illi Mores, hoc est, ut personis, ætati, sexui accommodentur. Tertiò, ut sint similes. Præceptum istud personas notas spectat, quarum adumbrandi sunt mores, quales fuisse vel in Historiâ vel in Fabulâ referuntur. *Mores enim similes*, inquit Aristoteles, *sunt illi, qui respondent famæ, quam habent in opinione hominum illi, qui describuntur.*

Ubi observabis magnum esse discrimen inter Mores convenientes et Mores similes. Fuerit vir Princeps notatus, dùm viveret, avaritiæ sor-

dibus : si talis repræsentetur, qualis exstitit, erunt quidem mores similes, sed non convenientes; si contrà liberalis, magnificus exhibeatur, convenient quidem mores ejusmodi, sed erunt minimè similes. Hanc porrò similitudinem exprimendam esse monet Horatius *in Arte*, ex veterum Scriptorum monumentis.

Scriptor, honoratum si fortè reponis Achillem,
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer;
Jura neget sibi nata, nihil non arroget armis.
Sit Medæa ferox invictaque, flebilis Ino;
Perfidus Ixion, Io vaga, tristis Orestes.

Quartò, ut mores sui semper sint similes et constent sibi. Hùc respexit Horatius, cùm præcepit;

Servetur ad imum,
Qualis ab incœpto processerit, et sibi constet.

Sententia. Sententias etiam spargat identidem in suo Poëmate Epicus Poeta. Est autem Sententia pronunciatum aliquod universè et generatim expressum, de vitâ ritè informandâ. Differt verò à Sententiâ Acutè-dictum, quod totum penè in conflictu verborum positum sit. Caveat verò diligenter Poeta, ne sit in Sententiis frequentior, Acutè-dicta pejus angue declinet.

Dictio. Restat ut dicamus aliquid de Dictione, quod est ultimum, quo Epopœiæ Forma continetur. Epopœia Carmen Hexametrum exigit. Nam cum in humanis rebus nihil sit gravius Heroum gestis, nullum etiam in metris adeò grave atque amplum est, quàm Hexametrum; quod ab Heroum gestis, in quibus celebrandis occupari solet, Heroicum vocatur. Quàm suffragetur huic opinioni Horatius in *Arte*, jam monuimus.

Res gestæ Regumque Ducumque et fortia bella,
Quo scribi possent numero, monstravit Homerus.

Imò de Hexametro ita pronunciat Aristotelès: Hexametri imitatio non alia est quàm Epopoeiea. Nec qualecumque oportet esse Carmen Hexametrum quod Epopœiæ inserviat; sed requiritur ut constet Sententiis illustribus, verbis grandibus et ornatis, et compositione decorâ numerosâque, quibus omnibus magnificentior oratio reddatur.

De Fine Epopœiæ supersedemus pluribus disputare. Hoc unum dicere sufficiat, eum esse propositum Epopœiæ finem, ut, dùm in præclaris Heroum facinoribus enarrandis versatur, Principum virorum animos mentesque erudiat atque informet ad publicam rem, cùm belli, tùm pacis tempore sapienter ac sanctè administrandam.

ARTICULUS VI.

De Græcis Epopœiæ Scriptoribus.

HOMERUS.

Quo tempore vixerit Homerus, aut quâ sit ortus ex patriâ, incertum est. Æquior videtur eorum sententia, qui centesimo circiter post Trojanum bellum anno scripsisse eum ferunt. Quidam in Ioniâ natum fuisse indè conjiciunt, quòd Ionicam suis in Poëmatis Dialectum inprimis sectatus sit. Totam retrò antiquitatem et Scriptores cujuscumque ordinis maximè conspicuos habuit laudum suarum præcones, qui mirabilem in eo ingenii vim, perfectam rerum omnium notitiam, dicendi ubertatem, gravitatem sententiarum, carminis majestatem et elegantiam extulerunt. Ac licet sæculis hisce posterioribus obtrectatores gloriæ suæ nonnullos expertus sit, qui mores illius temporis, quo scribebat Homerus, metientes è suis, reprehendendum præstantis-

simum Vatem censuere; tamen hoc ipsi citra injuriam nemo invideat, quin Poetarum omnium facilè Princeps exstiterit: à quo, si quid in aliis pulchrum nitet, si quid eximium percellit, totum id tanquam ab inexhausto fonte sic mutuati sunt, ut eundem nullus æquasse, nedùm superasse videatur.

Scripsit Poemata duo, ut prætermittam quædam alia poematiuncula, quæ ipsi tribuuntur, Alterum quod *Ilias*, Alterum quod *Odyssea* inscribitur. Utriusque argumentum breviter subjicimus.

Argumentum Iliadis.

Achilles, vir inter cæteros Græciæ Principes eximiâ fortitudine spectatissimus, iniquiùs dolens raptam sibi fuisse Briseidem ab Imperatore Agamemnone, qui restituendam esse eandem non sine gravi contemptu negaverat, bello et armis abstinuit. Eo absente, res Græcorum retrò fluere, Trojanorum convalescere cœperunt. Interim Achilles nullis amicorum precibus inflecti, nullis ipsius Agamemnonis promissis ac præmiis emolliri potuit. Patroclus, qui erat illi amicissimus, congressus cum Hectore hostium Duce ab eodem interficitur. Amici nece graviter Achilles commotus redit cum Agamemnone in gratiam; et Patrocli ulciscendi cupidus resumptis armis hostes adoritur; quos variis in prælis cùm afflixisset, Hectorem hostium Ducem, quo nitebatur Trojanorum salus, occidit.

Criticorum bona pars arguendum in eo Homerum putant, quòd, sublato semel Hectore, completa penitùs, et absoluta poematis actio videatur; adeòque supervacanei sint extremi duo libri; XXIII. scilicet, in quo solennes Pa-

trocli exsequiæ cum magno ludorum apparatu describuntur: et XXIV. qui Trojanorum luctus in morte Hectoris, redemptum ejusdem corpus et pompam funebrem continet. Imò, neque carere animadversione existimant carmen illud, quod, natum cùm sit celebrandæ Græcorum gloriæ, solutis Hectori ipsorum hosti honoribus terminatur. Quâ in re felix magis Virgilius videri possit: cujus Æneis nece Turni, qui solus Æneæ consiliis afferebat moram, concluditur.

Argumentum Odysseæ.

Ulysses Rex Ithacæ, post navatam excidio Trojano feliciter operam, cùm reditum in patriam moliretur, per decem annos multis actus tempestatibus ac periculis, classem et socios miserè perdidit. Interim non tantùm illi res domesticæ decoquebantur à Procis, qui Penelopes ejus conjugis nuptias ambiebant; sed etiam Telemachus ejus filius eorumdem insidiis petebatur. Is verò reparatâ Classe tandem Ithacæ redditus, Procos per insidias adoritur et interficit, remque domesticam et familiam incolumem recipit.

Neque censurâ nullâ dignum istud alterum Homeri Carmen quibusdam visum est; qui priores Odysseæ Libros quatuor, in quibus Telemachi peregrinationes narrantur, tanquam alienum, et cum actione primariâ minimè conjunctum Episodium carpunt: adeò ut duplicem etiam in eo Poemate actionem agnoscant.

Cæterùm hoc propositum Homero fuit, ut, cùm demonstrasset in Iliade maxima quæque Imperia Principum vitiis ac dissensionibus deperire: sic in Odysseâ ostenderet, quibus vir-

tutibus privatæ familiæ conserventur. Quod alterum tàm feliciter est consecutus, ut Odyssea, Horatio teste, perfectissimum domesticarum virtutum exemplar haberi debeat.

Quid virtus et quid sapientia possit,
Utile proposuit nobis exemplar Ulysses.

Admiratur etiam in Odysseâ totâ Claudianus expressam ad vivum pudicitiæ conjugalis imaginem, quæ ad fovendam domesticæ pacis tranquillitatem tantùm pertinet.

An ne aliud toto miratur carminis actu
Mæonii mens alta senis? Quod stagna Charybdis
Armârit, quod Scylla canes, quod pocula Circe;
Antiphatæ vitiata fames; surdoque carina
Remige, Sirenum cantus transvecta tenaces.
Lumine fraudatus Cyclops, contempta Calypso;
Penelopæ decus, atque uni cui tanta paratur
Scena pudicitiæ: terræ pelagique labores,
Et totidem sævi bellis, quot fluctibus, anni
Conjugii docuêre fidem.

In Carmine ad Serenam.

Quod spectat ad ipsam Carminis rationem; etsi sublimis ac vividus magis Homerus in Iliade videri potest, tamen, quia plus varietatis et amœnitatis Odyssea præsefert, hanc nihilòminùs faciendam esse multi arbitrantur.

HESIODUS.

Natum Hesiodum ferunt Cumis in Æolide, aut etiam Ascræ in Bœotiâ, ut Plutarcho placet. Is Homeri dicitur fuisse coætaneus: qui etsi ad Epici Poetæ gloriam non assurgit, tamen in mediocri genere cum Laude versatus est. Scripsit Libros omninò Tres. Primus vocatur ἔργα, id est *Opera*, in quo de Promethei culpâ, de

Minervâ omnium operum inventrice, de statu hominis primogenito, de Sæculo Aureo, Argenteo, Æreo, Ferreo tractat. Sequitur vitiorum objurgatio : mox vivendi leges, amicorum et patrisfamilias officia persequitur. Alter Deorum generationem et Fabularum historiam continet. Tertius agit de scuto Herculis, cujus auctorem ipsum fuisse nonnulli inficiantur. Carminis elegantiam et puritatem sermonis egregiè sectatus est, et eâ re non vulgare sibi nomen fecit.

ARTICULUS VII.

De Latinis Epopœiæ Scriptoribus.

VIRGILIUS.

Publius Virgilius Maro Latini Carminis citra controversiam Princeps, natus est Andibus in agro Mantuano, anno ab urbe conditâ sexcentesimo octogesimo quarto, Augusti imperantis vigesimo quinto. Tàm priorum quàm posteriorum ætatum communibus cumulatus præconiis censores passus est paucos, qui nec in eo admirari dubitant perspicuitatem cum carminis dignitate, puritatem cum æquabili quodam styli tenore, eloquentiam cum admirabili rerum, affectuum, Episodiorum varietate conjunctam. Is si caruit eâ laude, quam unus Homerus sibi vindicat, ut Carminis Epici inventor tritum nullius vestigiis iter incesserit, saltem sic exemplar suum imitari visus est, ut æquis passibus sequeretur.

Scripsit Æneidem, (ut de Bucolicis ac Georgicis in præsentiâ taceam,) cujus argumentum hoc fuit.

Argumentum Æneidos.

Æneas, incensâ à Græcis Trojâ, cum tristibus tanti populi reliquiis, suisque Diis Penatibus mare conscendit, novum superis monentibus in Italiâ, ex quâ Majores sui ortum ducerent, regnum fundaturus. Post varios terrâ marique labores superatos, ad oram Italicam appulsus humaniter à Latino, qui tùm imperabat Latio, excipitur, et in generum adsciscitur. Verùm id ægrè ferente Turno Rutulorum Rege, qui nuptias illas jam pridem ambiebat, grave inter Rivales bellum exarsit. Pugnatum est sæpè et atrociter. Tandem interfecto Turno, victor Æneas Laviniâ et Regno potitur. Quæ omnia duodecim Libris Virgilius complexus est.

LUCANUS.

Marcus Annæus Lucanus Cordubæ natus est in Hispaniâ, anno Christi 37 aut 39; mortuus est decimo Neronis anno. Edidit Poema, quod *Pharsaliam* inscripsit, variis Criticorum observationibus agitatum. Alii enim supra modum illud extollunt, alii plus æquo deprimunt vicissim, alii mediam inter utrosque viam ingressi reprehendendum in quibusdam, in multis non illaudandum esse arbitrantur.

Duo Poetam efficiunt, si Petronio creditur, liber ac vehemens spiritus, quo fit, ut Carmen animi furentis opus esse videatur: et Deorum ministeria, fabulosumque Sententiarum tormentum. Primum quidem Lucano non defuit, cujus in carminibus tam rapida vis, tam expers servitutis libertas exultat, ut fræno coerceri magis, quàm urgeri stimulis indigeat. Alterum verò sic

ab eodem abfuit, ut Historicum potiùs quàm Poetam agnoscas. Adeò poeticarum fictionum parcus invenitur, et in narrandis rebus, quo ferè pacto gestæ sunt, timidus ac religiosus est.

Hoc etiam in Lucano vitium arguitur, quòd, dùm Oratoris magnificentiam affectat, elatus nimiùm ac tumidus est; dùm Philosophus, Astronomus, Theologus vult videri, disputationes inserit de rebus reconditis, exquisitis illis quidem, sed ab argumento suo alienis. Denique dùm ingenii famam ambit, argutiores Sententias usurpat, et rerum verborumque acumina curiosiùs consectatur.

Cæterùm nemo, quantumvis Aristarchus, negaverit, quin Lucani Pharsalia laudabilia plurima, et plura tollenda relinquendis complectatur; in quâ splendor ingenii, Sententiarum gravitas, styli majestas ac pompa dominantur. Quam Lucano gloriam cùm facilè permittam, non tamen auctor fuerim, ut junioribus Candidatis et ad eximiam Poeseos formam adspirantibus tanquàm exemplar imitabile proponatur.

STATIUS.

Papinius Statius nàtus Neapoli vixit sub Domitiano, cui propter facilitatem et scribendi copiam inprimis acceptus fuit. Is fautores et asseclas habuit ætatis mediæ scriptores, quibus Virgilio tantùm non æquiparandus visus est. At longè aliter, et æquiùs de Statio senserunt Critici recentiores, qui eundem arguunt, quòd tumidus nimiùm et inflatus nubes plerumque captet et aera, undè graviore lapsu mox decidit; et serpat humi, procellæ tutus ac timidus: cujus in carminibus si qua sublimitas atque magnificentia possit

videri, hæc non tàm in rebus quàm in verbis posita sit.

Trium Poematum Statius auctor est. *Thebaida* primum inscripsit duodecim Libris contentum. Alterum *Achilleis* dicitur, opus duorum Librorum, quod morte præventus perficere non potuit. Tertium diversa Poemata complectitur, et *Sylvarum* nomen præfert.

In Thebaide non magis Poeta censetur, quàm Lucanus in Pharsaliâ. Nam etsi Poeticis fictionibus abundat, quia tamen in narrandis rebus historicum potiùs, quàm poeticum servat ordinem, ad Poematis Epici gloriam non adsurgit.

Hac præterea Thebais animadversione digna est, quòd Episodia vitiosa plerumque ac superflua sint; quod in Heroum moribus non habeatur ratio verisimilitudinis, neque tàm genuini Heroes, quam confecta ad arbitrium Poetæ quædam Heroum portenta exhibeantur.

Quod spectat Achilleida, hæc non magis Epicum poema, quam Thebais dicenda est; quæ non actionem Herois unam, sed actiones Herois unius omnes, seu veras seu fabulosas persequitur: quod, quàm ab Epici Poematis legibus sit alienum, Homerus pariter ac Virgilius docuere, qui non Heroem unum suis in Poematis, sed actionem Herois unam celebrandam suscepere.

Majori sunt in pretio Sylvæ Statii, quàm aut Thebais ejusdem aut Achilleis. Cùm enim nullæ præscriptæ sint Poematis ejusmodi regulæ, plus libertatis nactus, et indulsit genio feliciùs, et ad naturæ similitudinem propiùs accessit.

SILIUS.

Silius Italicus, quem Hispanum fuisse ex urbe Hispaniæ Italicâ, quidam affirmant, Romanus

per majores suos fuit, quamvis generis initium ab Hispanis duceret. Vixit Vespasiani Neronisque temporibus, sub quibus ter Consulatum gessit. Is primùm forum secutus, Ciceronem in agendis causis sibi imitandum proposuit. Annis senescentibus totum se poetico otio tradidit, et Virgilii, cujus prædium in agro Neapolitano suum fecerat, cujus et tumulum adibat frequenter magnâ cum religione, imitatorem se professus est. Scripsit de bello Punico Libros septemdecim majore curâ quàm ingenio, inquit Plinius, *L.* 3. *Epist.* 6. quod minimè nactus erat ad Poesim. In his Historicum se magis quàm Poetam præstitit, qui res à Romanis contra Hannibalem gestas, ut erant apud Livium ac Polybium exaratæ, narraverit. Nullis aut veterum aut recentiorum laudibus commendatus invenitur, si Martialem excipias, qui amico gratificatus egregiam multis in locis de Silio tam Oratore, quàm Poetâ mentionem fecit. *L.* 4. *Ep.* 14. 6. *Ep.* 64. 8. *Ep.* 66. 9. *Ep.* 51. 88.

VALERIUS.

Valerius Flaccus Setiæ natus in urbe Campaniæ sub Vespasiano ejusque Liberis vixit. Hunc Quintilianus *L.* 10. *c.* 1. amissum dolet ante tempus, cui suum de Argonauticâ expeditione Poema limare ac perpolire non licuisset. Valerius inter mediocres Poetas vulgò nuncupatur, qui nec assurgere didicerit, ut par erat, nec styli modum atque æquabilitatem servare. Is Apollodorum Rhodium secutus, non tam felix auctoris sui imitator, quàm probabilis proprii operis artifex, cum suo se permisit genio, visus est. Cæterùm non continuit se intra justos ac-

tionis unius limites, quod Epici Carminis ratio postulat, sed multò plures amplexus, in iis nihilò seciùs, quàm in primariâ actione tractandâ elaboravit.

CLAUDIANUS.

CL. Claudianus natus est Alexandriæ in Ægypto, ut Suidas testatur, et ipse Claudianus confirmat in suo ad Gennadium Proconsulem Epigrammate, quem sic compellat,

Graiorum populis et nostro cognite Nilo.

Undè falsi revincuntur illi, qui Florentinum fuisse scripserunt. Vixit Theodosii ejusque filiorum Arcadii et Honorii temporibus, à quibus statuam meruit in foro Romano cum hac inscriptione, TRIBUNUS NOTARIUS : INTER CÆTERAS INGENTES ARTES PRÆGLORIOSISSIMUS POETARUM. Paulò post Arcadium mortuus est.

Is à fortunatis Augusti temporibus Poetarum citra controversiam omnium princeps extitit. Hinc non lepidè minùs quàm verè à Critico non inerudito, veterum novissimus, et recentiorum Poetarum primus appellatur.

Egregiam nactus ad Poesim indolem Claudianus, eandem studio atque eruditione locupletavit. Stylus ejus sonorus, elegans, floridus, numerosus. Hoc peccasse videtur uno, quòd eosdem semper numeros dùm usurpat, satietatem quandam pariat atque fastidium.

Non felix omninò visus est tàm in argumentorum delectu, quàm in eorumdem tractatione. Nam cùm primo animi impetu materiam pulchrè apparet, et animosus feratur, mox tamen nervi hominem deficiunt, nec principiis postrema satis respondent.

Quidam existimant Claudianum fuisse Christianum, laudantque ejus ad Christum Carmen, quod sic incipit :

Christe, potens rerum, redeuntis conditor ævi ;
Vox summi sensusque Dei, quem fudit ab altâ
Mente pater, etc.

Et aliud

Proles vera Dei, cunctisque antiquior annis ;
Nunc genitus, qui semper eras, etc.

Sed refelluntur à D. Augustino et ab Orosio, qui alienum et quidem pertinaciter à Christi nomine Claudianum fuisse scripserunt. Undè versus illi de Christo, qui Claudiani operibus vulgò inseruntur, ab iis expungendi sunt, tanquam spurii ; aut alteri Claudiano Mamerco tribuendi, qui Viennensis ex Galliâ, et optimus ipse Poeta exstitit, mirisque à Sidonio Apollinari laudibus cumulatus est.

CAPUT II.

De Tragœdiâ.

ARTICULUS PRIMUS.

De nomine atque Origine Tragœdiæ.

De Nomine atque Origine Tragœdiæ varii varia senserunt. Alii Tragœdiam dictam putant à τράγος, quæ vox Hircum, et ᾠδὴ, quæ cantum significat ; seu quod Tragœdia priscis temporibus fieret in honorem Bacchi, cui vinearum hostis Hircus immolabatur ; seu, verisimiliter magis, quod Tragœdiarum scriptoribus de ingenii gloriâ

decertantibus victoriæ præmium Hircus obtinageret. Favent huic interpretationi Horatius in Epistolâ ad Pisones, cum dixit.

Carmine qui Tragico vilem certavit ob Hircum.

Et Tibullus, *Lib.* 2. *Eleg.* 1.

Agricola et minio suffusus, Bacche, recenti,
Primus inexpertâ duxit ab arte choros.
Huic datus à pleno memorabile munus ovili
Dux HIRCUS pecoris; duxerat Hircus oves.

Alii Tragœdiæ nomen deducunt à voce τρὺξ, quæ fæcem sonat; quia scenici actores antè Personarum ac Larvarum usum, fæcibus perlinebant ora, ne agnoscerentur: quæ si valeret etymologia, τραγῳδία diceretur, quasi τρυγῳδία.

Quam sententiam qui defendunt, laudant Horatium in eâdem ad Pisones Epistolâ.

Ignotum Tragicæ genus invenisse Camœnæ
Dicitur, et plaustris vexisse Poemata Thespis,
Quæ canerent agerentque peruncti fæcibus ora.

Alii vocem illam τρὺξ novum vinum interpretantur dicuntque Tragœdiam sic fuisse appellatam, quia uter musto plenus cantoribus Tragœdiarum solennis merces proponebatur.

Has inter sententias inprimis placet, quæ prima est; ut nativa magis et Tragœdiæ nomini magis consentanea.

Rudiora, uti rerum cæterarum, ita et Tragœdiæ fuerunt initia. Hæc enim primùm solo constabat Choro, quem subitis et natis ex tempore canticis actores agebant. Postmodùm Thespis Atheniensis unum Histrionem addidit, ut Chorus interim tantisper requiesceret. Hinc novam formam adepta, Tragœdia eam vicissim Thespidi conciliavit gloriam, ut Tragœdiæ inventor dice-

retur. Nam, ut omittam multa Scriptorum Græcorum testimonia, hoc planè confirmat Horatius, qui ex veterum sententiâ de Thespide ita loquitur.

> Ignotum Tragicæ genus invenisse Camœnæ
> Dicitur et plaustris vexisse Poemata Thespis.
>
> IN ARTE.

Post Thespidem natus Æschylus egentem adhuc et incultam Tragœdiam multis locupletavit ornamentis. Soli Histrioni, qui partes agebat in Scenâ, alterum adjunxit. Cædes removit à spectatorum oculis, et per nuncios referendas curavit: Pulpita reperit, undè actores è sublimi conspicerentur meliùs, et faciliùs audirentur: Personas etiam et habitum Heroibus convenientem instituit. Novi illius incrementi, quod per Æschylum cepit Tragœdia, meminit laudatus jam à nobis Horatius. *Ibid.*

> Post hunc Personæ pallæque repertor honestæ
> Æschylus, et modicis instravit pulpita tignis;
> Et docuit magnumque loqui nitique Cothurno.

Suum denique à Sophocle atque Euripide decus, suam absolutionem habuit Tragœdia. Nam auxerunt illi actorum numerum, et suas singulis partes assignarunt; et quod, tàm ad sententiarum gravitatem et sublimitatem dictionis, quàm ad ciendos affectus attinebat, sic perfecerunt ambo, ut summum dignitatis apicem jam tum accepisse Tragœdia videri possit.

ARTICULUS II.

De naturâ et definitione Tragœdiæ.

Tragœdia definitur ab Aristotele (*Poeticæ c.* 6.) *Imitatio actionis gravis ac seriæ, integræ, magnitudinem habentis, quæ sermone*

ad voluptatem composito, non per narrationem, sed per misericordiam ac metum purgat animum, ac levat ab hujusmodi perturbationibus.

Dicitur primò *imitatio actionis*, quia Tragœdia tota in agendo posita est, in quo differt ab Epopœiâ, quæ res non agendas, sed narrandas tantùm suscipit.

Secundò, *gravis ac seriæ*, quod discrepat à Comœdia, quæ nihil nisi ludicrum ac jocosum imitatur.

Tertiò, *integræ*, quæ nimirùm constet suis partibus, Principio nimirùm, Medio, et Fine.

Quartò additur, *magnitudinem habentis*, quia esse potest integra, nec tamen habere justam magnitudinem; quæ nec tam latè patere debet quam Epopœia, nec sic, ut fabula simplex, restringi.

Quintò, *quæ sermone ad voluptatem compositio, etc.* Quia Tragœdia non solo metro, sed cantu nonnunquam perficitur.

Sextò, *non per narrationem, sed, etc.* Hîc rursùm Tragœdia ab Epopœiâ distinguitur; nam res illa non narrat, sed coràm exhibet.

Denique, *per misericordiam ac metum animum purgat ac levat ab ejusmodi perturbationibus.* Designatum hîc habes Tragœdiæ finem, quæ res atroces exhibendas suscipit, ut pravis animorum motibus medeatur.

Igitur laudata definitio subjicit Tragœdiæ Materiam, quæ Actio gravis ac seria; Formam, scilicet Actionis imitationem: Finem denique, qui optimam morum institutionem respicit. De singulis breviter disseramus.

ARTICULUS III.

De Materiâ Tragœdiæ sive de Actione quam Tragœdia sibi imitandam proponit.

Operæ pretium est investigare diligentiùs cujus naturæ Actionem illam esse oporteat, quæ Tragœdiæ Materiam sufficit, et quis delectus habendus sit personarum, quæ in Scenam proferuntur.

Trahitur argumentum Tragicum, Aristotele teste, (*Lib. Poet. c.* 6.) ex calamitatibus atrocibus, quæ Regibus atque Heroibus accidêre; et optimas ille Tragœdias censet, in quibus personæ nec prorsùs probæ, nec planè improbæ inducuntur. Nam cùm Tragœdia misericordiam ac metum ciere debeat, si improbus decidat in calamitatem, nec miserebimur admodùm, nec terrebimur. *Quis enim*, inquit Cicero, *parricidæ aut proditoris supplicio commovetur?* Sed neque penitùs probas oportet esse personas, quæ infelices fiunt; quia viri boni infelicitas indignationem movet magis in eos, qui sunt calamitatis artifices, quàm suscitet eorum commiserationem, qui adversa patiuntur. Quamobrem inducendi sunt ii, qui medii sint inter planè probos prorsùsque improbos, neque tam scelere suo, quàm errore humano in calamitatem inciderint.

Quòd si, qui patitur, is plus commiserationis in se moveat, quàm indignationis in auctores mali; aut si magnum crimen dùm plectitur, momentum habere possit ad emendandam in nobis aliquam ejuscemodi pravitatem; nihil vetat, quominùs homines tàm planè probi, quàm planè

improbi próducantur in scenam, et miseri repræsententur.

Id porrò tantò licitum magis censebitur, si aut vir optimus, dùm vexatur ab homine nequissimo, periculum sic evadat, ut in eodem, qui machinatus erat illud, involvatur; aut si pereat ille quidem nihil tale meritus, is verò, qui exitium attulerit, non sit tam nequiter malus, ut in vexando plus imbecillitatis, quàm sceleris præseferat. Tunc enim miseranda magis videri possit boni viri calamitas, quàm cruciantis sævitia detestanda.

Plurimam autem vim habent ad excitandos affectus ea, quæ vel inter amicos vel inter cognatos sanguine atrociter geruntur. Nam si hostis hostem occiderit, aut si quis afficiatur injuriâ ab eo, qui cùm nullo vel amicitiæ vel affinitatis vinculo conjunctus sit, ista parùm commovere solent. At cùm nascitur affectuum contrarietas inter eos, quos cognationis vel amicitiæ jura devinciunt, vel cùm naturæ lex officii legibus, aut violentis cupiditatum motibus cedere cogitur, hæc perturbationes animorum excitant, quas cum delectatione quâdam auditor persentiscit. Neque enim temperare poterit, quin sortem illius doleat vehementer, quem vexatum ab eo viderit, à quo sperare præsidium debuisset; imò qui injuriam plerumque ac pœnam non inferat, nisi reluctans, et alienâ, quam incuset ipse, necessitate compulsus.

Magnum ergo decus et ornamentum actio Tragica mutuatur ab amoris vel sanguinis vinculo, quo calamitosus homo et illiùs calamitatis artifex constringuntur. Verùm in cruentis ejusmodi facinoribus, quæ propinquos inter eveniunt, videndum est, nùm, qui molitur alteri perni-

ciem, eundem norit, an ignoret; num perficiat cædem, an ab eâdem abstineat. Hinc enim quadruplex oritur Tragœdiarum argumentum, quibus varios perfectionis gradus Aristoteles attribuit.

Primum; cum notus est ille, cui cædem alter meditatur, et reverà cædem infert. Ità Medæa liberos, Clytæmnestra Agamemnonem, Orestes matrem interficit. Et hoc infimum reputat Aristoteles Tragœdiæ argumentum.

Alterum paulò magis assurgit, cùm quis ignotum interficit, et, agnito errore, interfectum à se aut amicum, aut propinquum dolet. Ita Oedipus occisam matrem, Alcmæon mactatum Eriphylum agnoscit.

Tertium censetur ab Aristotele perfectissimum Tragœdiæ genus, si quis paratus vel amicum, vel fratrem, vel sororem interficere, ab iisdem feliciter agnitis cædem abstineat. Ita Orestes ab Iphigeniâ sorore, Dianæ jam jam immolandus, agnoscitur, et periculo solutus cum eâdem fugam capessit.

Quartum reprobat penitùs Aristoteles; et eorum est, qui homini noto moliuntur exitium, et ab eodem perficiendo temperant. Quod tamen sic est intelligendum, ut illa mutatio voluntatis nullam causam aliam agnoscat. Nam si quis alteri meditatus cædem coerceatur ab altero superioris cujusdam ordinis ac potestatis; vel si inopinus inciderit casus, per quem aut cogatur mutare consilium, aut ipse veniat in eorum manus, quos perdere cogitabat; nullum dubium est, quin argumentum ejusmodi non probabile modò, sed etiam laude dignum videri possit.

Unum superest de Actione Tragœdiæ statuendum, an illius exitus tristis semper ac luctuosus

esse debeat, nec licitum sit Tragœdiam ex atroci calamitate in gaudium inopinatum prorumpere.

Qui lætiorem exitum è Tragœdiâ proscribendum existimet, is plerasque veterum Poetarum atque Euripidis præsertim Tragœdias damnet necesse est. Quare visum est Aristoteli satis, si luctuosa sit Tragœdiæ facies et anxia, et in ancipiti illustrium personarum fortunâ versetur; neque requirit, ut Theatrum cæde ac sanguine semper cruentetur. Id tamen ità permittit Poetarum arbitrio, ut à præscriptis Tragœdiæ regulis deflectere se fateatur populi in gratiam, qui naturâ suâ inconstans ac varius, ad lætitiam ultrò convertitur. Hoc enim existimat Tragœdiam inter et Comœdiam discrimen interesse, ut hæc læto semper, illà tristi exitu terminentur.

Verùm fecerit morum illius temporis atrocitas, ut cruentâ scenâ delectarentur, nullumque aliud Tragœdiæ à Comœdiâ discrimen agnoscerent, nisi quòd illa funestissimum semper exitum exhiberet; nos quorum mores abhorrent à sanguine, nihil alienum à Tragœdiâ censebimus, quod mutatam in melius calamitosam sortem repræsentet; et contenti proximis illustrium personarum periculis nihil ultrà ad constituendum Tragicæ actionis argumentum requiremus.

ARTICULUS IV.

De formâ Tragœdiæ, seu de Actionis imitatione.

Hoc sibi Tragœdia vindicat tanquam suum, ut imitetur actiones, et, quod exactis retrò sæculis gestum fuerit, id exsuscitet denuò et oculis, quasi etiamnum gereretur, coram re-

præsentet. Nam cùm in eo Epopœia cum Tragœdiâ conveniat, ut Heroum actiones imitetur, hoc ambæ differunt, quod Epopœia narrando, Tragœdia agendo finem assequantur.

Imitatio autem illa, quatenùs ad Tragœdiam pertinet, nihil est aliud quàm fictio seu Fabula. Ubi per Fabulam intellige non mixtum quid tàm ex fictis quàm ex veris rebus, sed constitutionem ipsam ac connexionem rerum, quæ tanquam causæ ad informandam unam actionem concurrunt. Cum enim nulla sit actio Tragica quæ suis partibus non constet ad ipsam Actionem pertinentibus, hæc constitutio partium, quæ aliæ ex aliis prodeunt et aptis inter se vinculis ac nexibus ità connectuntur, ut unâ positâ sequatur altera, donec deveniatur tandem ad actionem ultimam, Fabula ab Aristotele vocatur.

Sic Ajax apud Sophoclem, antequam sibi ipse manus inferat, quam imitandam actionem Poeta suscipit, indignè fert sibi negata fuisse Achillis arma: deindè irarum impotens insaniâ corripitur; mox in pecudes furit, quas pro Ulysse mactare se credit; denique rationi redditus probrum non sustinet, et suo se gladio transverberat. In hac partium sive actionum compositione, quæ ad unam Ajacis necem omnes terminantur, expressam habes imitationem Tragicam, quam Fabulæ nomine nuncupamus.

At quoniam mores et animi sensa Actionis ipsius principia sunt, à quibus dirigitur illa, et propriâ veluti notâ signatur (nam mores Actionem informant, eandem explicant animi sensa, et quibus orta sit de causis, aperiunt:) hinc in Tragœdiâ locum habent quasi partes totidem, Fabula, Mores, Sententia, quibus ac-

cedit quarta pars, Dictio, per quam efferuntur palàm animi sensus, moresque Actioni congruentes exprimuntur.

Restant aliæ partes duæ, quæ non tàm ad Poetam pertinent, quia sine illis esse Tragœdia potest, quàm ad ipsum Tragœdiæ spectaculum, Musica scilicet et Scenicus Apparatus; quanquam et Musicâ veteres Poetæ uterentur ad Actionis imitationem.

Sex igitur Tragœdia partes complectitur: Fabulam, Mores, Sententiam, Dictionem, Musicam, Scenæ Apparatum. Quas inter cùm primas sine controversiâ Fabula teneat, ut ipse sentit Aristoteles: in eâ parte pertractandâ paulùm immorabimur, reliquis, quæ ad Mores, ad Sententiam atque Dictionem pertinent ultrò prætermissis; quia de iisdem jam abundè dictum à nobis est, cum de Epopœiâ ageremus.

ARTICULUS V.

De Fabulâ.

Fabula est compositio quædam et apta rerum omnium dispositio, quæ ad unam eandemque actionem tendunt, quam Tragœdia imitandam suscipit.

Quæ porrò Fabulam constituunt ac construunt alia non pendent ab arte, sive ab arbitrio Poetæ, ut sint, quia sunt historiarum aut fabularum monumentis consignata; alia ab ipso Poetâ, vel præter, vel etiam contra historiæ aut fabularum fidem excogitantur. Quâ in re videndum est antè omnia quid Tragœdiarum Scriptoribus liceat.

Cùm Tragœdia tota posita est, ut diximus, in imitatione actionis, quæ integra sit et perfecta; cujus partes omnes, ex quibus compo-

nitur, tam necessariis nexibus ac vinculis cohæreant, ut, aliquâ mutatâ, vel sublatâ, totius operis structura corruat; tum certè non est Poetæ proprium res dicere quo evenerint modo, sed quâ ratione contingere aut potuerint, aut debuerint. Nam si tam severis unius veritatis legibus Poeta teneretur, neque suam dare operi Tragico magnitudinem, quod Principium, Medium ac Finem habere debet; neque rerum incidentium causas, quæ plerumque Principum in negotiis obscuræ sunt, posset explicare. Quæ tamen omnia cùm præstare Poetam oporteat, necesse est totam substructionis Dramaticæ fabricam ità permitti ipsius arbitrio, ut res narret non uti gestæ sunt, sed ut geri aut potuerunt, aut debuerunt.

Hîc verò quæri primò potest, an tantum Poetæ liceat, ut et argumentum Tragœdiæ et personarum nomina comminisci possit? Videtur Aristoteles dedisse Poetis ejusmodi licentiam, qui Tragœdias laudat fictas ex toto, quarum felicissimus exitus exstitisset. Id ipsum sensit Horatius, etsi propter difficultatem tractandi argumenti, cujus nullum sit vel in Historiâ vel in Fabulâ vestigium, auctor est Tragœdiarum Scriptoribus, ut in noto potiùs, quàm in ignoto argumento versentur. Est hæc enim germana istius præcepti interpretatio.

Difficilè est propriè communia dicere; tuque
Rectiùs Iliacum carmen deducis in actus,
Quàm si proferres ignota indictaque primus.

Hæc igitur Poetæ facultas permittitur, ut tam in argumento, quàm in personis fictis pertractandis artem Dramaticam exerceat. Verùm cum verisimilitudinis semper debeat habere rationem,

cavebit inprimis ea fingere, quæ verosimili adversentur; adeoque non inducet in Scenam virum Principem, qui hominem sanguinis communione sibi conjunctum sciens ac prudens perimat, aut perimere meditetur. Id enim facinoris tam alienum est à naturâ, ut nullam inveniat fidem, nisi vel historiæ, vel saltem fabulæ testimonio signatum sit.

Verùm ut veniam fingendi argumentum Tragicum ex toto Aristoteles non abnuit, ità non impertit consilium, ut eâ Poetæ abutantur. Imò, si quid ipsi creditur, Actio Tragœdiæ primaria veritati vel historicæ vel fabulosæ debet consonare. Neque enim hominum animi tàm ignotis ac fictis rebus, quàm notis ac veris afficiuntur; ac si Tragœdiæ finis ipse attenditur, quæ tota ad expurgandos animos inordinatis affectibus est comparata, minùs exempla illa commovere solent, quæ veritatis momento destituuntur.

Quæritur secundò an in argumentis quæ ab Historiâ, vel Fabulâ mutuatus Poeta fuerit, facultatem habeat quidpiam immutandi? Rem decidisse videtur Aristoteles in suâ Poeticâ, ubi de primariâ Tragœdiæ actione agitur, cum dicit immutanda non esse ea, quæ fidem obtinent in opinione omnium; neque Clytemnestram ab alio quàm ab Oreste debere interfici. Tamen non peccaret contra præceptum illud, si quis ad removendam ab Heroe Dramatis rei crudeliter gestæ invidiam temperaret facinoris atrocitatem, et in ipso narrandi modo non nihil à veritate deflecteret.

In Episodiis verò, quæ secundarum Actionum locum habent, si modò deprompta sacris è Litteris argumenta excipias, quæ nihil veritati historicæ contrarium patiuntur, non solùm datur

hæc facultas, ut multa præter et contra rerum gestarum fidem dicantur; sed etiam stare Fabulæ ratio non possit, nisi multa fictionis Poeticæ vestigia deprehenderis.

Jam in constituendâ Fabulâ cùm fingere cuique liceat ad arbitrium atque ea amplecti, quæ instituto magis conveniant, excutiendum superest, quid exigatur à Poetâ, seu quas Fabula dotes ac virtutes habere debeat.

Tria sunt quæ Fabulam commendant, Unitas Actionis, Loci ac Temporis; Verisimilitudo, atque Admirabilitas, de quibus dicendum incumbit.

ARTICULUS VI.

De Triplici Unitate Actionis, Temporis ac Loci.

Quemadmodùm Epopœia unam actionem Herois enarrandam suscipit, ita Tragœdia unam pariter illustris personæ actionem sibi proponit imitandam. Unitas Actionis.

Igitur actio sit una necesse est, quam Fabula Dramatica exhibet. Neque enim aut Heroem unum, aut actiones unius Herois omnes, sed unam eandemque unius Herois actionem complectitur. Quare si repræsentet personæ heroicæ periculum, cui vel cedere illa cogitur, vel ità resistit, ut ab eodem sospes et incolumis evadat, debet immorari in repræsentando illo periculo, neque ullam attingere Herois ejusdem actionem, quæ cum illo periculo non conjuncta sit. Nam si alii inciderint periculorum casus, quos, vel argumentum quod tractatur suppeditet, vel Poeta pro concessâ sibi licentiâ confinxerit, illi sic cum primario periculo cohæreant oportet, ut efficiant

quid unum, et tanquam totidem causæ ad informandam unius periculi unitatem alii ex aliis fluere videantur.

Eadem est ratio diversarum actionum quas una Actio Dramatica necessariò continet. Est enim Actio illa tota, adeoque partes habet; est integra sive perfecta, igitur certæ magnitudinis, quæ Principio, Medio et Fine constet, ut loquitur Aristoteles: partes autem illæ totidem sunt actiones quæ vicissim alias involvunt. Verùm hanc esse oportet omnium cum actione primariâ necessitudinem, ut ad hujus complementum aliæ post alias concurrant unanimes, et novam singulis in actibus Actionis primariæ, donec absolvatur, expectationem suscitent.

Unitas temporis.

Quod spectat ad Unitatem temporis, hanc ità præscribit Aristoteles, ut Tragœdia intra unicum solaris cursûs ambitum consistat, aut eundem certè non multùm excedat. Hinc orta controversia est, utrum lex illa naturalis diei, qui viginti quatuor horarum spatio continetur, Tragœdiæ tempus permittat, an idem intra diei artificialis, qui duodecim horarum est, angustias coerceat. Non videtur isthæc Tragœdiarum Scriptoribus imponenda durior necessitas, ut, si brevioribus limitibus coercere actionem Tragicam nequeant, eam ad viginti quatuor horas, aut etiam aliquantò plures extendere vereantur.

Verùm quò brevius Actio Tragica spatium requirit, eò perfectior hac parte censenda est. Nam cum Tragœdia imitatio fit aut imago potiùs humanarum actionum, nemo negaverit, tantò excellentiorem esse imaginem, quantò propiùs ad exemplaris similitudinem accedat. Quare optandum videretur, ut actio Dramatica, quæ, dùm exhibetur, duarum horarum spatium ex-

cedere non solet, eadem intra tempus idem fieri posset. Saltem hoc provideant Tragœdiarum Scriptores, ut quod plus requiritur temporis, id per actuum intervalla consumatur, et ipsius actionis duratio singulorum actuum durationi, quantùm fieri potest, respondeat.

De Unitate Loci cùm nihil fuerit ab Aristotele, vel ab Horatio pronunciatum, hanc sibi multi sumpsêre licentiam, ut illam pro arbitrio aut latiùs aut strictiùs circumscriberent. Quidam unius loci rationem servatam putant, si intra unius urbis mœnia res geratur, nec breviores actioni Tragicæ terminos posuêre. Alii austeri nimis ac severi unius aulæ vel cubiculi angustiis Unitatem loci continendam esse censuerunt, non satis attenti, quàm multas egregias Tragœdias proscriberent, si tam regida lex nullam penitùs exceptionem admitteret. Nam cùm ea, quæ tractantur in Tragœdiis, inter eos semper agitentur, qui diversis contrariisque partibus studeant; quî demum fieri possit, ut uno eodemque in loco de rebus suis colloquantur, quas è re suâ sit eos celari quorum plerumque exitium machinantur. Alii mediam iniere viam, et ad Unitatem loci retinendam sufficere arbitrantur, si unâ in domo vel in uno palatio actio Dramatica peragatur. At quando necesse est actus varios variis domûs in partibus exhiberi, hæc duo providenda sunt; alterum, ut actus totus in eodem loco repræsentetur; alterum, ut continua succedentium sibi scenarum series ac nexus faciant, ne mutatio loci, quæ fit variis in actibus, facilè observetur. Unitas Loci.

ARTICULUS VII.

De Verisimilitudine.

Cùm ea Poetis datur licentia, ut argumentum Tragœdiæ fingere possint ex toto et sua personis ipsis imponere nomina, tum certè non par facultas relinquitur, ut qui nullis sequendæ veritatis legibus teneantur, iidem recedere à Verisimilitudine pro arbitrio possint.

Sic igitur totius Fabulæ structuram aptent ac construant, sic actiones secundarias cum actione primariâ, personas Episodicas cum necessariis componant inter se; denique singula pro ratione temporis ac loci ità disponere studeant, ut nihil sit in Dramate quod Verisimilitudini repugnare videatur. Quâ in re qui peccaverit, tantò minùs veniâ dignus judicari debet, quantò faciliùs materiæ arbiter suæ singula ad rectam Verisimilitudinis regulam ac normam exigere potuerit.

Qui verò sibi sumpserit argumentum ex Historiâ vel ex Fabulâ, atque ex utriusque visceribus varia Actionis Dramaticæ ornamenta mutuatus fuerit, nullam Verisimilitudinis habere rationem cogitur, quam sectando tamen, meliorem fortè ac gratiorem Tragœdiæ formam conciliaret. Etenim etsi multa sunt historiarum vel fabularum fide testata, quæ vix similitudinem veri præseferant, tamen quantumvis aliena videri à vero possint, ille tuetur se satis, cui veritas suffragatur.

At quoniam Scriptori Tragœdiæ ea lex ab Aristotele non imponitur, ut res exponat semper, uti gestæ sunt, sed quo geri pacto aut potuerunt, aut debuerunt, tunc studendum sibi putet Verisimilitudini, tam in iis, quæ pro jure suo àddi-

derit præter historiæ fidem, quàm quæ in historiâ censuerit adulterandâ. Neque enim qui narrat quidpiam aliter atque gestum est, is dicendus continuò à verosimili recessisse, quandoquidem quæ veritati historicæ adversantur, verisimiliora nonnunquàm videntur, quàm quæ eidem veritati consonant : neque rerum gestarum modus tam præsens est audientium animis, ut, si parumper immutandus judicetur, vel ad minuendam facinorum quorumdam atrocitatem, vel ad eadem magis illustranda, id satis observari possit, ut læsa veritatis ratio videatur.

ARTICULUS VIII.

De Admirabilitate.

Oritur Tragicæ Fabulæ Admirabilitas ex inopinatis rerum casibus, ex Peripetiis seu fortunæ commutationibus, ex fabulis Episodicis, sine quibus etsi stare Fabula potest, hæc tamen plurimùm conferunt ad ipsius gratiam, maximè si non aliena ab argumento, sed ex ipsius rei visceribus nata cum actione primariâ unam constituant actionem. Adde et Agnitiones per quas gaudium in mœrorem, aut mœror in gaudium convertuntur.

Harum porrò rerum statim à principio quædam quasi semina jacienda sunt, quæ, dùm procedente Fabulâ crescunt sensim sine sensu, suspensos auditorum animos admirabili novitate teneant. Tum attexenda appositè multa, quorum causæ posteà cognitæ insperatam mutationem efficiant.

Multùm etiam conferunt ad pariendam illam Admirationem vehementiores animi motus, quibus actio Tragica plena esse debet ad suscitandos

commiserationis et terroris affectus. Duo autem inprimis movere auditores solent, alterum generis splendor, alterum probitas eorum, qui vexantur. Imò dari in scenam potest improbus, qui illatâ viro innocenti nece, posteà miserum in modum pereat. Pœna enim viri innocentis commiserationem movet, mors Tyranni terrorem excitat.

ARTICULUS IX.

De Fine Tragœdiæ.

Cum sit ille propositus Tragœdiæ finis, inquit Aristoteles, ut per commiserationis et terroris affectus, quos ciet, animum purget non ab iis ipsis modò perturbationibus, sed ab eodem etiam cæteros, id genus, morbos expellat, videndum est, quomodò finem hunc suum Tragœdia consequatur.

Hæc porrò dùm subjicit oculis gravissimas calamitates, in quas illustres viri, errore lapsi potiùs quàm culpâ suâ, incidêre, misericordiam et metum naturaliter in nobis excitat, eosdemque interim reprimit motus ac coercet. Docet enim non modò ferre præsentia, quæ leviora sunt gravibus malis quorum miserescimus, sed animum præparat ad similes casus, si fortè contigerint, constanter tolerandos.

Neque hoc satis: dùm exhibentur mala, quæ vel error, vel imprudentia, vel prava quævis cupiditas pepererunt, admonetur animus ad præcavendas aut corrigendas hujusmodi perturbationes, per quas tot infelices casus procreantur. Hinc eruditur ambitiosus ad modestiam, impius ad metum divini Numinis, iracundus ad moderationem, crudelis ac ferox ad humanitatem compo-

nitur; adeoque cæteras animi labes Tragœdia proscribit.

ARTICULUS X.

De Poetis Tragicis Græcis.

ÆSCHYLUS.

Æschylus omnium primus occurrit, Athenis natus Miltiadis et Themistoclis temporibus, in Siciliâ mortuus lapsâ in caput ejus, ut ferunt, testudine, 76. Olympiade. Is Tragœdiæ parens, seu potius emendator habitus est, quòd emendasset Veterem Tragœdiam, et eandem locupletasset.

. . . . Personæ pallæque repertor honestæ
Æschylus, et modicis instravit pulpita tignis,
Et docuit magnumque loqui nitique Cothurno.

De eodem ita Quintilianus: *Tragœdias primus in lucem Æschylus protulit, sublimis et gravis et grandiloquus sæpè usque ad vitium, sed rudis in plerisque et incompositus.*

Huic Quintiliani judicio addere liceat, fuisse illum in concinnandis Episodiis atque Peripetiis parùm solertem atque industrium, in ipsis Theatri legibus peregrinum atque hospitem. Æschylum tamen Aristophanes Euripidi ac Sophocli prætulit, captus fortè tam concitatis ipsius styli furoribus, ut fœminas antè tempus provocaret ad partum.

Septem exstant ejus Tragœdiæ. *Prometheus vinctus, Septem ad Thebas, Persæ, Agamemnon, Choëphoræ, Eumenides, Supplices.*

SOPHOCLES.

Natus est Athenis Olympiade 71, Æschylo

tempore inferior, superior Euripide, mortuus 95 ætatis, sexto post Euripidem anno. Hunc Poetam divinum Tullius appellat. *L.* 2. *de Divin.* Virgilius *Eclog.* 8. cæteris Poetis Tragicis eundem videtur anteferre. Excelluit Sophocles mirâ in ciendis animorum motibus solertiâ. Stylus ejus sublimis, splendidus, etiam castigatus. Pinxit homines, quales esse oporteret, inquit Aristoteles, Euripides quales essent. Erat Sophocli insita quædam dicendi facultas, sic ut ab ipsius ore verba nata, non diù meditata fluere diceres. Religionem, obsequium, reverentiam in Deos, virtutis amorem, vitiorum odium suis in Tragœdiis passim astruit et inculcat. Denique luculentum illud est Quintiliani testimonium, qui Sophoclem cum Euripide conferens, ita de utroque pronunciat. *L.* 10. *c.* 1. *Sed longè clariùs illustraverunt hoc opus* (Tragœdiam) *Sophocles atque Euripides, quorum in dispare dicendi viâ uter sit Poeta melior, inter plurimos quæritur. Idque ego sanè, quoniam ad præsentem materiam nihil attinet, injudicatum relinquo. Illud quidem nemo non fateatur necesse est, iis qui se ad agendum comparent, utiliorem longè Euripidem fore. Namque is et in sermone (quod ipsum reprehendunt, quibus gravitas et Cothurnus et sonus Sophoclis videtur esse sublimior) magis accedit Oratorio generi, et sententiis densus et in iis, quæ à sapientibus tradita sunt, penè ipsis par, et in dicendo ac respondendo cuilibet eorum, qui fuerunt in foro diserti, comparandus.*

Sophoclis exstant Tragœdiæ septem, *Ajax Flagellifer*, *Electra*, *Oedipus Tyrannus*, *Antigone*, *Oedipus Coloneus*, *Trachiniæ*, *Philoctetes*.

EURIPIDES.

Salamine natus est 75 Olympiade, quo die florentissimus Xercis exercitus ab Atheniensibus fusus est. Vitam finiit 75 ætatis anno, laceratus à canibus. Ad hæc, quæ de Euripide jam dicta sunt à Quintiliano, accedit judicium Aristotelis; qui Euripidem vocat Tragicis artis scientissimum, etsi tam felix in constituendâ disponendâque Fabulâ plerumque non videtur. Certè nemo hanc illi invideat laudem, quam Quintilianus tribuit, ut disertus inprimis ac subtilis, et in movendis teneris quibusque affectibus solertissimus exstiterit.

Plenæ sunt ipsius Tragœdiæ gravibus sententiis, propter quas magno fuit in pretio apud Ciceronem, qui scribens ad Tironem, *Liv.* 8. *Epist.* ità loquitur de Euripide. *Cui tu*, inquit, *quantùm credas, nescio. Ego certè singulos ejus versus, singula testimonia puto.*

Ægrè tulerunt nonnulli, quòd Phædram, Jocastam, Calacem, Pasiphaen nequissimas fœminas in scenam induxisset; quibus responderi potest, et quales essent, Euripidem ostendisse, et horrendâ vitiorum imagine spectatores à flagitio deterrere voluisse.

Habemus 19 ejus Tragœdias ex multò pluribus quas scripsisse dicitur. Sunt illæ: *Hecuba, Orestes, Phœnissæ, Medœa, Hippolytus, Alcestis, Andromache, Suplices, Iphigenia in Aulide, Iphigenia in Tauris, Rhesus, Troades, Bacchæ, Cyclops, Heraclidæ, Helena, Ion, Hercules furens, Electra.*

ARTICULUS XI.

De Poetis Tragicis Latinis.

Supersunt fragmenta quædam veterum Tragicorum Latinorum, Livii Andronici, Ennii, Pacuvii, Accii, ac Nævii, quorum carmina passim à Cicerone et aliis doctis viris usurpantur.

SENECA.

Quæ Lucii Annæi Senecæ nomine numerantur Tragœdiæ decem, variis scriptæ sunt auctoribus. Medæa, Hippolytus et Troades, quæ cæteris censentur illustriores, Lucio Annæo Senecæ Marci Senecæ Rhetoris, qui et Philosophus fuit, filio vulgò tribuuntur. Reliquas, ne exceptâ quidem Octaviâ, quæ infimi omnium pretii est, volunt à scriptoribus ejusdem familiæ ejusdemque nominis fuisse elucubratas. Ut ut est, egregium et magnificum Julii Scaligeri de Senecâ, quisquis ille fuerit, judicium illud est, ut existimet eum nulli Græcorum majestate carminis extitisse inferiorem, cultu verò ac nitore etiam Euripide majorem. At pauci sunt qui de Senecâ tam honorificè sentiant. Fuerit ille quidem gravis et abundans sententiis, inquit Vossius, sed illæ affectuum vim elidunt. Notatur idem, quòd in exponendis comparationibus sit prolixior, et fastidiosior in Monologis, qui sæpè Actum integrum occupant. Cæterum Dramaticæ artis tam rudis, tam ignarus visus est, ut ne lectam quidem ab eo fuisse Aristotelis, aut Horatii Poeticam oporteat. Natione Hispanus, patriâ Cordubensis erat Seneca, natusque est 13. post Christum anno, mortuus 65, Neronis 12.

Celebrata est multis veterum scriptorum testimoniis Ovidii Medæa, quam temporum fato deperditam fuisse Litteraria Respublica graviter desiderat. Hanc Ovidius ipse designat *L. 2. Trist.*

Et dedimus Tragicis sceptrum regale Cothurnis;
Quæque gravis debet, verba Cothurnus habet.

CAPUT III.

De Comœdiâ.

ARTICULUS PRIMUS.

De naturâ ac definitione Comœdiæ.

Comœdia Paganum cantum significat, à vocibus Græcis χώμη et ᾠδὴ sic dicta, quia in vicis homines adolescentes Atheniensibus nondùm in civitatem coactis sua Poemata recitabant.

Alii dictam Comœdiam putant à voce κωμῳδεῖν, id est Como digna canere. Comus enim festivitatis ac commessationis Deus habitus est, cui interpretationi favere videtur vindemiarum tempus, quo inventa Comœdia est.

Est autem illa, Imitatio communis cujusdam actionis, quæ civilis ac privatæ vitæ imaginem tanquam in speculo repræsentet non sine salibus ac jocis, undè sumat quisque exemplum sibi ad mores corrigendos.

Dicitur primò Imitatio actionis communis, per quod Comœdia à Tragœdiâ distinguitur; neque enim imitatur res illustres ac terribiles, ut Tragœdia, neque admirabiles ac prodigiosas; non luctus, non exitia, non cædes, sed civiles et privatas actiones, ut Juvenum

curas, avaritiam Senum, fraudes Servorum; et similes, quæ alios sollicitudine, alios lætitiâ afficiant. Neque etiam Principes, Reges, Heroas, sed tenuiores atque humiles personas in scenam inducit.

Dicitur secundò repræsentare vitæ privatæ imaginem non sine salibus ac jocis, quâ in re multùm etiam differt à Tragœdiâ. Hæc enim gravissimas animorum perturbationes, quales sunt misericordia ac metus, movet: illa sectatur unam oblectationem, quam ridendo parit.

Denique Comœdiæ finis est humanos mores nosse, describere, et describendo corrigere, ne, quod in illis vitiosum est, privatorum hominum familiis nocere possit. Tragœdia etsi hoc proponit sibi pariter, ut mores instituat, tamen nec eâdem id perficit viâ, nec mediæ tantùm conditionis homines respicit, sed ad ipsos etiam Principes ac Reges assurgit.

Ex illâ definitione Comœdiæ colliges, materiam ejusdem esse actionem vitæ communis, quam imitandam Comœdia suscipit: Formam in imitatione ipsâ, non sine Ridiculo, esse positam; finem denique, privatæ vitæ emendationem, quam propositæ fabulæ Ridiculum operetur.

ARTICULUS I.

De Materiâ Comœdiæ seu de actione quam Comœdia imitandam habet.

Materia Comœdiæ est Actio una earum aliqua, quæ in usu vitæ quotidiano inter cives atque privatas familias contingere solent. Proindè res Comicæ sunt Lusus, Commessationes, Nuptiæ, Convivia, Fallaciæ, Doli et ejusmodi alia, quæ nihil grave, nihil serium habent. Quòd si in

argumento serio Comœdia nonnunquam versatur, hoc ità tractare debet, ut modus tractandi totus sit Comicus, hoc est jocularis ac ridiculus.

Quemadmodùm autem res humiles ac privatas Comedia sectatur, ita nec personas nisi humiles et de medio sumptas adhibet. Quales sunt Servi ad fallendum idonei, Juvenes ad ludos et commessationes propensi, Senes emuncti argento, qui risum concitent. Reges verò, Principes ac Deos vulgò non admittit; qui si tamen inducantur in Theatrum, eos quasi depositâ personâ ac dignitate interesse oportet: atque ea causa quibusdam visa est, cur Plautus Amphitryonem suum Tragicomœdiam vocet, quia Mercurius in hac fabulâ partes agit suas. Sic enim Mercurius loquitur in Prologo.

> Faciam, ut commista sit Tragicomœdia.
> Nam me perpetuò facere, ut sit Comœdia,
> Quò Reges veniant et Dî, non par arbitror.
> Quid igitur? quoniam hic servus quoque partes habet,
> Faciam, proindè, ut dixi, Tragicomœdiam.

Actionis porrò, quam propriam sibi Comœdia vindicat, exitus est ejusmodi, ut tristibus læta succedant; cùm in Tragœdiâ contra res lætissimæ luctuoso fine ferè concludantur. Atque eò respexisse Donatus videtur in *Prologo Terentiani*, cum ait, Homerum Iliadem instar Tragœdiæ, Odyssæam ad imaginem Comœdiæ fecisse. Nam Ilias desinit in morte Hectoris, quo Trojæ fatum nitebatur: Odyssæa terminatur in felici Ulyssis reditu. Neque tamen existimandum est exitum Comœdiæ nihil unquam tristitiæ admittere. Nam ubi duplex est Comœdiæ exitus, aliis tristis contingit. Sic Plutus apud Aristophanem, cui visus restituitur, Sycophantis quidem nocet, prodest verò justis ac probis.

ARTICULUS III.

De Formâ Comœdiæ seu de imitatione Actionis ridiculæ.

Hoc in Comœdiâ Formæ rationem habet, quòd Comœdiæ proprium ac singulare est, eamque non ab Epopoeiâ solùm ac Tragœdiâ, sed à reliquis Poematum generibus distinguit. Hoc ipsi cum Epopoeiâ atque Tragœdiâ commune est, quòd sit imitatio actionis. Quòd Actionem non narrando, sed exhibendo atque repræsentando imitetur, ab Epopoeiâ differt ac discrepat. Dùm verò res in privatæ vitæ consuetudine positas, et, quod in illis est ludicrum ac ridiculum, sectatur, dissimilem prorsùs à Tragœdiâ rationem tenet.

Igitur imitatio Comœdiæ propria, Fabula est seu fictio actionis ludicræ, quæ risum moveat, et ridendo auditores deterreat ab iis vitiis, quæ depinguntur.

Hinc Aristoteles, cùm definit Comœdiam, et designat ea, circa quæ imitando versatur, Comœdiam vocat imitationem pessimorum hominum, pessimorum, inquam, ut ipse interpretatur, non quocumque vitiorum genere, sed ratione Ridiculi, quod unum Comœdia spectat ac sequitur. Nam vitia ipsa Ridiculo destituta, quia indignationem movent potiùs quàm risum, Comœdia non tractat. Quare, quod Horatius ait *L.* 1. *Sat.* 4. fuisse solitum Eupoli, Cratino et Aristophani, ut

> Si quis erat dignus describi, quòd malus aut fur,
> Quòd Mœchus foret, aut sicarius, aut alioqui
> Famosus, multâ cum libertate notabant;

non intelligendum eo sensu, quasi veteres Co-

mici turpitudinem ac nequitiam, quæ vitiis adhærescit, insectandam ducerent; sed, quod rideri posset in singulis, id arriperent tanquàm rem suam, atque indè Comicos sales ac jocos conficerent. Quare risisse Plautus videri possit, cùm Amphitryonem suum Tragicomœdiam vocat, quòd Reges ac Deos in Theatrum induceret. Est enim mera Comœdia, quia rem tragicam vertit in risum et Reges ipsos ac Deos ludificatur. Adeò nihil in unâquâque re ridiculum, quod esse Comœdiæ argumentum non possit. Ac si ad quotidianam temporum nostrorum experientiam appellare liceat; sic positum in Ridiculo sentiemus Comœdiæ fatum, ut eo destituta, jus ad clamores ac plausus habere non posse videatur.

Hîc locus est dicendi de Ridiculo, quo Comœdia tota nititur; sed præponendum aliquid de constitutione ipsâ Comœdiæ, seu de Fabulâ.

ARTICULUS IV.

De Fabulâ.

Fabulam definivimus, cùm ageremus de Tragœdiâ, compositionem aptamque dispositionem multarum rerum, quæ ad unam eandemque actionem tendant. Quod etsi Comœdiæ pariter debet accommodari, tamen Fabulæ nomen latiùs hîc patet; quia res, quas Tragœdia vel ab Historiâ vel à Fabulis mutuatur, has Comœdia fingendas habet ex toto; tamque ipsius est invenire argumentum, quod tractet, quàm inventum disponere, et ad regulas exactum informare.

Quamobrem Comœdia in argumento ficto versatur, et non Episodicas modò fabulas, sed

actionem ipsam primariam comminiscitur ad arbitrium. Id verò difficilioris-ne sit provinciæ, quàm argumentum verum ornare, decidendum relinquo peritioribus. Si tamen dicere liceat, quod sentio, faciliùs esse putem ingeniosum videri in argumento, quod ipse fingas ad voluntatem, quàm si alter majori ex parte argumentum præscripserit; quomodò Declamatores multi diserti visi sunt, qui miseri essent Oratores. Cujus rei non alia causa sit, quàm quòd in declamando argumentum sumerent, quale vellent, et loquentes inducerent, quos sibi eligerent adversarios; in causis verò seriis adversarius præscribat materiem et argumenta, quibus respondere oporteat.

Ut argumentum, sic et personas fingit Comœdia, quibus imponit etiam nomina, quæ partibus, quas agunt in scenâ, respondeant. Ita Senex dicitur *Chremes*, à screatu; Adolescens qui amat, *Pamphilus*; Parasitus, *Gnatho*, à maxillis; Servus à servili cursu, *Dromo*.

Potest nihilominùs Comœdia argumentum verum tractare, et veteres Comici res gestas suis temporibus in Theatrum dabant. Hinc Latinarum Comœdiarum Scriptores, quò plus momenti conciliarent suis fabulis, quas exhibebant in scenâ, hæc Athenis gesta vel saltem in Græciâ fingebant. Testis est Plautus *in Prologo Menæchm.*

Atque hoc Poetæ faciunt in Comœdiis,
Omnes res gestas esse Athenis autumant;
Illud quò vobis Græcum videatur magis.

ARTICULUS V.

De Ridiculo.

Illud secundùm mentem Aristotelis Ridiculum dicitur, quod turpe est, sed minimè injuriosum. Duplex enim distinguit turpitudinis genus; aliud quod patienti dolorem affert, spectanti misericordiam; aliud quod patienti pudorem, audientibus risum præbet. Prioris generis sunt, inquit, verbera, cædes, egestas, cæcitas et similia. Posterioris est, ridicula facies, qualis fuit Thersitæ.

Consonat Aristoteli Tullius, qui de Ridiculo ità propè loquitur, *L. 2. de Orat. Locus autem, et regio quasi Ridiculi turpitudine et deformitate quadam continetur. Hæc enim ridentur vel sola, vel maximè, quæ notant et designant turpitudinem aliquam non turpiter.* Et paulò post : *Materies omnis Ridiculorum est in istis vitiis, quæ sunt in vitâ hominum neque carorum, neque calamitosorum, neque eorum, qui ob facinus ad supplicium rapiendi videntur; eaque bellè agitata ridentur. Est etiam deformitatis et corporis vitiorum satis bella materies ad jocandum.*

Porrò id Comœdia sectatur in moribus, quòd ità risum moveat propter turpitudinem, ut indignationem non excitet, ità pariat delectationem, ut injuriâ neminem afficiat. Quare abstinet illa penitùs ab exhibendis gravioribus facinoribus, qualia sunt, odia aspera, conjurationes, maleficia, interneciones, quæ perturbandis animis nata sunt; sed ex servorum fraudibus, senum avaritiâ, aliisque ludicris ejusmodi rebus ridendi locum captat. Hinc maledicentiæ, probris, protervæ dicacitati parcit : urbanas verò facetias, lepidos sales et liberales jocos adhibet.

Igitur Ridiculum Comœdiæ proprium partim ex rebus, quæ ridendæ proponuntur, partim ex jocis ac salibus, quibus res illæ pertractantur, exsurgit.

In rebus virtus gemina requiritur: Verisimilitudo et Admirabilitas. Verisimilitudo quidem; nam quæ fidem omnem superant, ut sunt aliena prorsùs à moribus, ita nec afficiunt animos, nec erudire possunt. Admirabilitas verò; quia quod vulgare est, nec admirationem facit, nec stimulat risum cordatis saltem ac sapientibus viris.

Porrò Admirabilitas consistit primò in casibus inopinatis, in rerum fortunæque conversionibus, non quæ gravissimas, ut in Tragœdiâ, perturbationes excitent, sed quæ tamen affectus cieant ob res leviores: putà, vel doloris ob amissam pecuniam, ob retusas artes; vel lætitiæ ob delusum senem, ob compotem voti sententiam, et similia. Hoc enim in Comœdiis adhibendum temperamentum est, ut neque extumescant ad Tragicam celsitudinem, neque ad Histrionicam scurilitatem abjiciantur. Secundò, Admirabilitas oritur ex personarum indole, quæ ficta sit ad jucunditatem, et nativam morum imaginem exhibeat.

Quòd spectat ad sales et jocos, ex quibus Ridiculum nascitur, videndum, qui servari modus debeat. Nam joci non infra Soccum; seria non usque ad Cothurnum, inquit Apuleius.

Proindè duplex est distinguendum joci genus: Alterum elegans, facetum, urbanum atque liberale. Alterum scurrile, petulans, flagitiosum ac Mimicum.

Elegans jocus dicitur, qui in verborum concinnitate, dictorum excogitatione ingeniosâ, gestûs conformatione consistit.

Facetus, qui sic risus ac sales aucupatur, ut

cum lepore gratiam ac modestiæ significationem præseferat.

Urbanus, qui cum hilaritate vultûs et vocis suavitate conjungitur.

Liberalis, quem præferre virum probum et liberaliter educatum non dedeceat.

Contra scurrilis ille jocus est, qui sine causâ risum captat.

Petulans, qui genus verborum scurrile, abjectum et minimè ingenuum usurpat.

Flagitiosus, qui mordet cum contumeliâ, minùs honesta loquitur, in obscœna prorumpit.

Mimicus, qui ea impudenter imitatur, quæ vel à Religione, vel à ratione ipsâ abhorreant.

Priores joci in pretio sunt, et à Comœdiâ ultrò admittuntur; posteriores usurpandi nunquam, sed ad pistrinum damnandi.

Atque ob eam rem ab Horatio damnatur Plautus; qui universo populo cùm placere mallet, quàm paucis bonis, liberiores plerumque jocos, frigidos et obscœnos sales suis in Fabulis adhibuit. Sic enim de eo loquitur *in Arte Poet.*

> At nostri proavi Plautinos et numeros, et
> Laudavere sales, nimiùm patienter utrumque,
> Ne dicam stultè mirati; si modò ego et vos
> Scimus inurbanum lepido seponere dicto.

Contrà Terentius, qui studebat gratiosus esse apud Scipiones, Furios et similes, à quibus etiam in scribendo adjuvari dicebatur, abstinuit magis à frigidis, et ab obscœnis temperavit.

Rursùs partitur jocos Tullius in eos qui in Re, qui in Verbo, qui in utroque ponuntur. Jocus est in Re, cùm res ipsa per se jocum movet, ut si quis aversis vestigiis obambulet; in Verbo, cùm perit jocus, si verbum tollitur; talis cujus-

dam jocus in malè olentem, qui ad ipsum venerat. *Video me à te non conveniri, sed circumveniri.* In Re simul et in Verbo, Ridiculum est illud Neronianum de furace servo, quem solum esse diceret, cui domi nihil erat occlusum.

In jocis qui solo Verbo continentur, oritur Ridiculum ex parodiis, cùm res dicta seriò ridiculum in sensum detorquetur. Ità quod dixerat Æschylus, *Domina quinquaginta Nereidum puellarum*, dixit Aristophanes de Anguillâ, *maxima natu quinquaginta Copaidum virginum.*

Fit etiam jocus ex ambiguitate Verbi, quòd geminam significationem patiatur. Ità Martialis ludit in Posthumum, qui unguentorum delicias curiosiùs affectabat.

> Posthume, non benè olet, qui benè semper olet.

Valet pariter ad festivitatem apud populum, cum præter expectationem idem de eodem dicitur. Habet multa ejusmodi Plautus; ut in Capt. *Prol.*

> Hos quos videtis stare captivos duos,
> Illi qui adstant, hi stant ambo, non sedent.

In Curcul. *Act.* 1. *Sc.* 3.

> Quoi homini Dii sunt propitii, ei non iratos puto.

In Stich. *Act.* 1. *Sc.* 2.

> E malis multis, malum quod minimum, id minimum est malum.

Verùm joci illi, si frequentiùs usurpentur, leporem amittunt, et fiunt frigidi.

ARTICULUS VI.

De Moribus et de Dictione.

Nihil adjiciendum videtur ad ea quæ dicta sunt de Moribus, cùm de Tragœdiâ ageremus; nisi servandam esse in Comœdiâ eandem cautionem, quam in Tragœdiâ adhibendam esse præscripsimus: nimirùm, ut mores personarum ingenio, ætati, conditioni, affectibus accommodentur; adeòque id agant et loquantur singuli, qui inducuntur in scenam, quod ætati suæ, officiis et vitæ consuetudini maximè conveniat. Id igitur curabit Comœdiæ Scriptor, ut Senes prudentes, suspiciosi, laudatores sui temporis, queruli, minimorum castigatores, avari repræsententur; Juvenes cupidi, præcipites, prodigi, voluptatum amatores; Servi versipelles, subdoli, nugis, fraudibus, furtis inservientes.

Quòd spectat ad Dictionem, discrepare debet ab eâ quam Tragœdia usurpat. *Neque enim*, inquit Quintilianus, (*L.* 10. *c.* 1.) *Comœdia in Cothurnos assurgit, nec contrà Tragœdia Socco ingreditur.* Hoc est, dictio Comica non est grandis aut sublimis, ut Tragica; sed magnificentiæ expers, humilis, mediocri ornatu contenta, popularis, è medio sumpta, utpotè quæ eorùm loquendi modùm imitatur, quorùm personas exhibet. Imò parùm admodùm distat ab oratione solutâ, nisi quòd metro vincta est. Hinc Cicero (*in Orat. Perf.*) *Itaque video visum esse nonnullis Platonis et Democriti locutionem, etsi absit à versu, tamen quòd incitatiùs feratur, et clarissimis verborum luminibus utatur, potiùs Poema putandùm, quàm Comicorùm Poetarùm, apud quos, nisi quòd ver-*

siculi sint, nihil est aliud quotidiani dissimile sermonis.

Assurgit tamen Comœdia nonnunquam, cùm vehementiores affectus exprimendi sunt. Hinc Horatius *in Arte*.

> Interdùm tamen et vocem Comœdia tollit,
> Iratusque Chremes tumido delitigat ore.

Tamen meritò idem Horatius observat, *quòd acer spiritus, ac vis, nec verbis, nec rebus inest.*

Verùm, quamvis absit à Comœdiâ styli sublimitas atque magnificentia, nihilominùs abesse lepos, ac nativa simplicitas non debent.

ARTICULUS VII.

De variis Comœdiæ Ætatibus.

Comœdia Græcorum pro variis ætatibus dividitur in Veterem, in Mediam et Novam.

Comœdia Vetus duplex fuit. Alia, rudis et inculta, sed innoxia, plenaque frugis et sententiis referta, quæ captando risui solùm studeret. Hæc auctorem habuit Epicharmum Siculum. Alia quæ deindè secuta est, et Veteris Comœdiæ nomine singulariter intelligitur, mordax inprimis et plerumque obscœna, quæ non populi modò, sed Primatum etiam carperet mores, et vitam nominatim perstringeret. Nam cum populum penes esset Reipublicæ administratio, atque illa vulgi indoles, ut insitâ feratur in nobilitatem æmulatione, nihil Poetæ hujus temporis esse putabant multitudinis auribus acceptius, quàm si Primores quosque civitatis maledictis ac probris aspergerent. Hoc testatur Cicero *Libro 4. de Reip.* ubi de vetere Comœdiâ ità loquitur. *Quem illa non*

attigit? quem non vexavit? cui pepercit? Esto: populares homines, improbos, in Rempublicam seditiosos, Cleonem, Cleophontem, Hyperbolum læsit: patiamur. Etsi hujusmodi cives à Censore meliùs est, quàm à Poetâ notari. Sed Periclem, cùm jam suæ civitati maximâ auctoritate plurimos annos domi et belli præfuisset, violari versibus, et eos agi in scenâ, non plus decuit, quàm si Plautus noster voluisset, aut Nævius P. et Cn. Scipioni, aut Cæcilius M. Catoni maledicere.

Fuêre illius Comœdiæ Principes, Eupolis, Cratinus, et Aristophanes, Horatio teste *L.* 1. *Sat.* 4.

Verùm translatâ deindè ad Archontas potestate, repressa est Comœdiæ licentia, et sublato Choro, qui sæviebat maledicentiùs, sancita lex, ne quisquam infami carmine alterum proscinderet. De hac lege Horatius *in Arte*.

> Successit Vetus his Comœdia, non sine multâ
> Laude, sed in vitium libertas excidit, et vim
> Dignam Lege regi. Lex est accepta; Chorusque
> Turpiter obticuit, sublato jure nocendi.

Mox et fustuarii pœna in eos decreta, qui alterius vitæ ac famæ in scenâ detraherent; de quâ idem Horatius.

> Quin etiam Lex
> Pœnaque lata, malo quæ nollet carmine quemquam
> Describi: vertêre modum formidine fustis.

Huic ergo Comœdiæ successit alia, quæ Media dicta est; hæc Poetarum quidem scripta cavillabatur; cæteros verò non apertè, sed modestè verecundèque reprehendebat. Vitia enim civium carpebantur universè, nominibus verò parcebatur. Vel si notabatur unus aliquis, id obscurè

fiebat, atque alieno nomine. Non ita tamen, ut potentiores in se dicta non sentirent, quæ de Poetis dicerentur. Inter Scriptores hujus Comœdiæ maximum Athenis nomen fuit Philippei et Stephani, imò et Platonis Comici, qui ejus Princeps habitus est.

Deniquè tertium vel quartum natum est Comœdiæ genus, quæ Nova est appellata. Hæc argumento magis communi et ad omnes mediæ sortis homines generatim pertinebat, minùsque amaritudinis spectatoribus et eâdem operâ multùm delectationis afferebat. Differt Nova à Vetere, quòd hæc sæpiùs in argumentis veris versetur, illa semper in fictis. Hæc maledica semper, illa aculeos habeat nonnunquàm, sed sine cujusquam contumeliâ. Neque eadem est in utrâque partium atque Actuum distinctio. Vetus varia miscet carminum genera; Nova Iambicis tantùm aut Trochaicis utitur. Hoc etiam Nova plurimùm discrepat à Vetere, quòd illa stylo elegantiore perspicuam magis et magis æquabilem dictionem adhibet; hæc acerbam magis et sublimiorem. Floruit præsertim in eo Comœdiæ genere Menander, et inter cæteros Comicos recentiores palmam tulit.

Novam hanc ac recentem Comœdiam Romani imitati sunt; fuitque eorum Comœdia duplex. Alia Palliata, quæ argumentum duceret è Græco, adeoque Græcorum ritus servaret in scribendo, et indutos Pallio Histriones in scenam induceret: Alia Togata, quæ Romanum argumentum tractaret, et Togatos exhiberet Actores, Romanosque mores imitaretur.

Alia divisio Romanæ Comœdiæ fuit in Motarias, Statarias et Mixtas. Motariæ turbulentæ, Statariæ quietiores, Mixtæ in utrumque con-

currunt. Motaria est Amphitryo Plauti; Stataria ejusdem Cistelaria; Mixta, Andria Terentii.

Tertia species est Fabularum Latinarum, quæ à civitate Oscorum Atellâ, in quâ primùm cœptæ, Atellanæ dictæ sunt, Argumentis dictisque jocularibus similes satiricis Fabulis Græcis. Vocatæ sunt etiam Fabulæ istæ Exodia, quòd exhiberentur post Fabulam seriam, ut quidquid lacrymarum atque tristitiæ contractum esset in Tragicis affectibus, hujus spectaculi risus abstergeret. De his Fabulis ita Livius, Lib. 7. *Postquam lege hac Fabularum ab risu ac soluto joco res avocabatur, et ludus paulatìm in artem verterat, Juventus, Histrionibus Fabularum actu relicto, ipsa inter sese more antiquo ridicula intexta versibus jactitare cœpit, quæ indè Exodia posteà appellata, consertaque Fabellis potissimùm Atellanis sunt; quod genus ludorum ab Oscis exceptum tenuit Juventus, nec ab Histrionibus pollui passa est.*

De fine Comœdiæ satis diximus multa, dùm cæteras Comœdiæ partes agitaremus, ut nihil adjiciendum ultrà videatur.

ARTICULUS VIII.

De Poëtis Comicis Græcis.

ARISTOPHANES.

Aristophanes in Cydathæniensi pago natus floruit tempore Socratis circa Olympiadem 86. et mortuus est Athenis anno ante Christum 400. In carpendis hominum vitiis tam mordax est, quàm qui mordacissimus. *Est cum risu mordax*,

inquit Scaliger, *atque in subsannando insignis*. Nihil ferè à quoquam dictum, quod in alicujus perniciem non detorqueat. Sententiæ ejus semper ancipites, quas ad risum, deindè in deteriorem partem, aut meliorem propter admirationem vertat. Socratis Rempublicam, alteram in aere commentus, irridet in Fabulâ quæ *Nubes* inscribitur. Ejus ingenium ità reveriti sunt Athenienses, ut quanquam illæsi non essent ab ejus salibus, tamen coronam illi ex lauro sacrâ, quæ in arce asservabatur, decreverint, in perenne animi sui pro defricatâ urbe atque Republicâ monumentum. Restant ex pluribus Comœdiis, quas scripsit, undecim; quarum præcipuo habentur in pretio Tres, *Plutus*, *Nubes*, ac *Ranæ*.

MENANDER.

Atheniensis fuit et novæ Comœdiæ Princeps. Natus sub Alexandro Magno 114 Olympiade; sive, ut alii volunt, 109. Mortuus est anno ætatis suæ 50, seu, ut quibusdam placet, 55. Ad Pyræum portum aquis submersus. Dicitur scripsisse Fabulas octoginta, quarum pauca restant fragmenta, in quibus, uti in moribus, parùm castus ac pudicus exstitit. Quare Ovidius ipse de eo ità loquitur, 2. *Trist.*

Fabula jucundi nulla est sine amore Menandri.

Quod autem de ejus Comœdiis judicium Quintilianus tulit, est ejusmodi, ut qui Menandrum habeat, cæteris, in eo genere, Poetarum scriptis carere facilè possit; adeò solus unus ad informandum ingenium videbatur. *Is enim*, inquit, *vel unus, meo quidem judicio*,

diligenter lectus ad cuncta, quæ præcipimus, effingenda sufficiat; ita omnem vitæ imaginem expressit, tanta in eo inveniendi copia et eloquendi facultas; ita est omnibus rebus, personis, affectibus accommodatus. Addit de eodem, neminem esse magis idoneum ad informandos oratores, *quibus necesse est secundum conditionem controversiarum plures subire personas; patrum, filiorum, maritorum, militum, rusticorum, divitum; pauperum, irascentium, deprecantium, mitium, asperorum, in quibus omnibus decorum ab hoc Poetâ mirè custoditur.*

PHILEMON.

Philemon, qui Syracusanus aliis, aliis Pompeiopolitanus dicitur, vixit regnante Antigono, et anno ætatis suæ 99 nimio risu fertur periisse, dùm Asinum suum ficus avidè comedentem cerneret. Inter scriptores novæ Comœdiæ recensetur. Scripsit Comœdias 90. quarum pauca supersunt fragmenta. Hoc fuit de ipso Quintiliani judicium. *Philemon*, inquit, *qui, ut pravis sui temporis judiciis Menandro sæpè prælatus est, ita consensu omnium meruit credi secundus.*

ARTICULUS IX.

De Poetis Comicis Latinis.

PLAUTUS.

Marcus Accius Plautus Sarsinas natus in finibus Umbriæ et Æmiliæ, mortuus est anno ab urbe conditâ 570. ante Christum 184. Scripsit plures Comœdias, quarum supersunt 20.

Varia fuêre tam veterum, quàm recentiorum de Plauto judicia. Alii Latinæ Comœdiæ Principem illum appellant, cui tam propter rerum varietatem, quas tractavit, et quandam vim atque ubertatem, quàm propter amœnitatem jocorum et sermonis ipsius elegantiam neminem censent esse conferendum. Alii cùm ex istâ laude multùm decerpunt, tùm certè nec in constituendâ fabulâ, nec in imitandis moribus felicem satis fuisse Plautum arbitrantur. Equidem fertile inprimis ac vividum Plauto ingenium fuit; jocandi genus elegans, urbanum ac facetum. At dùm lepidum ambit esse præter modum, et auræ populari servit impensiùs, frigidis passìm et inficetis salibus indulsit; propter quos non ab Horatio tantùm, sed ab aliis etiam non vulgaris notæ censoribus meruit reprehendi. Hinc nec in ipso sermone satis castigatus visus est, qui captandi risûs gratiâ antiquata dudùm et obsoleta verba revocat postliminio, et putidiùs affectat. Inter cæteras quas edidit Fabulas, primarium sine controversiâ locum obtinet, quæ *Amphitryo* inscribitur.

TERENTIUS.

Publius Terentius Africanus fuit natus Carthagine, Romæ servus aliquandiù fuit, sed mox ob præclarum ingenii specimen libertate donatus. Scripsit Comœdias omnino sex, *Andriam*, *Hecyram*, *Heautontimorumenon*, *Phormionem*, *Eunuchum* et *Adelphos*. Plures numero ipsi quidam attribuunt, quas naufragio periisse, ipso auctore superstite, narrant. Mortuus est in Arcadiâ, anno Urbis conditæ 595, sive in Achaiâ, ut aliis placet, anno 599.

Principem Latinos inter Comicos locum Terentius sibi vindicat; quem etsi ab omni penitùs expertem maculâ tam prisci quàm recentes Critici non putant, tamen nemo penè unus eorum est, apud quem singulari in pretio non fuerit.

Tria sunt quæ Terentium inprimis commendant. Primùm ars illa singularis, quæ in constituendâ, informandâ, et ad finem usque perducendâ feliciter Fabulâ posita est: quâ superiorem cæteris Comœdiarum Scriptoribus Terentium agnoscit Horatius, cum ait *in Arte*.

Vincere Cæcilius gravitate, Terentius arte.

Alterum, mirabilis quædam in pingendis ad vivum imitandisque ætatis cujuscumque, conditionis ac personæ moribus dexteritas ac solertia; quæ Terentii propria laus cùm veterum, tum recentiorum Criticorum testimonio comprobatur. Hùc accedit morata diligenter et obscœnitatis penè omnis expers ejusdem oratio, propter quam acceptus fuit sapientissimis viris Scipioni ac Lælio, à quibus in elucubrandis Fabulis adjutum se fuisse Terentius non inficiatur.

Denique Latini sermonis lepores omnes ac delicias ità complexus Terentius est, ut nemo ad ejus concinnitatem et elegantiam accesserit. Ita sentit Tullius multis in locis, qui nativam Terentii simplicitatem et amœnitatem ingenuam visus est sibi imitandam proposuisse.

Andriam, Heautontimorumenon, Eunuchum et Adelphos è Græco Menandri; Hecyram et Phormionem ex Apollodoro sic expressit Terentius, ut non imitator putidus, sed sui inventor atque artifex operis videri debeat.

CAPUT IV.

De Carmine Pastorali seu Bucolico.

ARTICULUS PRIMUS.

De Bucolici Carminis origine.

CARMEN, quod Bucolicum Græcis dicitur, à Latinis vocatur Pastorale. Bucolicum autem à Bubulcis appellationem traxit. Nam etsi Pastores omnis generis in Bucolicis locum habent, tamen Pastorali Carmini nomen imponi debuit ab eo gradu, qui apud Pastores excellentissimus invenitur. Pastores verò honestissimi et maximi inter cæteros pretii olim censebantur, quos Bubulcos dicimus.

Originem Bucolici Carminis alii ad alias causas referunt. Sunt qui à Lacedœmoniis Pastoribus Dianæ primùm dictum hoc carmen arbitrentur, cùm eidem Deæ propter bellum, quod toti Græciæ illo tempore Persæ inferebant, exhiberi per virgines de more sacra non possent. Alii Orestem ferunt auctorem hujus Carminis, quod per semetipse perque Pastores Dianæ decantavit, quo tempore de Scythiâ fugiens, et per Siciliam vagus cùm amico Pylade, rapto Divæ simulacro, apud aras ejusdem Numinis per Iphigeniam à parricidio expiatus est. Alii Apollini Nomio aut etiam Mercurio, Pastoralibus Deis, tribuunt, cùm Admeti boves pascerent. Alii à Libero Nympharum, Satyrorum et aliorum id genus Numinum Principi, quibus rusticum inprimis carmen placet, inventum dicunt. Alii institutum à Pane defen-

dunt et Virgilium adducunt testem qui Eclogâ secundâ ita loquitur.

> Pan primus calamos cerâ conjungere plures
> Instituit.

In tantâ Auctorum varietate, hoc certè videtur extra controversiam positum, Peloponesiis vel Siculis tribuendam esse Bucolici Carminis inventionem, apud quos Dorica dialectus erat in usu, quo scriptum idiomate Bucolicum carmen invenitur. Peloponesiis quidem favet Virgilius, qui Arcadas in iis regionibus positos ait eo Carminis genere fuisse delectatos. *Eclog.* 7.

> Arcades ambo,
> Et cantare pares, et respondere parati.

Idem videtur Siculis suffragari, qui ipsorum nomine carmen Bucolicum appellat. *Eclog.* 4.

> Sicilides musæ paulò majora canamus.

Et *Eclog.* 6.

> Prima Syracusio dignata est ludere versu
> Nostra, nec erubuit Sylvas habitare Thalia.

Adde quæ de Oreste in Siciliâ profugo dicta sunt, et institutos ante Hieronis tempora ob pestilentiam ludos, ad Dianam donis et Bucolico carmine placandam: quæ omnia revincunt Bucolici Carminis gloriam Siculis esse tribuendam.

Ut ut est, *Probabilissimum est*, inquit Donatus in Virgilii vitâ, *carmen Bucolicum originem ducere à priscis temporibus, quibus Pastoralis vita exercita erat, et ideò velut aurei sæculi specimen in ejusmodi personarum simplicitate cognosci.*

ARTICULUS II.

De Naturâ et Definitione Carminis Bucolici.

Poesis omnis imitatio est alicujus actionis, quæ, cùm varia sit ac multiplex, vel ipsa per se, vel imitatione, varia item Poeseos genera constituit.

Hinc facile est intelligere triplicem distingui Pastoralis Carminis speciem. Primam, quâ Pastores inducuntur colloquentes inter se, et ipsi rem exhibent sine Poetæ interlocutione. Alteram in quâ ipse Poeta loquitur, et Pastorum actiones aliquas, aut eorum affectus enarrat, sine interpositione personæ. Tertiam, quæ priorem utramque complectitur, ubi et Poeta ipse loquitur, et introductæ personæ mutuos sermones habent. Prima dicitur Activa, sive Dramatica, qualis est Ecloga Virgilii prima quæ sic incipit:

Tityre, tu patulæ recubans sub tegmine fagi.

Secunda vocatur Narrativa, cujus exemplum sufficit Ecloga ejusdem Virgilii sexta, cujus est initium,

Prima Syracosio dignata est ludere versu.

Tertia appellatur Mixta, talis est Ecloga Virgilii nona, quæ sic auspicatur.

Pastoris musam Damonis et Alphesibœi.

Jam verò Pastorale Carmen definiri rectè potest, Imitatio Pastoralis actionis. Undè rejiciuntur à Carmine Pastorali quæcumque Pastorali vitæ minùs congruunt, et à Pastorum moribus ac consuetudine discrepant. Quòd si Pastores exhibere contigerit in scenâ, qui de Regum

funeribus, de civilibus bellis, et aliis ejusmodi argumentis, quæ sublimiora sunt, inter se colloquantur; hæc ità temperare oportebit, ut à tenuitate Pastorum non recedant. Sin verò in Eclogam persona illustrior aut heroica inducitur, tacebitur nomen, et propriâ Pastoris cujuspiam appellatione dissimulabitur, cavebitque Poeta diligenter, ne quid ille supra Pastoris captum efferat. Res enim rusticæ tam pertinent ad naturam hujus Carminis, quàm personæ ipsæ Pastorales. Imò quæ comparationes adhibentur, illas necesse est à rure ipso mutuari.

Hoc porrò causæ est, cur ex decem, quæ numerantur, Virgilii Eclogis, septem tantùm Bucolicæ agnoscantur, excipianturque omnium de numero omninò tres, Pollio scilicèt, Silenus, et Gallus, tùm quia sylvestribus ac merè rusticis argumentis non continentur, tùm quia ipsas Deorum personas loquentes admittunt.

Neque verò peccasse propterea contra Carminis indolem Virgilius dicendus est aut ignorantiâ, aut incuriâ; sed à Bucolico Carmine, petitâ quodammodò licentiâ, videtur recessisse, cùm sic præfatur in Pollione. *Eclog.* 4.

Sicilides musæ paulò majora canamus;
Non omnes arbusta juvant humilesve myricæ.

Quod fecisse credendus est, si Servium audias in Eclogam primam, vel ut vitaret varietate fastidium, vel ut insertis altioribus rebus placeret magis; secutus in eâ re Theocritum ducem, cujus ex omnibus Idylliis decem tantùm Bucolica reputantur, novem prima scilicèt, et undecimum.

Observandum prætereà est, non omnia, quæ agrestia sunt et ruris propria, Bucolico Carmi-

ni convenire, eosque contra similitudinem veri peccare non nihil, qui colloquentes elegantiùs inducunt colonos, vinitores, piscatores, aucupes; quoniam eorum vita est laboriosa nimis et actuosa, quàm ut aut cantinelis, aut dulcibus colloquiis indulgeant, aut teneros meditentur. Nihil vetat tamen quominùs his de rebus, quæ ad istorum hominum conditionem pertinent, Pastores ipsi inter se disserant.

ARTICULUS III.

De Virtutibus Pastoralis Carminis.

Suæ sunt huic generi Poeseos, quemadmodùm et aliis certæ quædam ac propriæ virtutes. Epopœia quidem majestatem, Tragœdia vim atque vehementiam, Comœdia Ridiculum ac jocos, Ecloga candorem ingenuum atque simplicitatem desiderat. Ea verò species est optima, quâ ætatis aureæ mores feliciter exprimuntur. Iis enim certè temporibus Pastores ingenio et virtute præstabant. Quod ut assequi possis, admiscenda quidem Fabula, sine quâ nulla poesis est: sed cavendum imprimis, ne mirabiles, vel repentinæ mutationes fingantur; ab iis enim improvisis casibus implicatisque negotiis vita Pastoralis pura et immunis est.

Jam verò ne sint tam exculti mores aut politi, quàm in urbe vel in aulâ cernuntur: multò minùs pingantur horridi et agrestes, quales rustici nostrorum temporum præseferunt. Absit à sententiis gravitas ac magnificentia: nam quis ruri, ubi debent omnia esse simplicitatis plenissima, quærat fucum, et luxum ferat? Comparationes à rure petantur, quæ humiles quantumvis ac tenues, si clarè ac nitidè explicentur, singularem

huic Carmini gratiam ac venustatem conferunt.

Denique stylus sit nitidus et multis intercisus locis, neque contextus orationis fusos longiùs et continuatos habeat. Semper enim meminisse oportet Pastoralem Poetam calamo se, non tubâ canere.

ARTICULUS IV.

De Dictione Carminis Pastoralis.

Superest, ut de Carminis Pastoralis Dictione pauca adjiciamus. Debet esse illa elegans ac munda, quæ nitidam Latinitatis puritatem integritatemque redoleat. Certè Tityrus in umbrâ fagi tam purè Latinèque, quàm in aulâ Augustus ipse loquitur. Non ita Theocritus, cujus *Musa rustica et Pastoralis* Quintiliano teste, *L. 10. c. 1. non forum modò, verùm etiam urbem reformidat.* Ratio illius diversitatis est, quòd apud Græcos suus sermo sit Rusticis ab Urbano diversus. Doricâ enim usus est Dialecto Theocritus suis in Bucolicis, tanquam huic generi Carminis inter cæteras maximè idoneâ, quam Pastorum primi, qui Dianæ laudes versibus in Siciliâ celebraverant, adhibuisse dicebantur. Hæc autem sermonis varietas apud Latinos non invenitur; undè Probus observat Bucolica majori negotio à Latinis scribi, quàm à Græcis.

Adde, quod plurimùm valet in hoc Carmine, brevitatem requiri. Si quid enim laxum et non pressum sit, ruit continuò et concidit, propter argumenti tenuitatem quæ orationis vi et quibusdam quasi lacertis est sustinenda.

ARTICULUS V.

De Poetis Bucolicis Græcis.

THEOCRITUS.

Syracusis natus in Siciliâ Theocritus vivebat Olympiade 123. tempore Ptolomæi Philadelphi. Is, etsi Bucolici Carminis primus auctor non fuit, Princeps tamen in eo scribendi genere ab omnibus habitus est. Elucet enim in ejus Idylliis plena suavitatis amœnitas, expersque fuci candor, quibus tam expressit ad vivum naturam ruris atque indolem, ut in ejus versibus, tanquàm in tabellâ, hominum rure degentium vita moresque depicti videantur. Quod de Theocrito dictum à Quintiliano retulimus, musam illius pastoralem ac rusticàm non forum modò, sed urbem etiam reformidare, nihil videtur significare aliud, nisi quòd Theocriti Idyllia prodesse illis non possent, qui Oratoriam ad artem informarentur, aut qui nativâ simplicitate non gauderent. Verùm hæc ipsa scribendi ratio, quæ propria ruris magis et pastorum rure viventium visa est, eò majorem ejus carminibus gratiam ac venustatem conciliavit. Quâ enim laude ac gloriâ alium sectatus esset styli modum, à quo candor ac simplicitas, quæ dos est Bucolici Carminis præcipua, abfuissent. Imò fecit nativa illa ac rustica simplicitas, quam eo consilio affectavit Theocritus, ut tantam apud omnes admirationem consequeretur.

MOSCHUS ET BION.

Moschus Syracusanus in Siciliâ Aristarchi discipulus vixit Ptolomæi Philometoris temporibus ab

Olympiade 149 ad 159. Illi vixit æqualis Bion Smyrnæus. Utriusque Idyllia, quæ restant pauca, uno collecta in volumine leguntur, propter affinitatem quam habent cum ratione argumenti, quod ambo tractavere, tùm ipso illius tractandi modo. Non defuit Moscho et Bioni venustas aut gratia, et politioris simplicitatis æmulatores ipsum Theocritum hac vicisse parte censentur. Uter autem utri præstet, si quis quæsierit, plus venustatis ac gratiæ in Bione quàm in Moscho deprehendet.

ARTICULUS VI.

De Poetis Latinis Bucolicis.

VIRGILIUS.

Virgilium unum multorum instar proponimus Bucolici Carminis Scriptorem, quia neminem præter eum è veteribus invenimus, qui in eo scribendi genere nomen aliquod meruerit. Fuit hoc verò Eclogarum Virgilii fatum, ut cùm primùm vulgatæ in lucem fuêre, eam pepererint auctori suo famam, quam nulla consequentium temporum series imminuit. Hoc opus Octaviani Cæsaris jussu à Virgilio susceptum tàm absolutæ perfectionis visum est peritissimis eo temporis rerum æstimatoribus, ut jam tùm Latini Carminis Princeps habitus sit. Theocritum secutus suis in Bucolicis ducem, si caruit inventionis laude, exemplar suum imitando tam feliciter est assecutus, ut eodem non inferior, in multis etiam superior videri meruerit. Certè spirant ejus Eclogæ molle nescio quid, ac facetum quiddam, quod Camœnæ ipsæ ruris præsides Virgilio videntur annuisse; cui nihil par ac simile

Thocriti musa durior ac rusticior præseferat. Dictio ejusdem tam elegans et Latinitatis tam exquisitæ, ut neque urbis, neque aulæ ipsius judicium reformidet. Quod si stylo simplici ac ruris proprio rusticam indolem atque vitam propiùs attigisse Theocritus visus est quàm Virgilius, hoc Græcæ linguæ ingenio debuit, quæ Latinâ ditior suas tam ruri, quàm urbi opes accommodat.

Scripsit Eclogas decem Virgilius, quarum septem tantùm Bucolicæ sunt. Tres reliquæ, Pollio scilicèt, Silenus et Gallus, quia in iis argumentis versantur, quæ Pastoralem simplicitatem superant, Bucolicæ dici non debent.

Ecloga *Prima* continet querelas de miseriâ publicâ, et privatam de agro recepto gratulationem, diciturque TITYRUS. *Secunda* significationem benevolentiæ, et ALEXIS vocatur. *Tertia* certamen Pastorum, et PALÆMON inscribitur. *Quarta* Genethlia, et appellatur POLLIO. *Quinta* Epitaphium, et habet nomen DAPHNIS. *Sexta* Metamorphosim, et dicitur VARUS et SILENUS. *Septima* Amores varios, et CORYDON appellatur. *Octava* Pharmaceutria, et DAMON inscribitur. *Nona* Poetæ expostulationem, et vocatur MŒRIS. *Decima* Galli desiderium complectitur, et dicitur GALLUS.

CAPUT V.

De Carmine Didactico.

ARTICULUS PRIMUS.

De Definitione et Naturâ Carminis Didactici.

CARMEN Didacticum, quod à voce Græcâ διδασκω *doceo* dicitur, est illud, quod præceptis continetur, et homines varias ad artes informandos suscipit. Hoc præstitit Hesiodus, qui in eo opere, quod inscripsit, Εργα και ἡμέραι hoc est, *Opera et dies*, multas de Moribus, de Politicâ, de Œconomiâ, de Re maritimâ, de Agriculturâ præceptiones impertit. Id ipsum Virgilius Hesiodum imitatus perfecit in suis Georgicorum Libris quatuor, qui præcepta de Agriculturâ exercendâ complectuntur.

Carmen Didacticum nullum argumenti genus respuit, cùm res nulla fit, de quâ tradi præcepta non possint.

Quod spectat ad Formam seu virtutem illius Poematis, hæc est, opinor, si arida ex sese ac jejuna præcepta rerum pulchritudine ac varietate illustrentur, si dictio sit elegans ac concinna, si nativæ splendidæque descriptiones abundent, si lepidis narratiunculis, Poeticis fictionibus, inventis bellè Fabulis fastidiosa præceptorum series interrumpatur; quâ in re Virgilius excelluit, uti jam jam exponemus.

ARTICULUS II.

De Poetis Didacticis Græcis.

HESIODUS.

Hesiodus in Ascrâ Beotiæ vico natus, undè Ascræus dictus est, Homero antiquior fuit, ut quidam volunt, multò junior, ut aliis placet, æqualis, ut fert communis opinio; vixit paulò ante primam Olympiadem.

Ut Theogoniam Hesiodi, hoc est Deorum genealogiam, de quâ nihil ad hunc locum pertinet, sileamus; exstat opus illud, cujus est hæc inscriptio Ἐργα καὶ ἡμέραι, quod suscepisse Hesiodus dicitur, ut homines ad laborem stimularet. Continet hic Liber, ut jam diximus, multa moratæ vitæ præcepta, quæ cum Rem maritimam, tum Agriculturam spectant.

Raro assurgit, inquit Quintilianus *L.* 10. *c.* 1. *magnaque pars ejus in nominibus est occupata. Tamen utiles circa præcepta sententiæ lenitasque verborum, et compositionis probabilis: Daturque illi palma in illo medio genere dicendi.*

At Paterculus æquiùs sensit de Hesiodo *L.* 1. *Hist. Vir enim*, inquit, *perelegantis ingenii et molissimâ dulcedine carminum memorabilis, otii quietisque cupidissimus, ut tempore, tanto viro*, (Homerum intelligit) *ita operis auctoritate proximus.*

Nemo quidem Hesiodo, nisi perperàm, detraxerit styli simplicis, nativi, æquabilis molliterque fluentis gloriam: nemo non fateatur utilitatem ex ejusdem præceptionibus percipi posse plurimam. Verùm neque natura rerum, quas

tractavit, neque ipsa tractandi ratio primarium ipsi Poetas inter Heroicos locum vindicant.

OPPIANUS.

Cilix fuit Oppianus è civitate Anazarbo sive Coryco. Vixit Imperante Antonino Caracallâ, cui obtulit geminum Poema Didacticum, alterum de Piscatione, de Venatione alterum, non sine maximâ doctrinæ commendatione. Hujus opera, cùm apud Imperatorem recitata essent, donatus est in singulos versus aureo statere, ut viginti millia aureorum pro omnibus acceperit. Quæ liberalis Caracallæ munificentia fecit, ut multos post annos carmina Oppiniani aurea appellarentur. Mortuus est trigesimo ætatis anno ex peste Anazarbi sæviente. Eum cives honorificentissimè sepelierunt, erectâ ad ejus monumentum statuâ, quam eximio Epigrammate consiggnarunt.

ARTICULUS III.

De Poetis Latinis Didacticis.

LUCRETIUS.

Titus Lucretius Carus Philosophus idem et Poeta natus est anno conditæ urbis 659. suâ se ipse confodit manu, cùm sumpto poculo actus in furorem fuisset. Is, ut Romanorum animos Philosophicis præceptionibus imbueret, sex omninò Libros de Mundi constitutione versibus edidit; hæc enim fuit Lucretii mens, cùm se ad scribendos versus de Philosophicis rebus accingeret, quemadmodùm ipse testatur, ut argumentum

austerum ex sese et abstrusum amœnitate carminis condiret. *Lib.* 1.

Ac veluti pueris absinthia tetra medentes
Cùm dare conantur, priùs oras pocula circum
Adspirant mellis dulci flavoque liquore.
. . . .
Sic ego nunc, quoniam hæc ratio plerumque videtur
Tristior esse, quibus non est tractata, retròque
Volgus abhorret ab hac, vòlui tibi suaviloquenti
Carmine Pierio rationem exponere nostram,
Et, quasi musæo, dulci contingere melle.

Quale verò judicium ferendum sit de Lucretii Poemate declarat docta retrò antiquitas, quæ eximiis Lucretium laudibus decoravit. Agnoscit in eo Tullius *Lib.* 2. *Epist. ad Q. Fr.* lumen ingenii cum arte multâ conjunctum. Eundem Quintilianus elegantem dicit, *Lib.* 10. *C.* 1. etsi fatetur esse difficilem: non quòd versus ejus multo nitore non polleant, sed quòd ea tractarit, quæ subtiliora sunt ex sese et plerumque recondita; quibus tamen ipse lucis plurimùm dilucidâ scribendi ratione contulit. Illum Ovidius, Statius versibus suis commendavere, ut recentiores omittam benè multos, qui testimonio veterum suo ipsi suffragati sunt. Enimverò nemo Lucretium evolvat attentiùs, qui ingenii ipsius aciem, elegantiam, eruditionem, Latinitatem sermonis non miretur.

Neque tamen vitiorum expers fuisse dicendus est. Nam de moribus ejus nequid attingam, qui divinam Providentiam negaverit, et è rerum naturâ numen omne ità visus fuerit sustulisse, ut fortuito atomorum concursu coaluisse regique cuncta ac gubernari docuerit; culpari meritò debet, quòd durior suis in versibus, quòd in scribendo fusus nimis ac laxus, quòd antiquatis

vocibus, quas revocare postliminio putidiùs affectat, styli sui amœnitatem puritatemque non mediocriter detriverit.

VIRGILIUS.

Quatuor Libros Didacticos edidit Virgilius, qui ab eo Georgica inscripta sunt. Georgicorum nomen à γεωργὸς agricola : hoc autem à γαῖα sive γέα *terra*, et ἔργον *opus*, dicitur. Quæcumque enim his Libris continentur, hæc ad agriculturam pertinent. Primus multiplicem arandi colendique agri rationem tradit. Secundus de serendis producendisque arboribus tractat. Tertius agit de pastu cultuque pecorum. Quartus de Apibus et procreando melle disserit.

Huic se operi Virgilius applicuit adultâ jam ætate, cùm ingenii maturitatem adeptus, sedulam ac felicem in formando perficiendoque stylo operam posuisset. Illud exorsus sub Mecœnatis oculis pariter atque auspiciis, per cujus gratiam aditum ad ipsius Octaviani Cæsaris benevolentiam pertentabat, septimo tandem anno complevit, qui fuit ab Urbe conditâ septingentesimus vigesimus quartus.

Neque verò ita se capi passus est incredibili omnium admiratione, quam vulgatus Georgicorum Liber auctori suo statim pepererat, quin eundem decimo post anno, qui Poetæ mortem præcessit, diligenter recognosceret ; et à lætissimis rerum eventis nactus locum adulandi Augusto Cæsari, multâ leporum ac gratiarum segete probatissimum jam opus cumularet. Hinc novum decus Georgicis accessit, quæ novis vicissim excepta plausibus palmam Latini Carminis Virgilio meruere. Nihil enim deest huic operi vel concinnitatis et elegantiæ ad Dictionem, vel varie-

tatis ad pulchritudinem, vel amœnitatis ad levandum præceptionum fastidium, vel Poeticæ fictionis ad Fabulam, vel urbanitatis aulicæ ad commendationem Octaviani Cæsaris, cujus aucupari benevolentiam ante omnia contendebat.

Fecit Virgilius in Georgicis, ne rei cujusquam expers et imperitus haberetur, tam bellè tamque scienter de unaquâque disciplinâ disseruit. Nunc Philosophus, aut recondita naturæ arcana scrutatur et explicat; aut solers ac sagax supremum Numen attingit, et Platonicorum more suas ipsi dotes astruit atque perfectiones; aut mores informat documentis salubribus, modestiæ tenax semper ac pudoris, vel dùm argumenti sui necessitate ad ea describenda descendit, quæ naturam, ut salvis verecundiæ legibus narrari possent, non habebant. Modò peritus Astronomus astrorum cursus cœlorumque conversiones ità metitur, ut non tam Agricolas, quàm ipsos agrorum dominos et curiosos motuum cœlestium scrutatores erudiat. Mox experiens Geographus per varias orbis plagas à Gadibus usque Auroram et Gangem discurrit, et locorum situm ac nomina, proprietates regionum, soli cujusque ingenium ex fabulæ pariter atque historiæ monumentis designat. Jam quasi ætatem totam in perdiscendis temporum suorum religionibus contrivisset, Deorum cultum, sacrorum originem, ceremonias, ritus, Pontificum jura, sacras civilesque leges describit. Denique tam referti sunt quocumque eruditionis genere Georgicorum Libri, nihil ut ad perfectam veteris Romæ cognitionem desiderandum reliquerint.

MANILIUS.

Vixit Caius Manilius extremis Augusti Cæsaris

temporibus, quamvis ejus dictio suadere quibusdam videatur, floruisse ipsum sub Theodosio seniore, eumque esse non Manilium, sed Theodorum Manlium, quem Claudianus laudat à scientiâ syderum in suo, quem ad eum scripsit, Panegyrico. Ut ut est, exstant ipsius Libri quinque de re Astronomicâ, quibus inter reliqua inveniuntur prima Spheræ elementa Latinis versibus reddita. Stylus ejus facilis in materiâ difficili et nondùm tentatâ, quamvis multùm dissimilis ab eâ puritate et elegantiâ quam Augusti tempora præferebant. Ceterùm laudatur multis à gravitate sententiarum, à moratis egregiè præceptionibus, quas cum ad omnium, tum ad juventutis præcipuè captum atque indolem temperavit.

COLUMELLA.

Gadibus in Hispaniâ natus est Columella, anno Imperantis Augusti 42. Romæ scripsit Libros de Re rusticâ, et quod Virgilius tractandum aliis reliquerat, multa de Hortorum culturâ præscripsit. In pretio fuit inter cætera Poetæ illius Latinitas, quæ hodièque tanquam purissimi sermonis exemplar ac regula ab omnibus sinceræ Latinitatis amantibus observatur.

Callimachi numeris non est dicendus Achilles;
Cydippo non est oris, Homere, tui.

Quare idem Ovidius, cùm Elegiacos numeros Fastis suis aptasset, queritur, quòd Elegia argumenti hujus gravitati minùs conveniat. *Fast.* 2.

Quid volui demens Elegis imponere tantum
Ponderis? Heroici res erat ista pedis.

ARTICULUS III.

De Auctore Elegiæ.

Quis Elegiaci Carminis Auctor exstiterit, res erat ipsis Horatii temporibus penitùs incerta. Sic enim *in Arte* loquitur.

Quis tamen exiguos Elegos emiserit auctor,
Grammatici certant, et adhuc sub judice lis est.

Tamen Strabo Elegiæ principem appellat Callinum, qui Terentiano Mauro Callinous dicitur.

Pentametrum, dubitant, quis primus finxerit auctor;
Quidam non dubitant dicere Callinoum.

Eandem Strabo tribuit Mimnermo Colophonio gloriam, qui septem Sapientibus antiquior fuisse narratur. Illius carmina solis amoribus referta fuisse testantur Horatius et Propertius. Horatius quidem *L.* 1. *Ep. ad Num.*

Sin, Mimnermus uti censet, sine amore jocisque
Nil est jucundum, vivas in amore jocisque.

Propertiùs verò.

Plus in amore valet Mimnermi versus Homero.
Carmina mansuetus lævia quærit amor.

Post illos, Elegiaci Carminis laudem tulerunt Callimachus Cyrenæus, et Philetas Cous: quos

Elegiæ principes Quintilianus appellat *L.* 10. *c.* 1. *Tunc et Elegiam vacabit in manus sumere, cujus princeps habetur Callimachus: secundas plurimorum confessione Philetas occupavit.*

De iisdem loquitur Propertius *L.* 2. *Eleg.* 34.

Tu satiùs mollem musis imitere Philetam,
Et non inflati somnia Callimachi.

Et *L.* 3. *Eleg.* 1.

Callimachi manes et Coi sacra Philetæ
In vestrum, quæso, ne sinite ire nemus.

Et rursùs *ibid. Eleg.* 8.

Inter Callimachi sat erit placuisse libellos,
Et cecinisse modis, Coe Poeta, tuis.

ARTICULUS IV.

De Elegiæ Virtutibus.

Prima virtus Elegiæ est, nihil ut sit in Elegis vel nimis quæsitum arte, vel accersitum longiùs; nihil quod ex ipsâ re, quæ se offert, natum non putes: ut absit pigmentum omne, fucusque puerilis: ut splendeat nativa quædam pulchritudo, quam neque minium neque cerussa corrumpant. Denique ut affectus animi, qui pinguntur, ità se prodant, ut nemo sentire aliter aut loqui se posse sibi videatur.

Altera carminis Elegiaci dos ac virtus est, orationis suavitas et amœnitas liberalis, quæ nativos sensus exornet quidem, et rebus ipsis leporem conferat et gratiam, sed petulantiam excludat omnem, aut verecundas minùs imagines, quibus offendatur ingenuus pudor, et castis integrisque moribus labes inferatur. Etenim exulent procul

protervi mollioresque Elegi, qui placere Lectoribus non possunt, nisi vitient eosdem et ad pravitatem erudiant.

Denique Elegiæ laus ultima ad Dictionem pertinet; quam stylus molliter fluens et æquabilis inprimis commendat. Ergo vitentur in Elegis duriores soni, crebræ syllabarum collisiones et asperi vocum concursus, qui teretes et delicatas aures lædunt. Hac parte vitiosus plerumque Catullus occurrit.

Jam Pentametri versûs exigit gratia, ut dissyllabâ voce concludatur, neque trissyllabam aut plurium etiam syllabarum nisi raró admittat; ut voces adjectivas, adverbia et participia in fine non patiatur.

ARTICULUS V.

De Poetis Elegiacis Græcis.

CALLIMACHUS.

Callimachus Cyrenensis in Africâ vixit Ptolomæi Philadelphi et Ptolomæi Evergetæ temporibus, princeps Elegiaci Carminis à Quintiliano appellatus. Claruit, inter Poetas veteris Græciæ, politioris elegantiæ gloriâ. Restant è scriptis Callimachi Libri duo: alter Hymnorum, Epigrammatum alter. Cætera periisse dolet Henricus Stephanus. Ejus carmina imitatus Propertius est, et Catullus è Græcis Latina se fecisse testatur. De Callimacho reliquit hoc testimonium Ovidius.

Battiades toto semper celebrabitur orbe;
Quamvis ingenio non valet, arte valet.

Quod ita interpretantur quidam Callimachi defensores, non quòd censeret Ovidius nullâ

præstitisse ipsum ingenii laude, sed quòd accuratiori cuidam diligentiæ magis, quàm ingenii famæ studuisse videretur.

De Callino sive Callinoo, Mimnermo, Philetâ cæterisque Poetis Elegiacis Græcis nihil est quod adjiciamus, præter ea quæ jam de illis dicta sunt Articulo 3.

ARTICULUS VI.

De Poetis Elegiacis Latinis.

CATULLUS.

C. Valerius Catullus Veronæ natus est anno conditæ Urbis exeunte 668. ante Christum 90. Vivendi finem fecit anno ætatis 30, ab urbe conditâ 697. Amicus Ciceronis fuit, et cùm ab eodem, tum ab eruditissimis Romanæ Reipublicæ viris magno habitus in pretio; quos ille sibi festivitate ingenii et liberiore scribendi facultate demerebatur. Eximius cultor purissimæ Latinitatis, quam illi laudem nemo detrahit, duriusculus suis in Elegis visus est. Verùm, ut tenebat multos his temporibus turpissima prurigo obscœna quæque garriendi pariter ac scribendi, nullis pepercit impuritatibus, propter quas tanquam exitiosus pudoris scopulus declinandus est.

TIBULLUS.

Albius Tibullus eodem quo Ovidius natus est anno, qui fuit Urbis conditæ 711, ante illum mortuus. Palmam Elegiaci carminis tulisse fertur Quintiliani judicio, cui tersus atque elegans maximè Elegiæ auctor visus est. Neque hanc ipsi laudem multi pariter Critici invident, tam politus ubique et suî semper similis agnoscitur!

Scripsit quatuor Elegiarum Libros, quarum ultimus Messalæ laudes et aliquot Epigrammata continet. Is tribus prioribus multùm absimilis et properatæ nimiùm artis accusatur.

OVIDIUS.

Pub. Ovidius Naso Sulmone natus anno Urbis conditæ 711, ante Christum 39. Mortuus est in exilio suo Tomis minoris Scythiæ anno urbis 770, Christi 21, Tiberii 3.

Citra controversiam quidem omnium est, Ovidium eâ præstitisse ingenii gloriâ et scribendi carminis facilitate, quæ Poetarum nemini visa est contigisse. At conscius ipse sibi indolis illius, quam erat nactus ad poesim, dùm genio suo indulget liberiùs, fecit ne tam accuratus ac diligens evaderet. Arguitur in ejus operibus juvenilis luxuries et impotens quædam dicendi multa perfas ac nefas prurigo, quam compescere prudentia debuisset. Nihilominùs videtur Tibullo atque Propertio præferendus, quòd in imitandâ naturâ solertior, in exprimendis ciendisque teneris quibusque affectibus, quæ dos est Elegiæ potissima, utroque felicior exstiterit.

Heroides Ovidianæ habentur apud omnes tanquam amœnissimus et exquisitissimus ingenii partus, in quo natura tota sine fuco se prodit, et humani cordis, quod varii cupiditatum motus concitant, indoles agnoscitur. Cui si maturioris judicii gravitas accessisset, nihil ad perfectissimi operis consummationem desiderandum videretur.

Regnat in ejusdem Tristibus et Libris de Ponto par amœnitas et ingenii politioris cultura, quam non modò non deterit Poetæ exulantis

luctus ac dolor, sed novo etiam lepore condit ac cumulat. Tamen ignoscendum illi quidam nòn putant, quòd tam in exemplis, quàm in comparationibus nimis sit frequens, neque vel in eo opere sibi ab innatâ scribendi luxurie satis temperet.

In Fastis maturum ætate virum Ovidius se offert, qui cæteris in operibus junior videri possit. Adeò potens ubique suî est, et justis argumenti sui finibus se continet. Illic antiquitatis eruditæ mònumenta tantâ concinnitatis gratiâ pertractat, ut, dùm Lectoris curiositatem incendit, ejusdem tædio ac fastidiis occurrat. Dignus vel ob id unum opusculum eâ Carminis Elegiaci gloriâ, quam sibi ipse vindicare non metuit.

Tantùm se nobis Elegi debere fatentur,
Quantùm Virgilio nobile debet opus.

Habemus tantùm sex primos ejus Fastorum Libros: sex ultimi temporum injuriâ periere.

Nihil hîc attinet dicere de Amorum Libris, qui utinam aut lucem vidissent nunquam, aut nemini nisi auctori nocuissent suo. Videant purissimæ religionis cultores, quam injiciant de se probitatis opinionem, apud quos turpissimæ obscœnitates in pretio sunt; quas nec ipsa inverecundæ superstitionis licentia tolerandas judicavit.

PROPERTIUS.

Sextus Aurelius Propertius natus in Umbriâ sub Augusto vixit, et quatuor scripsit Elegiarum Libros, qui eâdem laborant obscœnitatis contagione, quæ Ovidium infecit. Cæterùm floret eruditionis laude, sublimitate ingenii; et quan-

quam subobscurus identidem, amœnitatis gratiâ non caret.

CAPUT VII.

De Satirâ.

ARTICULUS PRIMUS.

De Nomine ac Definitione Satiræ.

SATIRÆ nomen alii deducunt à Satiris agrestibus Diis petulantibus ac protervis, propter similitudinem quam habere Satiram existimant cum Satiricâ Poesi et veteri Græcorum Comœdiâ, in quâ Satiri inducebantur in scenam, qui mordaci dicacitate et amaris salibus hominum vitia insectabantur. Alii petunt Satiræ nomen à voce *Saturâ*, hoc est plenâ, refertâ, quæ vox adjectiva est, et refertur ad substantivam vocem *Lance*, quæ subticetur. Erat autem Lanx satura genus quoddam paropsidis variis frugibus ac fructibus refertæ, quæ sacris Cereris ac Bacchi tanquam totius anni primitiæ inferebatur, et à copiâ et saturitate rei vocabatur simpliciter *Satura*. Hujus generis Lancium meminit Virgilius in Georgicis *L*. 2.

Ergo ritè suum Baccho dicemus honorem
Carminibus patriis, Lancesque et Liba feremus.

Quare Carmen illud quod variis refertum est rebus, et per omnia vitia sine ordine ullo aut limite vagatur, Saturæ sive Satiræ nomen tulit, immutatâ Litterâ, quemadmodùm pro *optumus* et *maxumus*, dictum est *optimus* et *maximus*.

Hinc Juvenalis Satiras suas à vario argumento, quod continent, farragini comparat. *Sat.* 1.

> Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
> Gaudia, discursus, nostri farrago Libelli.

Posterior hæc Satiræ etymologia tantò probabilior videri debet, quantò cupidiùs speciem illam Carminis tanquam sibi propriam Romani vindicant, quæ nihil à Græcâ Poesi mutuata sit. Hinc Quintilianus de Satirâ loquens, *L.* 13. *c.* 1. *Satira*, inquit, *tota nostra est.* Quod ipsum multò ante statuerat Horatius *L.* 1. *Sat.* 10. Satiram testatus intactum Græcis carmen esse.

ARTICULUS II.

De Satiræ Origine atque Progressu.

Primus scripsisse Satiram dicitur Lucilius, auctore Horatio ita loquente de Satira. *L.* 2. *Sat.* 1.

> Quid cùm est Lucilius ausus
> Primus in hunc operis componere carmina morem.

Cui suffragatur Quintilianus *L.* 10. *c.* 1. *Satira*, inquit, *tota nostra est, in quâ primus insignem laudem adeptus est Lucilius.* Hoc tamen tam Horatii, quàm Quintiliani testimonium non ità accipiendum est, quasi nullus è Romanis ante ipsum scripserit Satiram, sed quod perfectior huic operi forma per Lucilium accesserit.

Altiùs enim Romanæ Satiræ repetenda origo est, quam deducit Livius *L.* 7. ab Etruscis Ludionibus, quos in Urbem accitos imitata juventus Romana Fescennino more alternis sese

provocavit versibus. Hùc referendum illud Horatii, *L.* 2. *Ep.* 1.

> Fescennina per hunc inventa licentia morem,
> Versibus alternis opprobria rustica fudit.

Atque hic primus veluti gradus Romanæ Satiræ fuit: cui successit alter, inquit idem Livius *L.* 7. *qui, non sicut ante, Fescennino versu similem, incompositum temerè ac rudem alternis jaciebant, sed impletas modis Satiras, descripto jam ad tibicinem cantu motuque congruenti, peragebant.*

Post aliquot annos natus Andronicus à Satiris ad Fabularum argumenta spectantium animos transtulit, quas Græcorum Tragœdias ac Comœdias imitatus per Histriones exhibuit. Tunc interruptæ tantisper Satiræ sunt, vel spectaculi novitate, vel perfectiore operis formâ, quæ curiositatem incenderet. Sed Romana juventus non ita multò post Exodia, hoc est veteres jocos, quæ erat primùm ab Oscis mutuata, reduxit; qui non excluderent quidem Andronici vel aliorum Dramata, sed eadem subsequerentur, et seria nimis Fabularum argumenta festivitate suâ temperarent. Verùm hi joci, mutato Satiræ nomine, Exodia vocata sunt, quàm deindè appellationem retinuere. Donec Ennius, qui senserat placuisse Romanis priscum Satiræ genus, revocavit illam postliminio, et novum Poema aggressus est, quod extra Scenam castigaret vitia, Comœdiæ Veteris more, et censuram cum jocis conjungeret.

Hunc secutus posteà Pacuvius, qui in hoc opus dùm acriùs incumbit, supervenit demùm Lucilius; et rudem neque politam satis Satiram ità perfecit, ut ejusdem inventor primus haberi

meruerit. Namque Ennii et Pacuvii Poemata, quæ variis è carminibus erant conflata non imitatus, ipse Hexametrum unum adhibuit, multoque sale et aceto infectam vitiis urbem defricare conatus est. Hujus deinceps vestigiis insistens Horatius, ad summum perfectionis apicem evexit Satiram, et exemplar suum longo intervallo superavit.

Alterum Satiræ genus laudat Quintilianus, cujus auctorem facit Terentium Varronem, quem eruditissimum Romanorum appellat. Ille, etsi Lucilio ætate multò inferior, non tamen suis in Satiris eam secutus est scribendi formam, quam Lucilius induxerat; sed Ennii et Pacuvii more non tantùm adhibuit varietatem versuum, sed prosam carminibus, et Græca Latinis miscuit, diligens inprimis Menippi Philosophi Cynici imitator. Hinc Satiræ Varronis Menippeæ.

ARTICULUS III.

De Satiræ Naturâ atque Indole.

Nunc excutiendum incumbit nobis quid Satira sit, et in quâ materiâ se se exerceat. Satira Carmen est salsum et mordax carpendis hominum vitiis et emendandis moribus institutum.

Indè colliges Materiam Satiræ esse hominum vitia, Formam ejusdem leporem ac dicacitatem, Finem verò emendationem morum.

Ergo in notandis hominum vitiis atque erroribus Satira tota occupata est, veterem in eâ re Græcorum Comœdiam imitata, quæ magnâ cum libertate, quod erat in unoquoque vitiosum, insectabatur. Hoc testatur Horatius *L.* 1. *Sat.* 4.

Eupolis atque Cratinus, Aristophanesque Poetæ,
Atque alii, quorum Comœdia prisca virorum est;

Si quis erat dignus describi, quòd malus, aut fur,
Quòd mœchus foret, aut Sicarius, aut alioqui
Famosus, multâ cum libertate notabant.
Hinc omnis pendet Lucilius, hosce secutus
Mutatis tantùm pedibus.

Hoc verò familiare Satiræ est, uti et veteri Comœdiæ, ut in mores non tantùm generatìm, sed etiam singulatìm invehatur; neque tam præterita, quam sui temporis vitia coarguat. Ac sicut Aristophanes Cleonem, Hyperbolum, Alcibiadem et alios ejus ætatis viros exagitat; ità Lucilius Mutium, Lupum et alios sui temporis famosos criminibus Romanos reprehendit. Quare Persius, *Sat.* 1.

Secuit Lucilius urbem,
Te Lupe, te Muti, et genuinum fregit in illis.

Neque tamen à Satirâ proborum virorum laudes excluduntur penitùs. Nam Lucilius Scipionem laudavit, Horatio teste. *L.* 2. *Sat.* 1.

Attamen et justum poteras et dicere fortem
Scipiadem, ut sapiens Lucilius.

Nec ipse Horatius multis in locis à laudibus cum Mecœnatis, tum Augusti et plurium aliorum abstinuit.

Duplex autem increpandi vitia modus est, in quo Satiræ Forma constituitur: alius acrior et apertior, jocosus alius et occultus. Priorem Lucilius et Juvenalis sectati sunt, qui dicacem mordacemque stylum, nullâ vel ætatis, vel sexûs, vel conditionis habitâ ratione, in pravos sui temporis mores distrinxerunt. In posteriore se magis amavit Horatius; cujus in Satiris plus leporis atque artis, quam vis et acrimoniæ deprehendas. Fortè quia senserat. *L. Sat.* 10.

Ridiculum acri
Fortiùs ac meliùs magnas plerumque secat res.

Hinc illud Persii de Horatio judicium. *Sat.* 1.

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, et admissus circum præcordia ludit,
Callidus excusso populum suspendere naso.

Denique hunc sibi finem Satira proponit, non secùs ac Vetus Comœdia, ut, increpando vitia, mores corrigat, et emendet. Et propterea in excutiendis vitiis tota versatur; nec gravia ac digna Cothurno argumenta tentare debet, teste Persio, *Sat.* 5. sed ea relinquere Tragœdiarum Scriptoribus.

Ore teres medico pallentes radere mores
Doctus, et ingenuo culpam defigere ludo.
Hinc trahe, quæ dicas, mensasque relinque Mycenis,
Cum capite et pedibus, plebeiaque prandia nôris.

ARTICULUS IV.

De Dictione Satiræ propriâ.

Carmen Hexametrum Lucilius omnium primus solum adhibuit in Satiris, aliam à Græcis Comicis, quorum imitator fuit, secutus rationem, cùm illi Iambo potiùs convicia jactarent sua. Illum obiter carpit Horatius, quasi tam serviliter Græcorum vestigiis institerit, nihil ut præter formam carminis mutaverit. *L.* 1. *Sat.* 4.

Hinc omnis pendet Lucilius, hosce secutus,
Mutatis tantum pedibus.

Dictio Satiræ Poetica esse non debet, si quid Horatio creditur: imò pedestrem ipse ubique orationem affectare se profitetur. *L.* 2. *Sat.* 6.

Quid priùs illustrem Satiris, musâque pedestri?

Quare Satiras suas *sermones* vocat, qui nihil

differant ab usu loquendi familiari et quotidiano. *L.* 2. *Sat.* 6.

> Albi, sermonum nostrorum candide judex.

Ac propterea expungendum se putat Poetarum è numero, cujus in versibus nec dictio, nec Poeticus numerus deprehendatur. *L.* 1. *Sat.* 4.

> Primùm ego me illorum, dederim quibus esse Poetas,
> Excerpam numero; neque enim concludere versum
> Dixeris esse satis; neque, si quis scribat, uti nos,
> Sermoni propiora, putes hunc esse Poetam.

Tamen hanc sibi normam servandam esse non censuit Juvenalis, cujus stylus sublimis, dictio Poetica et numerosa Satiricam dicacitatem exornant. Propter quæ visus est non paucis primarium inter Satiricos Poetas locum meruisse. Neque verò Nostrates Galli, qui Satiras conscripsere, Poeticam concinnitatem atque elegantiam negligendam putaverunt, placituri multò minùs, nisi Poemata sua istis Poeseos deliciis condiissent. Adeò non videtur ad Satiræ indolem pertinere, ut vulgari pedestrique sermone semper incedat.

ARTICULUS V.

De Poetis Satiricis Latinis.

Græcos non attingimus, qui aut nulli fuerunt à Veteri Comœdiâ distincti, si qua vel Horatio, vel Quintiliano, quos jam laudavimus, fides habeatur, vel eorum scripta ad nos usque non pervenerunt.

Theognis tamen videtur sibi locum aliquem inter Satiricos vindicare, cujus exstant egregia omninò præcepta, quibus cùm ad virtutem impellit, tùm à vitiis deterret. Huic æqualis fuit

Phocylides, qui reliquit Poema Admonitorium, quo præclaræ vivendi benè præceptiones continentur.

LUCILIUS.

Caius Lucilius Aruncæ natus anno conditæ urbis 605. ante Christum 149. Neapoli mortuus est anno ætatis suæ 46. Is, uti jam diximus, Satiræ primus auctor nuncupatur, non quòd nemo ante ipsum scripsisset Satiras, sed quòd perfectiorem formam huic Poematum generi contulisset. Hanc illi laudem Horatius ultrò tribuit, qui multis eundem in rebus arguit: putà, quòd accuratus parùm in scribendo sit, quòd lutulentus fluat, quòd suis in versibus durus inveniatur, uno verbo, quòd piger scribendi laborem non ferat. Tamen aliter sentit de Lucilio Quintilianus. *L.* 10. *c.* 1. qui, etsi non suffragatur eorum testimonio, qui non modò Satirarum Scriptoribus, sed omnibus etiam Poetis Lucilium præferebant, tamen non dissimulat mulctatum iniquiùs ab Horatio fuisse Lucilium, in quo miram eruditionem, libertatem, acrimoniam et abundantiam salis agnoscit. Sed quid tam mirum est, si figulus figulo invideat. Triginta Libros Satirarum scripsisse Lucilius dicitur, quorum aliqua tantùm supersunt fragmenta.

HORATIUS.

Quintus Horatius Flaccus patriâ Venusinus natus est anno Urbis conditæ 689. Romæ mortuus anno 746. ætatis suæ 57. Satiricorum Poetarum facilè Princeps habendus, licèt quidam illi Juvenalem prætulerint. Plenæ sunt tam ipsius Satiræ, quàm Epistolæ documentis egregiis, quibus virtutum omnium et moratæ vitæ funda-

menta continentur. Regnat ubique amœnitas et urbanitas quædam, quibus Satiræ acerbitatem temperat. Sic ut monendo placeat, et ridendo castiget.

Nemo aulicus tam comis et in aucupandâ Principum gratiâ tam solers. In fabulis facetus, festivus, in præceptionibus, in rebus maximè seriis admirabili lepore semper et acuto sale conditus. Reprehenderunt in eo quidam simplicitatem styli, et nimiam in scribendo negligentiam. At id ipsum affectasse visus est, dùm Satiras suas *Sermones* inscripsit, quasi nihil à familiari sermone differrent, neque propter elucubrata ejusmodi Poemata referendum se inter Poetas censuit. Porrò quàm sit Poeta sublimis et elegans, conjicere licet ex Lyricis ipsius versibus, in quibus non minorem, quàm in Satirâ gloriam promeruit. Cæterùm vel in pedestri sermone, quem sectatus est, tam fuit cultor diligens Latinæ puritatis, ut ad eam nullus accesserit.

JUVENALIS.

Decius Junius Juvenalis vixit Domitiani temporibus, Aquinis in Italiâ natus. Sexdecim scripsit Satyras, quas quinque Libris complexus est. Habuit admiratores suos ac fautores, apud quos eam meruit laudem, ut extremam Satiræ manum imposuisse, et multò superior Satiricis vatibus, ipsique adeò Horatio censeretur. Equidem fuit vehemens inprimis ac mordax apertusque vitiorum hostis atque objurgator, sententiarum gravitate nobilis, ipsâ dictione sublimis et ornatus. At, quod ille acrimoniâ suâ et elato dicendi genere tentavit, id Horatius ingenii elegantiâ, urbanis salibus, et nativâ purâque styli simplicitate perfecit. Huc inclinant sanioris Cri-

ticæ momenta, quæ sic Juvenalem Horatio subjicit, ut reliquis Satirarum Scriptoribus eundem anteponendum arbitretur.

PERSIUS.

Aulus Persius Flaccus Volaterris natus in Toscaniâ, aut in Liguriâ, ut alii scripsere, anno Christi 54. [vixit annos octo et viginti. Scripsit Librum unum, Satiras omninò sex continentem. Non conveniunt Veterum de Persio testimonia cum recentioribus. Laudatur à Martiali, cujus est hoc de Persio testimonium et elogium. *L.* 4. *Ep.* 29.

> Sæpiùs in Libro laudatur Persius uno,
> Quàm levis in totâ Marsus Amazonide.

Plurimi eum fecit Quintilianus, qui de eo sic loquitur *L.* 10. *c.* 1. *Multùm et veræ gloriæ, quamvis uno Libro, Persius meruit.* Eundem Critici recentiores reprobant propter obscuritatem et affectatam sublimioris doctrinæ opinionem: quâ fit ut multis in locis vix intelligatur. Et in eo culpandus quibusdam visus est, quasi Satiræ legem ac formam prætergressus sit, qui neminem appellet; et quos censurâ dignos judicavit, satis habuerit sub fictis nominibus designare. Undè nova Lectoribus difficultas nascitur ad rerum intelligentiam assequendam.

Verùm hæc ipsa obscuritas excusatione omni non caret. Nam cum Persius suis in Satiris Stoicam disciplinam, quæ tum erat in pretio, ineptamque Neronis in scribendis versibus ostentationem, et quæ secretiore Principis in aulâ contra fas et æquum fierent, insectanda sibi proposuisset, non videbatur è Poetæ prudentiâ, vel

loqui apertiùs, vel suo quemquam nomine appellare. Quæ tamen omnia cùm eos non laterent, qui vivebant his temporibus, admiratores Persio pepererunt; eademque, quia ignorantur à posteris, fastidium atque contemptum afferunt.

CAPUT VIII.

De Carmine Lyrico.

ARTICULUS PRIMUS.

De Carminis Lyrici Origine et Nomine.

Ab ipsis penè mundi incunabulis repetenda Lyricæ Poeseos Origo est, neque frustra numerum et harmoniam naturæ hominum fuisse ingenita Aristoteles agnoscit. Prima Lyrici Carminis vestigia apud Hebræos deprehendimus in illo solemni Cantico, quod Moyses, submerso Pharaonis exercitu, supremi Numinis in laudem unà cum populo celebravit. Hoc porrò Carmen etsi certis pedibus non adstringitur, eâ nihilominùs sublimitate rerum et sermonis majestate refertum est, quam nec ipsi Lyrici Carminis principes, ne longo quidem intervallo, sunt assecuti. Neque mirum est, si, quos Divinus Spiritus afflaverat, ii grandiùs quiddam atque magnificentiùs saperent, quàm quos Poeticus ardor inspirasset.

Ejusdem generis sunt Davidici Psalmi et Cantica Salomonis, in quibus vis eadem, idem orationis splendor elucet, quibus Lyrica Poesis maximè commendatur.

Neque tamen singularis isthæc Hebræi populi

prærogativa prohibet, quominùs Lyrici Carminis auctores Græci nuncupentur; qui cùm nullam legantur cum Hebræis, quos imitari possent, habuisse commercium, Lyricam Poesim apud se natam fuisse non temerè gloriantur.

Rudiora quidem fuere illius Poeseos initia, quæ cæteris Poematum generibus ortum deindè et incrementum dederunt. Nam rusticos inter et agrestes prodiit, qui longis defuncti laboribus conveniebant identidem, et festivos invicem agebant dies, in quibus Deorum laudes decantabant, ex temporaneis et natis hilares inter epulas Canticis. Mox addita sunt instrumenta Musica, quorum ad sonos ipsi cantus accommodarentur; Tibia scilicet, Cithara ac Lyra inprimis, undè Poesis Lyrica appellationem traxit.

Versus Heroicus sive Hexameter primam ejusmodi Canticis formam dedit, qui plurimùm habere dignitatis ad celebrandas Deorum atque Heroum laudes videbatur. Verùm succedentibus deindè temporibus, cùm tam angustis finibus Lyrica Poesis non se continuisset, et in argumentis minùs gravibus ac seriis cœpisset versari, varias admisit versuum species, sic tamen ut Heroicum penitùs non dimitteret.

Primus inter Poëtas Lyricos recensetur Alcman; alii deindè Lyrica Poesi celebres floruere Stesichorus, Sappho, Alcæus, Simonides, Ibycus, Italus, Anacreon, Pindarus, Bacchydes. Fuere etiam post illos celebres Corinna, quæ propter eruditionem et sublimitatem ingenii Lyrica Musa appellata est, et Pindarum ipsum in Ludis Olympicis ter aut quater superavit; Praxilla item, et Telisilla.

ARTICULUS II.

De Argumento Lyrici Carminis.

Lyrica Poesis apud Græcos primùm nata celebrandis Deorum aut Heroum laudibus, ab eo dignitatis gradu deflexit, et res plurimas inferioris multò ordinis complexa est. Longè dissimilis ab Hebræorum Poesi, quæ propositi sui tenax et constans sibi, suis se limitibus continuit, neque cantus suos aut instrumenta Musica nisi rebus sacris commodasse legitur. Celebre est super eâ re Platonis testimonium *Tom.* 2. *pag.* 656. qui designans Hebræos Ægyptiorum nomine, quoniam illi diù multùmque Ægyptum incoluerant, laudat eos impensiùs, quòd non paterentur pueros discere aut edere cantus alios, quàm qui virtutem inspirarent: quòd statuissent legibus suis, ne vel Carmina, vel Choreæ, nisi in sacrificiis adhiberentur; caverentque diligenter, nihil ut in festis suis dignitati religionis suæ non responderet.

Igitur materies Lyrici Carminis, quæ primùm inter Deorum Heroumque laudes constiterat, ad convivia, res amatorias, jocos, querelas, insectationem vitiorum et alia ejusmodi tenuiora argumenta delapsa est. Hinc Horatius suam unicuique Poemati materiam tribuens, Lyricam Poesim ita describit.

> Musa dedit fidibus Divos puerosque Deorum
> Et pugilem victorem, et equum certamine primum,
> Et juvenum curas, et libera vina referre.

Quin etiam in tenuibus argumentis ità se amasse Lyrica Poesis visa, ut res graves ac se-

rias tanquam Lyræ impares idem Horatius agnoscat. Neque enim, inquit *L.* 1. *Od.* 6.

Conamur tenues grandia : dùm pudor
Imbellisque Lyræ musa potens vetat,
Laudes egregii Cæsaris, et tuas
Culpâ deterere ingenî.

Idem *L.* 3. *Od.* 3.

Non hæc jocosæ conveniunt Lyræ :
Quò Musa, tendis? desine pervicax
Referre sermones Deorum, et
Magna modis tenuare parvis.

Rursùs *L.* 4. *Od.* 15.

Phœbus volentem prælia me loqui,
Victas et urbes increpuit Lyrâ;
Ne parva Tyrrhenum per æquor
Vela darem.....

ARTICULUS III.

De Formâ sive de Ratione tractandi Lyrici Carminis.

Fuit hæc natura Lyrici Carminis, ut non tantùm rudioribus initiis, sed multò etiam post tempore nec certos pedes, nec numeros agnosceret, alios, nisi quos Musica ipsa præscriberet ac designaret. Adeòque tota Lyrici Carminis Forma et rerum sublimitate et dictione Poeticâ niteretur. Hoc ipsum est quod Tullius insinuat in Oratore ad Brutum. *Quanquam*, inquit, *etiam à modis quibusdam, cantu remoto soluta esse videatur oratio. Maximèque id in optimo quoque eorum Poetarum, qui* λυρικοὶ *à Græcis nominantur; quos cum cantu spoliaveris, nuda penè remanet oratio.*

Hinc et in Pindaro ipso multa sunt, in qui-

bus tam obscurus et incertus latet numerus, ut vix secerni possit, quia Musices subsidio sunt destituta. Quod ipsum Horatio causæ fuit ut diceret de Pindaro.

Numerisque fertur
Lege solutis.

Verùm suus deindè numerus, pedumque varietas Lyricæ Poesi accessêre. De illâ Carminum varietate dicendum aliquid incumbit.

Primum genus Alcmanium ab Alcmane inventore dicitur, sive Dactylicum; quod quatuor habet pedes, quorum primi tres Dactyli sunt, Quartus, Spondæus. Huic vulgò præponitur Hexameter, ut *Lib.* 1. *Od.* 6.

Laudabunt alii claram Rhodon aut Mitylenem.
Aūt Ephĕ,sūm Bĭmă,rĭsvĕ Cŏr,īnthī
Mœnia.

Sunt et Dactylici Dimetri Hypercatalecti, constantque duobus Dactylis et unâ syllabâ, ut

ărbŏrĭ,būsquĕ cŏ,mæ.

Denique Dactylici sunt omnium longissimi, ab Archilocho inventore dicti Archilochii, constantque septem pedibus, quorum quatuor primi Dactyli sunt, tres postremi Trochæi ut *L.* 1. *Od.* 4.

Nūnc dĕcĕt aūt vĭrĭ,dī nĭtĭ,dūm căpŭt, īmpĕ,dīrĕ, mȳrtō.

Succedit tamen interdùm Spondæus in locum Dactyli.

Sōlvĭtŭr ăcrĭs hȳ,ĕms grā,tā vĭcĕ vērĭs, ĕt Fă,vōnī.

Huic versui additur vulgò alter Iambicus Trimeter, sive sex pedum demptâ unâ syllabâ.

Trăhūnt, quĕ sīc, cās mā,chĭnœ, cărī,nās.

Alterum genus est Alcaicorum Dactylicorum, qui ab Alcæo auctore ità dicti sunt. Quorum alii constant quatuor pedibus et unâ syllabâ. Pes primus aut Spondæus, aut Iambus est. Secundus Iambus, sequitur syllaba longa, quæ cæsura dicitur. Duo postremi Dactyli sunt. Duo ejusmodi versus simul componuntur, ut *L*. 2. *Od*. 2.

Æquām, mĕmēn,tō, rēbŭs ĭn, ārdŭīs
Sērvā,rĕ mēn,tēm, nōn sĕcŭs, āc bŏnīs;

Tertio loco sequitur Iambus Dimeter cum unâ syllabâ.

Ăb, īn, sŏlēn,tī tēm,pĕrā, tām

Quartus additur ad Strophæ complementum, qui constat duobus Dactylis et duobus Trochæis

Lœtĭtĭ,ā mŏrĭ,tūrĕ Dēlī.

Tertium genus est Sapphicorum, quos invenisse Sappho dicitur. Quinque pedibus constant; scilicet Trochæo, Spondæo, Dactylo et duobus Trochæis. Tres ejusmodi versus collócantur, quibus deindè subjungitur Adonicus ex Dactylo et Spondæo compositus, ut *L*. 1. *Od*. 2.

Jām să,tīs tēr,rīs nĭvĭs, ātquĕ, dīrœ
Grāndĭ,nīs mĭ,sīt pătĕr, ēt rŭ,bēntĕ
Dēxtĕ,rā sā,crās jăcŭ,lātŭs, ārcēs
Tērrŭĭt, ūrbēm.

In quarto genere ponuntur Asclepiadæi, sic appellati ab Asclepiade, qui illos invenisse dici-

tur. Aliter dicuntur Coryambici, quia secundam et tertiam sedem in illis occupat Coryambus, ex Trochæo et Iambo constans. Primus pes Asclepiadæi versûs est Spondæus, duo sequentes Coryambi, quartus Pyrrichius est, ex duabus brevibus, ut *L.* 1. *Od.* 1.

Mēcœ,nās ătăvīs, ēdĭtĕ rē,gĭbŭs.

Alii aliter hunc versum metiuntur, ità ut pes primus sit Spondæus, secundus Dactylus, tum cæsura longa, denique duo Dactyli.

Mēcœ,nās ătă,vīs, ēdĭtĕ, rēgĭbŭs.

Alii sunt Coryambici Glyconici à Glycone sic dicti eorum inventore, constantque Spondæo, Coryambo et Iambo.

Sīc tē, Dīvă pŏtēns, Cȳprī

Alii ita metiuntur.

Sīc tē, Dīvă pŏ,tēns Cȳprī

Hic versus ità miscetur cum Asclepiadæo, ut illum pæcedàt.

Sic te Diva potens Cypri,
Sic fratres Helenæ lucida Sydera.

Sunt et Coryambici Alcaici, qui quinque constant pedibus, Spondæo, tribus Coryambis et Pyrrichio, ut *L.* 1. *Od.* 10.

Tū nē, quœsĭĕrīs, scīrĕ nĕfās, quēm mĭhĭ quēm, tĭbī.

Quinti generis est Pherecratius, à Pherecrate auctore suo sic appellatus. Constat tribus pedibus, scilicet Spondæo, Dactylo, et Spondæo.

Habet tertium locum in Ode constante quatuor versibus, quorum duo primi Asclepiadæi sunt; et quartus Glyconicus, ut *L.* 1. *Od.* 12.

1 *ō nā,vīs rĕfĕrēnt, īn mărĕ tē, nŏvī*
2 *Fluctus! ō quid agis? fortiter occupa*
3 *Pōrtūm, nōnnĕ vĭ,dēs ūt*
4 *Nūdūm, rēmĭgĭō, lătŭs.*

Sextum genus aliorum Alcaicorum, qui ab eodem Alcæo nomen habent; constantque illi quatuor pedibus, Epitrito, duobus Coryambis, et Bacchio. Epitritus constat ex quatuor syllabis, quarum prima brevis est, et tres aliæ longæ; aut tres primæ longæ sunt, et ultima brevis; aut prima longa est, secunda brevis et duæ ultimæ longæ; aut duæ priores longæ, tertia brevis et postrema longa. Bacchius autem constat tribus syllabis, quarum prima brevis, duæ ultimæ longæ sunt. Huic versui subjungitur Aristophanius, qui constat tribus pedibus, Dactylo et duobus Trochæis, ut *L.* 1. *Od.* 8.

Cūr tĭmēt flā,vūm, Tĭbĕrĭm, tāngĕrĕ cūr ŏlĭvūm
Sānguĭnĕ, vīpĕ,rīnō.
Cautiŭs vitat.

Septimum genus est Iamborum qui diversimodi sunt. Alii enim sunt Trimetri et puris Iambis constant, ut

Bĕā,tŭs īl,lĕ quī, prŏcūl, nĕgō,tĭīs. 1. Epod.

E Trimetris, alii pedes diversos admittunt, ut *ibidem.*

Aūt īn, rĕdūc,tā vāl,lĕ mū,gīēn,tīūm.

Alii sunt Dimetri, hoc est, constant qua-

tuor pedibus et senariis vulgò subjiciuntur, ut *ibidem*.

Beatus ille qui procul negotiis
Ut prīs,că gēns, mō,tā,lūm,

Denique alii Iambi sunt Trimetri Catalecti sive Senarii, constantque sex pedibus, demptâ unâ syllabâ, ut *L.* 1. *Od.* 15.

Mĕā, rĕnī,dĕt īn, dŏmō, lăcūn,ăr

Cui Throchaicus Dimeter Catalectus præponitur, qui nihil differt ad Iambo, nisi quòd Iambi loco Trochæum admittat, ut

Nōn ĕ,būr nĕ,quē aurĕ,ūm.

Quandò Ode constat versibus uniusmodi, vocatur Monocolos; quandò ex duplici genere versuum, dicitur Dicolos; cùm è Triplici componitur, appellatur Tricolos; cùm è Quadruplici coalescit, Tetracolos.

Cùm verò in Ode versus ejusdem generis recurrunt, si recurrunt, alternis Ode dicitur Distrophos, scilicet duas habens strophas; si post tertium quemque versum repetantur carmina ejusdem generis, Ode vocatur Tristrophos; si post quartum, Tetrastrophos.

Carmen Lyricum unitatem rei, vel temporis, vel loci non agnoscit. Imò varietate delectatur, atque etiam digressione, eâ tamen lege, ut omnia breviter ac leviter percurrat.

Placet quoque in Lyricis sententiarum gravitas, si non putidiùs affectatæ, sed suo in loco aptè collocentur.

Quod spectat ad Dictionem, suavis esse debet, florida, polita, neque expers majestatis. Nam

Lyricos Poetas legimus hoc studuisse præter cætera, ut dictionem Homericam æmularentur. Nam *Stesichorus*, ait Quintilianus *L.* 10. *c.* 1. *maxima bella, et clarissimos canens duces Epici Carminis onera Lyrâ sustinuit.*

ARTICULUS IV.

De Dithyrambo.

Dithyrambus Carmen est in honorem Bacchi cani solitum : Græcis enim Bacchus dicitur Διθύραμβος, bis natus, et duobus quasi ostiis egressus, quod alludit ad Bacchi fabulam, quem Poetæ fingunt, cùm eum enixa esset Semele, Jovis femori fuisse assutum, undè rursum prodeunti Nymphæ acclamârunt λῦθι ῥάμμα, Suturam solve. Hinc formata vox λιθύραμμος, sive Διθύραμβος.

Hujus Carminis primum auctorem ferunt fuisse Arionem, alii Philoxenum Cytherium, qui Carmine Lyrico Æacidarum genealogiam scripsit.

Dithyrambus in rusticorum conviviis atque inter pocula natus est; hinc Carminis illius initium ab invocatione Bacchi plerumque ducitur, nec nisi ab ebriis cani solet. Nam Dithyrambus haud futurus est, si aquam bibas, inquit Epicharmus. Neque porrò mirum est, si insolito furore plenus feratur, et non varias modò, pro furentis arbitratu, numerorum ac versuum species admittat, sed grandiora et nova item vocabula affectet.

Atque propter eam rem Horatius Dithyrambos Pindari audaces vocat; tum quia sublimitatem sententiarum, verborum novitatem ac majestatem consectantur, tum quia nobili quâdam

numerorum licentiâ solitas metrorum leges excedunt *L. 4. Od. 2.*

Fervet, immensusque ruit profundo
 Pindarus ore :
Laureâ donandus Apollinari,
Sive per audaces nova Dithyrambos
Verba devolvit, numerisque fertur
 Lege solutis.

ARTICULUS V.

De Poetis Lyricis Græcis.

ALCMAN.

Alcman, quem primum inter Lyricos Poetas habitum fuisse diximus, Lacedæmonius fuit, vel Sardianus, aut etiam Lydus, ut quibusdam placet. Is vivebat Olympiade 27. sexcentis et septuaginta ante Christum annis. Pauca restant illius operum fragmenta variis in auctoribus dispersa, ex quibus non licet certum ferre de hominis ingenio ejusdemque scriptis judicium.

STESICHORUS.

Stesichorus patriâ Siculus, de civitate Himerâ, vixit Olympiade 37; mortuus est 56, regnante Cyro Persarum Rege. Is dotes omnes ac gratias Simonidis ac Pindari habuisse dicitur, quos etiam argumenti sublimitate superaret. *Scripsit* enim *bella maxima*, Quintiliano teste, *et clarissimos canens duces, Epici Carminis onera Lyrâ sustinuit L.* 10. *c.* 1. Quamobrem inter Heroicos Poetas à quibusdam recensetur, et ab Alexandro magno dignus unus habitus est, quem viri Principes inter cæteros legerent, cujus et æmulari documenta conarentur. Suffra-

gatur Horatii testimonium, qui Stesichorum gravem Poetam appellat. *L.* 4. *Od.* 9.

Stesichorique graves Camœnæ.

Pauca nunc restant ipsius Carmina, quæ magno olim apud omnes in pretio habita sunt.

SAPPHO.

Sappho Lesbia vixit Olympiade 44. Nabuchodonosoris Regis et Tarquinii Prisci temporibus. Hæc inter novem Lyricos Poetas locum occupat, et ingenii amœnitate atque suavitate Carminum meruit, ut novem Musis decima adderetur. Ab ejus nomine Sapphicum Carmen, quod invenisse dicitur, appellationem traxit. Illa in versibus suis sibi imitandum sumpserat Archilocum, cujus acerbitatem temperavit, Horatio teste *Ep. ad Mec.*

Temperat Archilochi Musam pede mascula Sappho.

Celebratur Sappho illustribus totius antiquitatis præconiis, tantò crediderim impensiùs, quòd nulla ad hoc usque tempus fœmina tantâ ingenii doctrinæque politioris gloriâ præluxisset; felix, si parem integritatis atque pudicitiæ meruisset famam. Supersunt ex ejus operibus Hymnus unus, Ode pariter una, et fragmenta perpauca.

ALCÆUS.

Alcæus Lesbius patriâ, Sappho coætaneus, nomen fecit Alcaico versui, cujus primus auctor exstitit. Vixit temporibus Pittaci, unius ex septem Græciæ Sapientibus, quem versibus insectatus est. *Is*, inquit Quintilianus, *in parte operis, aureo plectro meritò donatur; quâ*

tyrannos insectatur; multùm etiam moribus confert; in eloquendo quoque brevis et magnificus et diligens, plerumque Homero similis, sed in lusus et in amores descendit, majoribus tamen aptior. Eodem penè recidit Horatii de Alcæo testimonium, qui versus Alcæi minaces vocat. *L.* 4. *Od.* 9. et *Od.* 32. de eo sic loquitur.

Lesbio primùm modulate civi,
Qui ferox bello, tamen inter arma,
Sive jactatam religârat udo
Littore navim,
Liberum, et Musas, Veneremque et illi
Semper hærentem Puerum canebat.

Pauca ex Alcæi Carminibus ad nostra usquè tempora pervenerunt.

IBYCUS.

Ibycus Italus ex Urbe Rhegio vixit Olympiade 54. Cyri Crœsiquè et Servii Tulli temporibus. Non caruit ille sublimitate aut etiam suavitate Carminis, ut pauca testantur ejus fragmenta; at, si quam meruit eâ parte laudem, eandem fœdissimæ obscœnitatis vitio obscuravit.

ANACREON.

Anacreon patriam habuit Teiam Urbem in Ioniâ, vixitque Cyro, Cambyse et Dario regnantibus, Olympiade 61, anno ætatis 85 mortuus. Lyricam Poesim primus ad res amatorias et convivia traduxit: quod ipsum edita quæ habemus ab illo Carmina satis testantur: adeò nihil illa præter amores et Bacchum sonant, quo utroque semper fervidus scripsisse dicitur. Verùm minori propterea habitus olim in pretio,

quia nihil aliud posse crederetur. Negari tamen non potest, quin nativo suavique admodùm feratur stylo; cujus dulcedine ità delectabatur Scaliger, ut Anacreontica dictio quovis Indicæ arundinis succo dulcior ipsi videretur. Enitet etiam in ipsius versibus mira facilitas, qui non tam labore parti, quàm suâ sponte nati de calamo fluerint. Hinc de Anacreonte Horatius. *Ep. Od.* 14.

> Qui persæpè cavâ testudine flevit amorem,
> Non elaboratum ad pedem.

SIMONIDES.

Simonides natus in Insulâ Cæo Ægæi maris, vixit Olympiade 65, Dario Histaspe et Tarquinio Superbo regnantibus. Pauca supersunt Poeseos ipsius fragmenta, quæ Fulvius Ursinus notis illustravit. Geminâ laude claruit Simonides, alterâ, quòd in delectu verborum attentus ac diligens, alterâ quòd in ciendis commiserationis motibus ipso Pindaro felicior existeret. Congruit Quintiliani testimonium. *Simonides*, inquit, *tenuis alioqui, sermone proprio, et jucunditate quâdam commendari potest. Præcipua tamen ejus in commovendâ miseratione virtus; ut quidam in hac eum parte omnibus ejusdem operis auctoribus præferant.*

PINDARUS.

Pindarus Thebis in Bœotiâ natus est, Olympiade 65, regnante Dario; sed Xercis temporibus Olympiade 75 inprimis floruit. *Novem Lyricorum longè Pindarus Princeps*, ait Quintilianus *L.* 10. *c.* 1. *Spiritûs magnificentiâ, sententiis, figuris, beatissimâ rerum verbo-*

rumque copiâ, et velut quodam eloquentiæ flumine. Propter quæ eum credidit Horatius nemini imitabilem. Et sanè non dubitat ille profiteri, Ode ad Julum. *L. 4. Od. 2.*

Pindarum quisquis studet æmulari,
Jule, ceratis ope Dedalæâ
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina Ponto.

Illum deindè comparat rapidissimo flumini, quod multis auctum imbribus extra ripas excurrit, mox addit plurima operum ejus in laudem.

Et verò tantò cæteris Lyricis præstat Pindarus, quantò superior natura est, quam unam secutus fuisse Pindarus ipse gloriatur, cùm reliqui ex arte scriberent, quam à magistris didicerant. Undè aquilæ comparare se non dubitat, illos autem corvis. Visus est tamen quibusdam elatus aliquandò præter modum, et plus justo vehemens ac tumidus. *Verùm*, inquit Vossius, *idipsum divinis Poetis facilè ignoscendum, quibus pulchriùs est nonnunquam cadere, quam semper jacere.*

Scripsit multa Pindarus in unoquoque Poematum genere; at Lyrica supersunt sola, quibus victorum laudes in solennibus Græciæ ludis decantabat, suâ in Deos religione ac pietate omnium Linguis celebratus.

BACCHYLIDES.

Bacchylides Ceus, æqualis Pindaro et ejusdem adversarius, uti et Simonides. Illius Poemata in Pythiis ab Hierone prælata fuere Pindaricis. Magnoperè etiam eo delectatum fuisse Julianum Imperatorem refert Ammianus Marcellinus.

ARTICULUS VI.

De Poetis Lyricis Latinis.

Seriùs Lyricæ Poesi Romani studuerunt, quàm Dramaticæ; neque ullus ante Horatium Poeta Lyricus exstitisse legitur. Imò neque post Horatium quisquam Carmine Lyrico floruit. Hinc Quintilianus *L.* 10. *c.* 1. *Lyricorum Horatius solus legi dignus, si quem adjicere velis, is erit Cæsius Bassius quem nuper vidimus.* Hic sub Nerone vixit, ad quem Satiram sextam scripsit Persius. Addit de Bassio idem Quintilianus: *Sed eum longè præcedunt ingenia viventium.* Quod significare videtur, alios exstitisse Quintiliani tempore Lyricos Poetas majoris nominis, cùm tamen sub Vespasiano nulli memorentur præter Selleium, Bassum et Passienum. Est illud quidem de Titio Septimio editum ab Horatio præconium. *L.* 1. *Epist.* 3.

Quid Titius Romana brevi venturus in ora;
Pindarici fontis qui non expalluit haustus?

Verùm probabile est Septimii Carmina nunquàm fuisse in lucem edita, quorum nullum exstat uspiam vestigium.

HORATIUS.

De Horatii patriâ, de temporibus quibus ille vixit, imò de ejusdem ingenio, indole, moribus jam abundè dictum est, cùm de Satiricis Poetis ageremus. Nunc ut Poeta Lyricus spectatur à nobis et Romanæ Lyræ facilè princeps: qui neminem habuit inter Latinos, quem imitaretur; neminem qui ipsum imitando sit assecutus. Hoc testatur Quintilianus, quem jam laudavimus,

qui Horatium ferè solum esse dignum qui legi possit, profiteri non dubitat. *Nam*, inquit, *et insurgit aliquandò; plenus est jucunditatis ac gratiæ, et variis figuris et verbis felicissimè audax.*

Is enim verò sic omnem Lyricæ Poeseos laudem ac gloriam complexus est, ut cùm in Odarum suarum Libris nihil ad absoluti operis perfectionem desiderandum, tùm nihil vel severiori Criticæ reprehendendum reliquerit. Diceres virtutes omnes Lyrici Carminis, quasi facto agmine, ad ornandam Horatii Musam confluxisse: tam felix ac varius in argumentis, tam solers in iis tractandis ac magnificus, tam gravis in sententiis, tam moratus in documentis videri solet; adeò majestatem Carminis cum lepore, rerum gravitatem cum risu et joco, puritatem sermonis cum elegantiâ conciliat. Sic ut Græcorum Poetarum nemini cedere dicendus sit. Eos certè, qui inter Græcos maximè floruerunt, Sappho quidem et Anacreontem suavitate ac gratiâ spectabiles, Pindarum verò sublimitate commendatum non modò æquasse scribendo, sed etiam superasse omnium penè Criticorum judicio visus est.

Liceat hìc addere ad Horatii commendationem Julii Scaligeri judicium, qui duarum inprimis Odarum, quarum altera sic incipit: *Quem tu Melpomene semel*, *L.* 4. *Od.* 3. altera *Donec eram gratus tibi*, *L.* 3. *Od.* 9. ità suavitate capiebatur, ut diceret. *Quarum similes malim à me compositas, quàm Pythionicarum multas Pindari, et Nemeonicarum. Quarum similes malim composuisse, quàm esse totius Tarraconensis Rex.* L. Poet. c. 7.

CAPUT IX.

De Epigrammate.

ARTICULUS PRIMUS.

De Definitione et Naturâ Epigrammatis.

Epigramma latinè Inscriptio dicitur : ἐπιγράφω enim est, *inscribo*, *superscribo*. Hinc quidquid olim vel columnis, vel statuis, vel templis, vel sepulchris, vel cæteris quibusque monumentis aut publicis, aut privatis inscribebatur, id Epigrammatis nomen ferebat. Posteà verò quàm hæc maximam partem desierunt inscribi steteruntque per se, et in alios usus, quàm in ornatus operum cesserunt, et collecta simul relata sunt in Libros, mansit quidem vox eadem, at mutata significatio est et potestas vocis : ut infinitæ sint inscriptiones, in quas Epigrammatis nomen non cadat, innumerabilia Epigrammata, quæ jure nemo inscriptiones appellet. Latiùs igitur interdùm patet Epigramma, quàm ut inscriptionis nomine censeatur ; contraque est in Epigrammate aliquando vis et sententia, quàm in inscriptione angustior.

Quòd cum ita se habeat, jam definiendum quid sit Epigramma. Est autem Carmen breve et venustum, aut acutum, indicans et exponens unum aliquid tantummodò, vel alterum aliud inferendo concludens etiam acutiùs ac venustiùs. Undè licet intelligere geminum esse Epigrammatis genus ; aliud simplex, aliud compositum. Partes omninò duas habet, Expositionem et Clau-

sulam; virtutes tres, Brevitatem, Venustatem et Acumen. De singulis dicendum aliquid incumbit, si priùs de Epigrammatis Materiâ pauca præmittantur.

ARTICULUS II.

De Materiâ Epigrammatis.

Tam longè latèque patet Epigrammatis Materies, ut nullam habeat definitam rationem, cujus terminis ac finibus coerceatur. Quidquid enim edisseri et perpoliri Epigrammate potest, id constat subjectam esse Epigrammati Materiam; cùmque nihil sit quod sub hujus artificis stylum non cadat, nihil etiam est, quod pro Materiâ Epigrammatis non habeatur. Quare cœlestia, humana, sublimia, abjecta, magna et parva huic proposita sunt, quæ tractet, et in quibus versetur. Virtutes laudat, vitia reprehendit, in lætis ac tristibus, in seriis pariter ac ludicris argumentis occupatur.

At cum amplum spatiosumque nacti sunt campum Epigrammatum Scriptores, in quo se exerceant, tum sibi interdictum putent, ne quid attingant ejusmodi, quod vel maledicentiam, vel lasciviam, vel impietatem redoleat. Nam quod ad maledicta pertinet, etsi Catulli temporibus non tam religioni Poetæ ducerent Epigrammata conscribere cum offensione multorum, et magnis etiam nominibus ad increpandum abuti; tamen annis subsequentibus hanc sibi ipsi dixerunt legem, ne quem verbo læderent, aut liberiùs appellarent. Durum illud quidem censeri possit Epigrammatum Scriptori necessitatem illam imponere, ut pro omnibus dicat ad laudem atque gratiam et assentationem, nihil adversùs ullum

vel ad minimam reprehensionem, ne jocandi quidem aut ridendi causâ. Persequatur sanè vi et acumine Epigrammatum non laudanda solùm, sed etiam quidquid vituperabile est: naturas rerum sugillet, hominum facta, dicta, errores, suspiciones, eventus fortuitos notet, moribus insultet ac vitiis, irrideat, aspernetur: at revereatur personas, ac versibus suis neminem prodat, neminem verbo vel nutu designet.

Certè Martialis hoc profitetur in præfatione universi operis, *Ludere se salvâ infimarum quoque personarum reverentiâ*: et *L.* 1. *Epig.* Negat se ullius Epigrammatis esse auctorem, quo quis nominatim perstringeretur. *Epig.* 5.

Quisquis stolæve purpuræve contemptor,
Quos colere debet, læsit impio versu;
Pontes per urbis erret exul, et clivos,
Interque raucos ultimus rogatores
Oret caninas panis improbi buccas.

Ibidem, *Epig.* 33.

Hunc servare modum nostri novere Libelli;
Parcere personis, dicere de vitiis.

Neque tamen quisquam dubitet, quin, à Martiale quoties perstrictus est quispiam Carminibus, fuerit illi præsentissimus unus aliquis et certus et definitus et notus homo, non vagus, aut obscurus, aut animi causâ fictus, contra quem sic tanquam contra umbram pugnaret. At Epigramma cùm scriberet, affinxit nomen arbitratu suo, sub quo nomine lateret, quem vellet ignotum. Hinc tanta multitudo et copia apud eum fictorum nominum, quantam nunc videmus, ne verùm nomen appareret, aut ullus reipsâ nosceretur.

Atque utinam tam religiosus in declinandis

obscœnis, quàm in maledicis Epigrammatis Martialis exstitisset. Fecit enim insanabilis, quâ laborasse visus est, turpia quælibet et obsoleta scribendi libido, ut ipsius Epigrammatum Libri inoffenso decurri pede ab iis non possint, quos pia tuendi pudoris cura remordeat. Sed quid in uno Martiale moror, qui Catullum et Græcos Epigrammatum conscriptores pravitatis ejusmodi auctores habuerit. Næ vitandi omnes tanquam infames pudicitiæ scopuli, quantumvis sese apud nos excusent inverecundi Poetæ, et protervиæ illius suæ causas obtendant. Scilicet illi castigatores morum habeantur, dùm fœdissimis impuritatem omnium imaginibus insanam libidinis pruriginem irritant potiùs, quàm compescunt? aut quidquam juvet, quòd mores suos alienos mentiuntur à sordibus, dùm inquinatis cœno versiculis ineluctabiles pudicitiæ insidias moliuntur? Sed quid proficimus? Furit hodieque lues tam mala, et quod in ipsis impurissimorum Numinum cultoribus dignum veniâ non censemus, non pudet idipsum Poetas Christianos æmulari.

Exulet multò æquiùs ab Epigrammate quidquid sinceræ pietati et puræ religioni adversatur. Piaculum est omni æstimatione grandius in rebus tam verendis quærere materiam jocorum. Neque liceat in iis censuram exercere, quæ religiosum à nobis cultum atque observantiam exigunt.

ARTICULUS III.

De Epigrammate Simplici ac Composito.

Epigramma Simplex et uniusmodi illud dicitur, quo breviter ab initio ad extremum usque, res, aut persona, aut factum, aut dictum pari

cum venustate exponitur. Exemplum esto hoc Martialis Epigramma, *Lib.* 1. *Epig.* 75.

Dimidium donare Lino, quàm credere totum
Qui mavult, mavult perdere dimidium.

Aliud Compositum et velut duplex, quo hæc eadem commodè quoque et concinnè tractata, etiam concludantur acutiùs et inferantur. Sit in exemplum illud Epigramma Catulli.

Quinctia formosa est multis, mihi candida, longa,
Recta est; hæc ego sic singula confiteor
Totum illud, formosa, nego; nam nulla venustas,
Nulla in tam magno est corpore mica salis.
Lesbia formosa est, quæ cùm pulcherrima tota est,
Tum omnibus una omnes surripuit veneres.

Quod autem ita deducitur ex proposito, aut majus est, aut minus, aut par, aut contrarium. Majus colligitur in primo Epigrammate de spectaculis ubi post memoratum Ægyptiorum laborem in struendis Pyramidibus, Assyriorum in ædificandâ Babylone, Ionum in Dianæ Ephesinæ templo, ita concludit. *L.* 1. *Epig.* 1.

Omnis Cæsareo cedat labor Amphitheatro,
Unum pro cunctis fama loquatur opus.

Minùs deducitur in Epigrammate ad Gallicum *L.* 9. *Epig.* 48. ubi se ait ejus hereditati aliquando inhiasse, qui Martiali juraverat eum in quartam bonorum partem esse vocandum. Hac spe illectus cùm aprum misisset Gallico, is eo accepto vocavit ad cœnam plurimos, præterito Martiale: hinc colligit Poeta nihil sibi ex hereditate sperandum esse.

De Quadrante tuo quid sperem, Gallicè? nulla
De nostro nobis uncia venit apro.

Minùs enim verisimile est, Martialem in Qua-

drantem hereditatis esse instituendum, quàm eundem non invitatum fuisse, ut apri, quem ipse donaverat, partem aliquam sumeret.

Par verò concludit ex pari, cùm non inferiorem sibi promittit ex scriptis gloriam, quàm cæteri Poetæ è suis meruissent. *L*. 1. *Epig*. 53.

Verona docti syllabas amat vatis,
Marone felix Mantua est.
Censetur Apona Livio suo tellus,
Stellâque nec Flacco minus.
Apollodoro plaudit imbifer Nilus:
Nasone Peligni sonant.
Duosque Senecas unicumque Lucanum
Facunda loquitur Corduba.
Gaudent jocosæ Canio suo Gades,
Emerita Deciano meo.
Te, Liciniane, gloriabitur nostra;
Nec me tacebit Bibilis.

Contrarium è contrario ducitur in illo Catulli Epigrammate 50.

Gratias tibi maximas Catullus
Agit pessimus omnium Poeta;
Tantò pessimus omnium Poeta,
Quantò tu optimus omnium patronus.

Et in illo Martialis Epigrammate. *L*. 12. *Epig*. 47.

Difficilis, facilis, jucundus, acerbus et idem,
Nec tecum possum vivere, nec sine te.

ARTICULUS IV.

De Partibus Epigrammatis.

Duæ sunt Epigrammatis partes; altera Expositio, altera Conclusio dicitur. Principio res ponenda ob oculos una et simplex, eaque non uberiore filo sermonis explicanda, ut narratiuncula celeriter expediri, non historia institui

longior videatur. Tum verò tendendum ad finem expositione totâ; quod ut fiat, spargenda quædam semina in decursu, ex quibus Conclusio sponte nascatur. Imbuendus et informandus certis quibusdam notionibus legentis animus, certis dictis et sententiis præparandus; ut jam indè à primis versibus suspicione attingat interdùm et conjecturâ, quid scriptor intendat; quorsùm ejus sit evasura, quemque exitum sit habitura rei propositæ brevis declaratio. Sit in exemplum istud Martialis Epigramma. *L.* 9. *Epig.* 71.

Ad cœnam si me diversa vocaret in astra
Hinc invitator Cæsaris, indè Jovis.
Astra licet propiùs, palatia longiùs essent,
Responsa ad superos hæc referenda darem.

Quatuor isti priores versus, qui Expositionis locum habent, rem ipsam, de quâ agitur ponunt in medio, et præparant lectoris animum ad Conclusionem, quam subodorari non tam ægrè possit, si modò non sit obesæ naris. Est enim illa:

Quærite, qui malit fieri conviva Tonantis;
Me meus in terris Jupiter ecce tenet.

Quamvis autem acumen reservetur Conclusioni, nihil moræ est tamen, quominùs illud antevertat Poeta, et acutula quædam admisceat passim inculcetque diversis locis; ut finis interdùm ibi putetur esse Epigrammatis, ubi finis non est, cùm restent adhuc meliora. Exemplum dabit istud Epigramma Martialis in Scævolam, cum dexteram manum exureret, quòd errasset illa, scribam Porsenæ pro ipso Porsenâ interficiendo. *L.* 1. *Epig.* 22.

Cum peteret Regem decepta Satellite dextra,
Injecit sacris se peritura focis.

Sed tam sæva pius miracula non tulit hostis;
Et raptum flammis jussit abire virum.
Urere quam potuit contempto Mutius igne,
Hanc spectare manum Porsena non potuit.

Certè hoc Epigramma perfectum suisque absolutum partibus ità videri possit, nihil ut ad præstantiam Epigrammatis et integritatem sit expetendum. Tamen accedit quiddam aliud perfectum et absolutum magis, nempè ipsa hæc Epigrammatis clausula.

Major deceptæ fama est et gloria dextræ;
Si non errasset, fecerat illa minùs.

Altera pars Epigrammatis Conclusio appellatur; quæ non est finis merus ac simplex sermonis, aut quasi Epistolæ clausula, aut velut in Fabulâ Epimythion. Sed illa, ut censeri possit legitima, debet hæc tria potissimùm, si non omnia, saltem unum aliquid ex tribus præseferre.

Primum sit, ut Conclusio diversum quiddam habeat et aliud omninò ab Expositione compare suâ; neve recidat in idem, neve cum illâ confundatur. Alioqui frustrari se Lector meritò expostulet, qui expectans aliquid in fine, quod sit novum, nihil videat, nisi quod in Expositione jam senserit. Deindè ut diversum illud sit illatum ex alio, non vagum aut solutum, aut affictum temerè. Nam cùm Expositio comparata sit et referatur ad aliud, ita ducitur ex alio Conclusio, et nexa cum priori parte, indèque apta procedit. Postremò illatum hoc sit ingeniosum præter cætera, solers et acutum, quod tertium si defuerit, omni lepore ac gratiâ destitui Epigramma necesse est.

Nunc dè triplici Epigrammatis virtute nobis agendum est tribus seorsìm articulis, scilicet de Brevitate, Venustate et Acumine.

ARTICULUS V.

De Brevitate Epigrammatis.

Quòd Brevitas dos sit propria Epigrammatis, vel ex eo intelligitur, quòd à cæteris Poematis Brevitate distinguatur. Est enim Epigramma, uti diximus, Carmen breve. Hinc in eo conveniunt omnes, ut existiment, paucis hoc opusculum versibus constare oportere: imò versum vel unum Epigrammati satis esse. Talia sunt illa Martialis Epigrammata.

Pauper videri Cinna vult, et est pauper.
LIB. I. EPIG. 18.
Omnia Castor emis, sic fiet ut omnia vendas.
LIB. VII. EPIG. 81.

Jam quæritur quatenùs pergere porrò, quò usque progredi liceat. Alii plures duobus versibus vetant adhiberi: alii quatuor statuunt; quod excurrit, non supervacaneum solum, sed vitiosum putant. Ut ut est, Epigrammatis scribendi Principes Catullus et Martialis, non tam angustis finibus se continent. Nam in Hendecasyllabis et aliquot generibus numerorum, magna apud utrumque versuum profusio. In Elegiacis verò, ambo sic moderati ac temperantes, ut Epigrammata sua ultra quatuor sexve Disticha vulgò excurrere non patiantur. Cæterùm Epigrammata illa longiora videri non debent, in quibus nihil est superfluum, ut aiebat Martialis scribens ad Cosconium quemdam, qui exprobrabat ipsi, quòd prolixiora scriberet Epigrammata, cùm ille sua Disticho concluderet, *L.* 11. *Epig.* 55.

Non sunt longa quibus nihil est, quod demere possis;
Sed tu, Cosconi, Disticha longa facis.

ARTICULUS VI.

De Venustate Epigrammatis.

Venustas Epigrammatis est continua totius Poematis ab initio ad finem conformatio, et apta partium inter se convenientia, cum certâ quâdam suavitate, undè jucundum quiddam et amabile utrinque efflorescat. Nam ad venustatem suavitas accedat oportet. *Nec satis est pulchra esse Poemata, dulcia sunto*, inquit Horatius.

Hæc verò suavitas tam rebus quàm dictione efficitur. Rebus quidem, si blanda, tenera, delicata materiam Epigrammati præbeant, eaque non incommodè tractentur. Item quidquid invisum, aut inauditum, aut novum, aut quovis modo admirabile proponitur, rapit animos et gratâ quâdam dulcedine perfundit.

In Dictione hoc præcavendum præsertìm, ut lævis sit et perpolitus tractus orationis; ut fluat æquabiliter ac sine ullis salebris; ut non sit asper, non hiulcus, non ingratus durâ collisione syllabarum. Nam quantò brevius est Epigramma Poematis genus, tantò molliores sectari debet sermonis delicias, quæ si defuerint, vix aliud habeat undè commendetur. Quo enim pacto Epigramma destitutum Acumine, qualia sunt penè omnia Catulli et pleraque Martialis Epigrammata, placere possit, nisi suam à venustate laudem repetat.

Porrò qui volet Venustatis illius exempla contemplari, adeat hæc inprimis Catulli Epigrammata quæ subindico tantùm 4. *Phaselus ille quem videtis hospites*, 14. *Ni te plus oculis meis amarem*. 22. *Suffenus iste, Vare, quem probè nosti*. 32. *Peninsularum, Sirmio, Insu-*

larumque. 40. *Egnatius quòd candidos habeat dentes*. 45. *O Fundè noster, seu Sabine, seu Tibur.*

Apud Martialem consule 19. *Epig.* de Spectaculis. *L.* 1. 58. IV. *Epig.* 1. VII. *Epig.* 5. *et* 6. IX. *Epig.* 11. X. *Epig.* 32. XI. *Epig.* 5. *et* 6. XII. *Epig.* 15.

ARTICULUS VII.

De Acumine Epigrammatis.

Quod in Oratoribus contemnendum, aut certè nullo admodùm in pretio ponendum esse existimavit Tullius; quod Virgilius et Horatius suis in versibus vix unquam admisere; quod senescentibus post Ciceronis tempora Litteris, et ab optimâ scribendi formâ deficientibus, Declamatores ac Patroni, et ab eorum profecti disciplinâ tam Poetæ quàm Historici consectati sunt argutum et acutum dicendi genus; hoc denique Scriptores Epigrammatum sic arripuere, ut Acumen, tanquam rem suam et proprium veluti patrimonium sibi vindicaverint. Enim verò fuit hoc Acuminis fatum, postquam per singula Scriptorum genera erravisset, ut in Epigrammatis sedem delegerit certam sibi ac stabilem, ac fixerit in perpetuum; hos fines, et ditionem, et regnum, et domicilium obtinuerit. Aliis in operibus partem faciebat operum Acumen, in hoc opere, opus totum occupavit. Illîc Acumen tanquam lumina quædam et ornatûs insignia, adhibebatur; hîc ut solum ornamentum et fundamentum. Postremò ea res satietatem habuit, et datum est vitio, si transiliret modum. Imò et vilescere Acumen cœpit cordatorum hominum judicio; neque tam com- (Lib. 1. de Clar. Orat.)

mendandi deinceps visi sunt aut Senecæ, aut Plinii, aut Tacitus, aut Ovidius ipse, qui vim acuminum et copiam affectaverant impensiùs. Vix quidquam ejusmodi in Epigrammate nimium esse potest, ubi in eo cardo rei, et totum ferè consistit, ut Epigramma sit acutum.

Investiganda igitur Acuminis natura, quod in posteriore Epigrammatis parte aut in Clausulâ dominari solet, et suum illi decus confert ac splendorem. Duplex est Acuminis genus; Alterum à Rebus petitur, alterùm à Verbis.

ARTICULUS VIII.

De Acumine quod est in Rebus positum.

Hæc inter Acumina quæ sunt in Rebus posita, locum habent primò quæ sententiosè acuta dicuntur; hoc est, quæ sententiam aliquam tam ingeniosam quàm veram offerunt. Tale est Acumen illius Epigrammatis. *L.* 1. *Epig.* 33.

Amissùm non flet, cum sola est, Gellia patrem:
Si quis adest, jussæ prosiliunt lacrymæ.
Non luget quisquis laudari, Gellia, quærit.
Ille dolet verè, qui sine teste dolet.

Sic de sequentibus. *L.* 5. *Epig.* 42.

Extra fortunam est, quidquid donatur amicis;
Quas dederis, solas semper habebis opes.

L. 6. *Epig.* 70.

At nostri benè computenter anni,
Et quantum tetricæ tulere febres,
Aut languor gravis, aut mali dolores
A vitâ meliore separentur.
Infantes sumus, et senes videmur;
Ætatem Priamique Nestorisque
Longam qui putat esse, Martiane,
Multùm decipiturque fallitùrque.
Non est vivere, sed valere, vita.

L. 9. Epig. 34.

Rebus in angustis facile est contemnere vitam ;
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

L. 11. Epig. 5.

Tanta tibi est recti reverentia, Cæsar, et æqui ;
Quanta Numæ fuerat : Sed Numa pauper erat.
Ardua res est hæc, opibus non tradere mores :
Et, cùm tot Cræsos viceris, esse Numam.

Secundò censetur illud ingeniosum Acuminis genus in Epigrammate, cùm ratio rei latentis et occultæ, quæ proposita sit in medium, et prioribus versibus explicata, posterioribus versibus in Clausulâ ità redditur, ut sit cum lepore ac sale conjuncta. Hæc autem ratio vera esse potest ac germana; neque obstat quidquam, quominùs à Poetâ verum audire liceat; dummodò id, quod verè dicitur, obvium ne sit pervulgatumque omnibus, nec facilè cuivis veniat in mentem. Exemplo sint quæ sequuntur Epigrammata. *L. 9. Epig. 11.*

* Nomen cum violis rosisque natum,
Nomen nobile, molle, delicatum
Versu dicere non rudi volebam.
Sed tu syllaba contumax repugnas.
Dicunt Eiarinon tamen Poetæ,
Sed Græci ; quibus est nihil negatum ;
Et quos Ἄρες, Ἄρες, decet sonare.
Nobis non licet esse tam disertis,
Qui musas colimus severiores.

* Earinus

L. 1. Epig. 19.

Si memini, fuerant tibi quattuor, Ælia, dentes :
Exspuit una duos tussis, et una duos.
Jam secura potes totis tussire diebus ;
Nil istic, quod agat, tertia tussis habet.

L. 1. Epig. 107.

Sæpe mihi dicis, Luci carissime Juli,

Scribe aliquid magnum, desidiosus homo es.
Otia da nobis, sed qualia fecerat olim
Mecœnas Flacco Virgilioque suo.

. . . .

In steriles campos nolunt juga ferre Juvenci;
Pingue solum lassat, sed juvat iste labor.

L. 3. *Epig*. 43.

Mentiris juvenem tinctis, Lentine, capillis
Tam subitò Corvus, qui modò Cygnus eras.
Non omnes fallis; scit te Proserpina canum:
Personam capiti detrahet illa tuo.

L. 4. *Epig*. 85.

Nos bibimus vitro, Tu myrrhâ, Pontice: quare?
Prodat perspicuus ne duo vina calix.

L. 5. *Epig*. 81.

Semper eris pauper, si pauper es, Æmiliane:
Dantur opes nullis nunc nisi divitibus.

L. 8. *Epig*. 26.

Munera qui tibi dat Locupleti, Gaure, Senique;
Si sapis et sentis, hic tibi ait, morere.

L. 8. *Epig*. 75.

Dic verum mihi, Marce, dic, amabo;
Nil est, quod magis audiam libenter.
Sic, et cùm recitas tuos libellos,
Et causam quoties agis Clientis,
Oras, Gallice, me rogasque semper.
Durum est me tibi, quod petis, negare.
Vero verius ergo, quid sit, audi.
Verum, Gallice, non libenter audis.

L. 10. *Epig*. 23.

. . . .

Nulla recordanti lux est ingrata gravisque:
Nulla subit, cujus non meminisse velit.
Ampliat ætatis spatium sibi vir bonus; hoc est
Vivere bis, vitâ posse priore frui.

L. 11. Epig. 45.

Orbus es et locuples et Bruto Consule natus?
Esse tibi veras credis amicitias?
Sunt veræ, sed quas juvenis, quas pauper habebas:
Qui novus est, mortem diligit ille tuam.

Neque verò necesse est, causam, quæcumque in Conclusione Epigrammatis affertur, veram esse, sed satis superque ducere debemus, si verisimile id totum et probabile et speciosum esse videatur, habeatque aliquid convenientiæ. Imò bella plerumque falsitas, plausibile mendacium, si solerter et ingeniosè sit excogitatum, nihilominùs, plusque adeò delectat ac placet, quàm quod reverà gestum est, et verè dicitur. Infinita sunt apud Martialem ejusmodi Epigrammata; pauca subjicimus è multis.

De Spect. Epig. 16.

Quòd pius et supplex Elephas te, Cæsar, adorat,
Hic modò qui tauro tam metuendus erat,
Non facit hoc jussus, nulloque docente Magistro:
Crede mihi, *Numen sentit et ille tuum.*

L. 2. Epig. 3.

Sexte, nihil debes, nil debes Sexte, fatemur:
Debet enim, si quis solvere, Sexte, potest.

Ibid. Epig. 20.

Carmina Paullus emit, recitat sua Carmina Paullus;
Nam quod emas, possis dicere jure tuum.

Ibid. Epig. 48.

Abscissâ servum quid fingis, Pontice, Linguâ?
Nescis tu populum, quod tacet ille, loqui?

Ibid. Epig. 38.

Quid mihi reddat ager, quæris, Line, Nomentanus?
Hoc mihi reddit ager, Te, Line, non video.

L. 2. *Epig.* 80.

Hostem cùm fugeret, se Fannius ipse peremit;
Hic rogo, non furor est, ne moriare, mori?

L. 3. *Epig.* 28.

Auriculam Mario graviter miraris olere?
Tu facis hoc; garris, Nestor, in auriculam.

L. 5. *Epig.* 90.

Languebam, sed tu comitatus protinùs ad me
Venisti centum, Symmache, Discipulis.
Centum me tetigere manus Aquilone gelatæ;
Non habui febrem, Symmache, *nunc habeo.*

L. 7. *Epig.* 77.

Exigis ut nostros donem tibi, Tucca, Libellos:
Non faciam; *nam vis vendere, non legere.*

L. 8. *Epig.* 34.

Cum sitis similes paresque vitâ,
Uxor pessima, pessimus maritus,
Miror non benè convenire vobis.

Ibid. Epig. 53.

Magna licet toties tribuas, majora daturus,
Dona, ducum victor, victor et ipse tui.
Diligeris populo non propter præmia, Cæsar:
Propter te populus præmia, Cæsar, amat.

L. 9. *Epig.* 99.

Vindemiarum non ubique proventus
Cessavit, Ovidi; pluvia profuit grandis.
Centum Coranus amphoras aquæ fecit.

Sed ex his omnibus nihil tam movet approbationem legentium, aut eorum, qui scripserint, ingenii aciem ostentat, quàm cùm aliud exspectamus, aliud dicitur. Adeò ut audientibus

primos Epigrammatis versus, et ex prioribus posteriora penè divinantibus superveniat Clausula ex improviso, quæ licet fallat expectationem, probetur tamen ac delectet. Hoc ipsum evincent, quæ profero Epigrammata.

L. 1. Epig. 87.

Vicinus meus est, manuque tangi
De nostris Novius potest fenestris.
Quis non invideat mihi, putetque
Horis omnibus esse me beatum,
Juncto cui liceat frui sodale?
Tam longè est mihi, quàm Terentianus,
Qui nunc Niliacam regit Syenem.
Non convivere, nec videre saltem,
Non audire licet, nec urbe totâ
Quisquam est tam propè, tam proculque nobis,
Migrandum est mihi longiùs vel illi.
Vicinus Novio, vel inquilinus
Sit, *si quis Novium videre non vult.*

Ibid. Epig. 88.

Ne gravis hesterno fragres, Fescennia, vino,
Pastillos Cosmi luxuriosa voras.
Ista linunt dentes jentacula; sed nihil obstat,
Extremo ructus cum venit à barathro.
Quid quòd olet gravius mistum diapasmate virus,
Atque duplex animæ longiùs exit odor.
Notas ergo nimis fraudes, deprehensaque furta
Jam tollas, *et sis ebria simpliciter.*

L. 5. Epig. 48.

Nunquam se cœnasse domi Philo jurat; et hoc est;
Non cœnat, quoties nemo vocavit eum.

L. 6. Epig. 51.

Quid convivaris sine me tam sæpe, Luperce?
Inveni, noceam quâ ratione tibi.
Irascar, licet usque voces, mittasque rogesque.
Quid facies, inquis! Quid faciam? *veniam.*

Nihil istâ Clausulâ magis improvisum est, cui contraria omninò exspectabatur.

L. 7. Epig. 2.

Cur non mitto meos tibi, Pontiliane, Libellos?
Ne mihi tu mittas, Pontiliane, tuos.

L. 9. Epig. 20.

Laudas balnea versibus trecentis
Cœnantis benè Pontici, Sabelle.
Vis cœnare, Sabelle, non lavari.

L. 10. Epig. 43.

Septima jam, Phileros, tibi conditur uxor in agro:
Plus nulli, Phileros, quàm tibi reddit ager.

Hactenùs de Acumine, quod oritur à rebus ipsis; nunc agendum nobis hoc restat, ut de Acumine, quod in verbi vi ac ratione positum est, aliquid adjiciàmus.

ARTICULUS IX.

De Acumine Epigrammatis quod est in Verbo positum.

Acumen omne, quod est in Verbo positum, ex ambiguè dictis penè conficitur. Hæc autem, teste Tullio, censentur inprimis acuta: *Res enim*, inquit ille, *subtilioris ingenii est, vim Verbi in aliud, quàm cæteri accipiant, posse ducere*. Hinc quæ sunt ex ambiguo dicta, singularem conferunt Epigrammati gratiam. Atque eâ præsertìm laude Martialis floruit, cui si concinnum ademeris in ancipiti verborum significatu lusum, maximam Acutè-dictorum partem ademeris. At quoniam Acumen Epigrammatis ejusdem Conclusioni reservari debet, ita quæ proferuntur ambiguè, Clausulam Epigram-

matis efficiunt. Id porrò ex illustribus Epigrammatum exemplis licebit animadvertere.

De Spect. Epig. 3.

Quæ tam seposita est, quæ gens tam barbara, Cæsar,
Ex quâ spectator non sit in Urbe tuâ?

Tum commemoratis variarum gentium populis, qui tunc Romæ versabantur, ita concludit Epigramma.

Vox diversa sonat: populorum est vox tamen una,
Cùm verus patriæ diceris esse pater.

Hîc primo loco *vocem* pro Linguâ sive pro idiomate: secundo loco pro sermone, sive pro sententiâ sermonis Martialis usurpat. Aliâ, inquit, atque aliâ hospites ac peregrini, qui visendi studio Romam confluxerunt undique, utuntur Linguâ; qui tamen sonant et loquuntur idem, cùm patrem te patriæ, o Cæsar, omnes uno ore pronunciant.

L. 1. *Epig.* 80.

Semper agis causas, et res agis, Attale, semper;
Est, non est, quod agas, Attale, semper agis.
Si res et causæ desunt, agis, Attale, mulas;
Attale, ne, quod agas, desit, agas animam.

Facit Acumen illius Epigrammatis diversa significatio, quam patitur, verbum *ago*, et illa inprimis quam habet in Clausâ, *agas animam*, hoc est moriare.

L. 2. *Epig.* 12.

Esse quid hoc dicam, quod olent tua basia myrrham,
Quodque tibi est semper non alienus odor?
Hoc mihi suspectum est, quòd oles benè, Posthume, semper.
Posthume, non benè olet, qui benè semper olet.

Acumen illius Epigrammatis oritur ex ambi-

guâ significatione geminæ illius vocis, *benè olet;* quæ et in proprio sensu sumitur, et ad alienum detorquetur; scilicet pro benè audire, seu bonâ frui famâ.

Ibid. Epig. 65.

Cur tristiorem cernimus Salejanum?
An causa levis est? Extuli, inquis, uxorem.
O grande facti crimen! o gravem casum!
Illa, illa dives mortua est Secundillâ,
Centena decies quæ tibi dedit dotis?
Nollem accidisset hoc tibi, Salejane.

Ultimus versus ambiguus est; nam incertum quid significat. An nollem extulisses uxorem, Salejane? an nollem morte uxoris in tantam hereditatem crevisses?

L. 3. *Epig.* 13.

Dùm non vis piscem, dùm non vis carpere pullos,
Et plus quàm patri, Nævia, parcis apro,
Accusas, rumpisque coquum, tanquam omnia cruda
Attulerit; nunquam sic ego crudus ero.

Vox *cruda* in penultimo versu diversæ significationis est ab eâ, quam habet crudus in ultimo, atque hinc Acumen Epigrammatis exsurgit.

L. 4. *Epig.* 33.

Plena laboratis habeas cum scrinia Libris
Emittis quare, Sosibiane, nihil?
Edent heredes, inquit, mea Carmina: quandò?
Tempus erat jam te, Sosibiane, legi.

Hîc dubites, utrum velit Martialis, edi-ne jam oportere scripta Sosibiani, non expectato herede, an ipsum jam mori, herede, ut facilè fuit, invento?

L. 5. *Epig.* 75.

Quæ legis causâ nupsit tibi, Lælia, Quincte;
Uxorem potes hanc dicere legitimam.

Acumen illius Epigrammatis vertitur in voce *Legitimam* quæ geminum hîc sensum habet. Alia sunt verborum Acumina, quæ ex vocum penè similium aut oppositarum compositione nascuntur. Sed quia sexcenta sunt ejusmodi, parcam in iis referendis operam ludere, paucis contentus id demonstrare.

L. 1. *Epig.* 29.

Si mea vis dici, gratis tibi Carmina mittam,
Si dici tua vis, hæc eme, ne mea sint.

Ibid. Epig. 38.

Quem recitas, meus est, o Fidentine Libellus;
Sed malè cùm recitas, incipit esse tuus.

Ibid. Epig. 110.

Scribere me quereris, Velox, Epigrammata longa.
Ipse nihil scribis, Tu breviora facis

L. 2. *Epig.* 25.

Das nunquàm, semper promittis, Galla, roganti;
Si semper fallis, jam rogo, Galla, nega.

Ibid. Epig. 54.

Argenti Libras Marius tibi quinque reliquit.
Cui nihil ipse dabas, is tibi verba dedit.

L. 3. *Epig.* 61.

Esse nihil dicis, quidquid petis, improbe Cinna:
Si nil, Cinna, petis, nil tibi, Cinna nego.

L. 12. *Epig.* 12.

Omnia promittis, cùm totâ nocte bibisti;
Manè nihil præstas: Posthume, manè bibe.

L. 5. *Epig.* 77.

Insequeris, fugio; fugis, insequor; hæc mihi mens est:
Velle tuum nolo, Dindyme; nolle, volo.

ARTICULUS X.

De Scriptoribus Epigrammatum.

GRÆCI.

Cùm infiniti sunt Græcorum Epigrammatum Scriptores, tùm prolixioris operæ foret de singulis aut etiam de præcipuis velle quidpiam delibare. Quare satis habebo indicare fontes, quos curiosis rerum istarum adire liceat. Hoc est varios appellare collectores Græcorum Epigrammatum, qui variis temporibus hanc sibi sumpsere provinciam, ut sparsa multis in locis Græca Epigrammata unum in corpus colligerent.

Primus fuit Meleager, homo natione Syrus, qui Seleuco VI. Syriæ Rege ultimo regnante vixisse fertur. Is ex diversis totius antiquitatis, et ex quadraginta Scriptoribus Epigrammatum decerpsit flores, et indè Coronam texuit; atque ita inscripsit, cùm suum cuique florem Poetæ attribueret; ut ipse pro parte suâ aliquid in Textum illud suave ac speciosum conferret. Digestum est opus et dispositum pro ordine Litterarum, undè singuli Poetæ initium nominis ducerent.

Altera est à Philippo Thessalonicensi Corona contexta, instituto et exemplo Meleagri; secutus est enim rectam seriem Litterarum, et ad Poetas singulos singulas vel plantas, vel flores, vel arbusculas adjunxit. Vixit ille Julii Cæsaris aut Octaviani Augusti temporibus, ut ex ipsius Epigrammatis, quibus Imperatori Cæsari victorias gratulatur, licet conjicere. Profitetur autem se recentiores sui temporis Epigrammatum Scrip-

tores collegisse, uti Meleager veteribus colligendis operam dederat.

Tertius Epigrammatum conquisitor Agathias nomine, Asianus et Myrinæus, qui simpliciter in unum aggregavit locum nova quædam Epigrammata, quibus aliquid ipse de suo contulit. Hunc quingentis circiter post annis ætas vidit Justiniani. Quæ vel collegit vel scripsit, inferioris notæ debent videri, ut seriùs nata quodammodò, et non optimis adulta temporibus.

Postremus Epigrammatum collector Planudes, qui floruit anno suprà millesimum trecentesimo octogesimo Romæ, Urbano VI. Pontifice Maximo; Vir Græcis ac Latinis Litteris excultus. Librum ille suum distribuit in septem volumina, habenturque quolibet volumine certa capita rerum, certæ per communes locos Inscriptionis. Hæc autem inter cæteras habetur Planudi gratia, quòd sedulam resecandis turpibus quàm plurimis diligentiam adhibuerit.

ARTICULUS XI.

Latini Epigrammatum Conscriptores.

Primus occurrit Catullus, ne quid de Cicerone dicam, qui aliquot Veterum Epigrammata de Græco in Latinum transtulit. Is Epigrammatum inter Scriptores principem habere locum meruit, si quibusdam Catulli impensis admiratoribus creditur. Rapit illos nimirùm eximius quidam Latinitatis nitor, dignusque fortunatis temporibus, quibus Romana Lingua supremum absolutionis apicem visa est attigisse. Quam ipsi gloriam etsi detrahendam non putem, ità non

pariter sentiam, eum sic præcellere in cæteris; ut nemo venire laudis in contentionem possit. Equidem sectatus non est Acumen in Epigrammatis, nativo lepore ac simplici venustate contentus. Verùm an continuò damnandi sunt illi, qui nec Acumen neglexerunt, quæ dos est Epigrammatis non ultima? Quanquam est in Catullo venustas ac lepor? At si spurcitias omnes, quas affatìm importunus obtrudit, ademeris, quàm multa numeres Epigrammata, quæ venustate solâ ac lepore placeant? Jam stylus ejusdem qui concinnus in Lyricis, elegans ac numerosus est, quàm durus in Distichis, quàm plenus salebris et incomptus invenitur. Igitur ità commendetur Catullus in Epigrammatis, ut neminem habere parem aut etiam superiorem non videatur.

MARTIALIS.

Marcus Valerius Martialis natus est Bibili, quæ civitas est Hispaniæ in Celtiberiâ. Vixit sub Domitiano. In Italiâ mansit 35 annis, quibus exactis rediit in Hispaniam suam, ubi decessit, Imperante Trajano, anno ætatis suæ 75.

Scripsit quatuordecim Epigrammatum Libros, præter illum quem de Spectaculis inscripsit, qui, pro contagione malâ spurcissimæ ætatis suæ, obscœnis et inficetis tam argumentis quàm versibus non vacant. Verùm si singulis è Libris rescindantur nonnulla, quæ pudori adversantur, uti fecit pro pietate suâ Josephus Juvencius è Societate Jesu in suo, quem edidit et eruditissimis notis illustravit, Martiale, restabit adhuc amplum volumen, quod inoffenso pede, nec sine voluptate decurras.

Est enim in Epigrammatis Martialis magna rerum varietas, quâ Lectorum fastidiis solerter occurrit: accedit dignitas argumenti, quam præsertim commendat in Libro Spectaculorum, ubi dexter adulator multa ad captandam Imperatorum gratiam commentus est. Non abest sententiarum copia, non venustas ac lepor, quæ sola Epigrammatis plurimis laudem conciliant. Jocatur ingeniosè, aceto plenus ac sale, sed eodem innoxio, quia lædit neminem, nec quemquam nominatim appellat aut perstringit. Quòd si qua Acuminum est gloria, uti reverà est, dùm Epigrammatis fines non excedit, horum pro jure suo princeps haberi meruit Martialis, et omnibus Epigrammatum Scriptoribus tanquam absolutum exemplar proponendus. At, quod vidi perpaucos advertere, et quod singulari admiratione dignum est, tantâ eruditionis supellectili referta sunt Martialis Epigrammata, ut totam antiquitatem Romanam, eadem probè intelligentibus, in brevibus illis Poematis comprehensam exhibeant.

Conqueruntur quidam occurrere identidem Epigrammata rerum vacua, frigida nonnunquam et salis expertia. Hoccine adeò mirum est in tantâ Epigrammatum multitudine irrepsisse nonnulla, quibus nævus aliquis adhæresceret? Rem ipsam sensisse videtur Martialis, et obtrectatorum querelas prævertere voluisse, qui sevèriùs multò, quam par erat, de suo ipsius Libro pronunciaverit.

Sunt bona, sunt quædam mediocria, sunt mala plura,
Quæ legis hìc: aliter non sit, Avite, Liber.

Quòd spectat stylum Martialis, non incultus neque incomptus videri debet; cujus si Latinitas

ad Catullianam non accedit, accusa vicissitudinem temporum, quæ, dùm scriberet, à puritate sermonis et elegantiâ multùm jam defecerant.

AUSONIUS.

Nihil hîc moror Ausonii Epigrammata, in quibus occurrunt pauca, quæ velis tollere, multa passìm inveniuntur, quæ propter turpissimam obscœnitatem, perenni silentio obliterari mereantur.

FINIS POETICÆ.

CARMINUM
LIBER PRIMUS.

HEROICA SACRA.

POETA CALAMUM SUPERIS DICAT.

Ludor? an attonitam ducunt cœlestia mentem
Visa, nec insertis surgit fiducia monstris?
Vix erat orta dies, tenebrisque Aurora fugatis
Depulerat molles oculis et pectore somnos.
Protinùs ecce mihi delabitur æthere ab alto
Penna, manumque implet. Divûm venerabile munus
Accipio : nam quod mortalis dextera donum
Par feret? aut Pennæ tantos æquabit honores?
Scilicet illa nives superat candentibus alis;
Quas inter molli sensim de caudice durus
Exoritur lævisque tubus, quem parte sub imâ
Docta manus scalpro in bifidum tenuavit acumen;
Quo meliùs nigrum admittat reddatque liquorem.
Hîc verò exclamans, et me pia Numina, dixi,
Respiciunt, nostroque aspirant fata labori.
At non immemores erimus; persolvere certum est,
Quas Superi repetunt memori de pectore grates.
Sit mihi sol testis, sitque hæc mihi terra precanti,
Et pelagus terræ circumfluus. Hanc ego vates
Ante aras, vestro, Divi, de munere Pennam
Agnosco propriamque dico; ac si carmine possum
Digna satis, vestros Penna hæc celebrabit honores.
Hæc ego. Sic nostras foveant bona Numina Musas
Atque inter magnos olim dent sidere vates.

FRATRICIDIUM IN CAINO VINDICATUM.

Per montes fugiens perque invia saxa Cainus
Errabat; fraternæ illum mens conscia cædis
Hùc adigit, terretque novis fera pectora monstris.
Ille adeò furias ardentibus undique tædis,
Instantes metuens, penetrat, quà densior arbos
Funditur, atque ingens foliorum exuberat umbra.
Hîc dùm mordaces agitat sub pectore curas
Anxius, et profugæ crescunt mala tædia vitæ;
En tibi Lamechus saltus venator opacos
Ingreditur; subeunt luco, mora nulla, sagaces
Discursantque canes, et odorâ nare latentem
Rimantur prædam, gaudentque agitare repertam.
Excepit strepitum perculsâ mente Cainus;
Et ratus ultrices Erebi prodire cavernis
Eumenidas, dumis sese nigrantibus abdit.
Hùc illùc volvens oculos et singula lustrans
Aspexit miserum Lamechus, aprùmque latentem
Dùm putat, impulsam nervo stridente sagittam
Projicit. Illa volans tenues diverberat auras,
Atque illapsa fero præcordia perforat ictu.
Sacrilegam vomit ille animam cum sanguine, et alto
Vulnere inhærentem dextrâ moriente sagittam
Frustra sollicitans, rupto de pectore questus
Ingeminat: Nostro qui tela inimica cruore
Tinxisti, meritum vindex pro talibus ausis
Excruciet Deus, et pœnas à sanguine sumat.
At tu, sævus Abel, qui me hæc in fata vocasti,
Crudeles iras et inexsaturabile pectus
Sanguine fraterno exsatia: nunc morte Caini
Pasce oculos. Sed enim morior! jam spiritus artus
Deserit, et fractæ fugiunt de corpore vires.
Pande tuos mihi, terra sinus: sub tartara cœlo
Invisum hoc detrude caput. Mors plura volentem
Dicere, corripuit, voxque effera faucibus hæsit.
Discite, mortales, culpam vitare, Deumque
Moribus ingenuis venerari et supplice cultu.

Namque Deus justâ si quandò lentus in irâ,
Ultricisque manûs pendentem sustinet ictum;
Non tamen absolvit, quos vult punire, nocentes.

NOEMUS IN CYATHO NAUFRAGUS.

Non ego Neptunum aut sorbentes corpora lymphas
Sic metuam, ut Bacchi latices, et iniqua cerebro
Pocula, queis dulci mens naufràga mergitur haustu.
Lenæi quid enim fallacia munera possint,
Certa dabis nimiùm expertùs documenta, Noëme.
Hic teneras ulmis primus conjungere vites
Instituit: primus calcatis præla racemis
Audiit ingemere, et labris sitientibus hausit,
Insolitum repetens iterùmque iterùmque liquorem.
Ast ubi perpureâ se proluit impiger undâ;
Continuò dubiis titubant vestigia plantis,
Ægraque difficili balbutit lingua palato.
Nant oculi; caput ancipiti vertigine nutat:
Quæque gubernaclum certâ sub legè regebat,
Deficit, et forti cedit mens icta Lyæo.
Tum corpus nunc hùc titubans nunc fluctuat illùc.
Haud secùs excusso navis spoliata magistro,
Adversis hinc indè volat ludibria ventis;
Et peritura vagos exercet in æquore gyros.
Siccinè, quem Cœlum, quem nec Thetis omnibus undis
Perdidit, hunc blando delusum munere vincis,
Perfide, Bacche, scyphique angusto mergis in alveo.

CHRISTUS IN JOSEPHO ADUMBRATUS.

Ibat secretæ tacitus per devia sylvæ,
Quò patris mandata vocant, sortisque futuræ
Inscius, ad fratres sese Josephus agebat.
Cùm procul hinc tumulo venientem aspexit ab alto,
Lanigeras dùm pascit oves turba impia fratrum.
Exarsêre ignes animis; subit ira nefandum
Unanimes tentare scelus, conceptaque dudùm
Exsaturare odia, et sceleratas sumere pœnas.
Namque adeò infausti monitus et conscia veri

Somnia, sollicitis memori sub corde recursant;
Ægraque servitii turbant portenta futuri.
His super, ante alios Simeon immanior omnes
Accelerat, stimulisque haud mollibus aggerat iras.
Ergo, ait, et fratres, facilemque impunè parentem
Despiciat puer, et fastu sublatus inani
Arroget ipse sibi, quos non ambimus, honores?
Eia agite, ultrices tingamus sanguine dextras.
Hæc ubi dicta, ruunt facto agmine, jamque trementem
Hinc atque hinc circumveniunt, raptantque trahuntque.
Ac veluti errantem solis in vallibus agnum
Si quando vidêre lupi, mora nulla, furentes
Insiliunt prædam in facilem, mactantque vorantque,
Et tepido siccas restingunt sanguine fauces.
Sic animis juvenum furor additus arma ministrat.
Hic tenerum tundit repetito verbere pectus;
Insontes ferit ille genas; tunicam eripit alter
Ex humeris, jactansque patris lacrymabile donum
Ventilat, optati monumentum insigne triumphi.
Intereà pars innocuas in vincula palmas
Ire jubet, pars mille vomit convicia linguis.
I, morere infelix; tales tibi somnia fructus
Vana ferunt? Sic ante pedes, cultuque voluti
Supplice, te dominum fratres et numen adorant.
Ille autem tristi gemitus de pectore ducens,
Attollensque polo lacrymantia lumina frustrà,
Lumina, nam geminas urgent fera vincula palmas,
Fata Deus vobis, inquit, meliora rependat!
Nec repetat, Fratres, tanto pro crimine pœnas!
Fallor, an hæc fuerit Christi morientis imago.
Ille etenim æthereâ demissus ab arce, parentis
Imperio, jussusque humiles invisere terras,
Et fratrum afflictis afferre levamina rebus,
Immeritam accepit tanto pro munere mortem.

ESTHER CORAM ASSUERO.

Eheu! quis gelidos quatit æger anhelitus artus?
Genua labant; animus me deficit; urget inertes

Nox oculos; lucem nequicquam incerta requiro.
Ah! morior... vos ô celeres fulcite cadentem
Reginam famulæ... Princeps ignosce, verendum
Si limen, vultusque sacros injussa subivi.
At funesta dies et ineluctabile tempus
Imminet... O Superi, cladem hanc avertite, quæ me
Perdat, et Isacidas fatis involvat eisdem!
Nobis nulla salus; et, ni tua cura resistat,
Rex magne; immeritam juratus perdere gentem,
Funeream, heu! nescis, legem sancivit Amanus!
  Quod scelus ob nostrum? num sumpsimus arma rebelles?
Nùm perferre jugum indociles fatalia vincla
Rupimus? an patriam graviùs lugemus ademptam?
Sed quid ego hæc? Quòd te Regem dominumque fatetur
Parthus, et ante pedes capitis minor accidit Indus:
Quòd solitum infractus felici marte furorem
Dedidicitque Scythes, subditque ferocia colla;
Hoc nostræ virtutis opus. Majora referre
Si liceat, superâ, Princeps, quòd vesceris aurâ,
Hæc Mardochæo, meministi, debita laus est.
Scilicet hic cladem caput in regale paratam
Depulit, inque ipsos cecidit vindicta nocentes.
Anne crucem obsequii pretium ferat ille fidelis?
Hæc Mardochæum maneat, te Principe, merces?
  At non ulla mora est; crudelis si quid Amani
Jussa valent, crux erigitur feralis in auras,
Undè, nefas, fidus mox pendeat ille minister.
Quòd te, per si qua est pietàs, Rex magne, per istos,
Quos teneo complexa pedes, per, si tibi quidquam
Nostrum dulce fuit, sponsæ miseresce precantis,
Et tristem bonus Isacidis averte ruinam.
Sic multos Persis, Te sospite, gaudeat annos;
Sic longùm Arsacidas tranquillâ in pace gubernes!

DAVID PŒNITENS.

Dum trahit assiduo renovans suspiria corde
Jessiades, scelerumque memor, vultumque sinusque
Perfundit lacrymis, si fors placare Tonantem,

Et capiti valeat pœnas arcere nocenti.
Ecce repentino sonitu discedere cœlum,
Terrificasque videt lucere ex æthere flammas.
Protinùs oranti nequicquam et multa precanti
Aliger in mediâ dat sese luce videndum.
Verùm heu! qualis erat! placido non spirat in ore
Gratia, non flavi ludunt per colla capilli,
Nec blandæ portat felicia nuncia pacis.
Ore sed accenso furor implacabilis ardet;
Scintillæ absistunt oculis, pestemque famemque,
Et gladium in manibus, sacri monumenta furoris;
Ventilat, et miserâ funestat imagine Regem.
Ille novo sensit turbari pectora motu,
Et tristes cum voce oculos ad sydera tendens,
En ait, alme Deus, si vis punire nocentem,
Nil moror; in pœnas adsum quascumque paratus;
Promerui infelix, justas neque deprecor iras.
At tu parce, precor, populo nil tale merenti;
In me unum sævisse sat est; ego debita solus
Victima sponte cadam, felix! si sanguine possim
Eluere, et sceleris maculas abolere nefandi.

ULTIO PRETIOSA.

Samson suo Victor in Funere.

Delicias inter mensarum, et dulcia pacis
Gaudia, securi Isacidum jucunda Philisthæi
Otia carpebant: et iniquo tempore clades
Acceptas, multo consolabantur Iaccho.
Scilicet ante alios, durum quem senserat hostem
Impia gens, rigidi Samson sub pondere ferri,
Ingratamque trahens gemino sine lumine vitam,
Victrices iras versâ vice, et hostis amari
Indecores nullo fastus ultore ferebat.
Namque sub extremæ lætissima tempora cœnæ,
Proh! pudor! inviso raptus de carcere Samson
Mille jocos populo in magno, ludibria de se
Mille dabat, miserum turbâ illudente laborem.

Ænea nequicquam tentando solvere certet
Vincula, et adversas unus perrumpere turmas,
Ut quondam; non spirat idem sub pectore robur,
Virtusque in mediis conatibus ægra resistit.
At non dira tamen sceleratæ gentis inultus
Probra tulit, justas sed protinùs arsit in iras;
Atquæ hæc flammato tacitus sub corde volutat.
Ergo ratum est? nullus, Deus ô sanctissime, nostri
Nominis ultor erit? pro Te gens impia Numen
Dagonis colet, et sacro celebrabit honore?
Da, Deus antiquum renovari in corpore robur,
Quasque insanus amor rapuit, mihi suffice vires.
Nil ego vel proprio malesanam perdere gentem
Exitio verear; dùm sanctæ opprobria legis,
Atque tuum ulciscar scelerato in sanguine nomen.
Talibus orabat vultum conversus Olympo,
Cùm solitum membris sensit rediisse vigorem,
Afflarique novos animis ingentibus ausus.
Extemplo, quà certa viam fiducia monstrat,
Adrepit tacitè, geminis ubi nixa columnis
Tota domus, cœlo culmen regale ferebat;
Amplexusque manu validâ concussit utramque.
Præcipitant, tecti moles immensa repentè
Cum sonitu cadit; ingentem dat lapsa ruinam,
Atque uno condit Samsonem hostesque sepulcro.

ABSALO MORIENS.

Jam procul horrifico resonabant cornua cantu,
Et signum ferale dabat cava buccina pugnæ.
Ipse ferox animi, nitidisque superbus in armis
Absalò, per medias rapido volat impete turmas;
Et patrio certus mercari funere regnum
Audaces acuit cœptis immanibus iras.
Quanquam ô, te fallit regnandi cæca libido;
Quò periture ruis? quò te malus error egentem
Consilii rapit? insanum compesce furorem
Ocyùs; an nescis, quæ fata rebellibus instent.
Aspicis, ut justus scelerum Deus ultor ab alto

Intentat pœnas, supremaque fata minatur.
Pone modum sceleri tristemque averte ruinam.
Ludimur, et nullas voces tractabilis audit.
Intereà coeunt acies, strictisque repentè
Ensibus horrescunt campi, pugna aspera surgit,
Et miseræ exoritur facies tristissima cædis.
Incertis utrinque diù victoria pennis
Erravit circumvolitans; queis partibus adsit
Nescia, vel palmæ cedat victricis honorem.
Pœnituit dubitasse; nefas exosa, rebelles
Horret, et innocuas repetit conversa catervas.
Agnovit Juvenis; patriis dare terga maniplis
Cogitur, instantemque fugâ prætervehit hostem.
At victorum iras, densæ per devia sylvæ,
Dùm cursu vitat, volitantem implexus adhæsit
Cæsariem, miserumque pependit ab ilice pondus.
Regius excelso speculatus ab aggere vidit
Armiger, et Regis contraria jussa secutus,
Condidit adverso Juvenis sub pectore ferrum.

CURIOSITAS INCONSULTA.

Saül Samuëlis umbram consulit.

Quem dubiæ eventum pugnæ sibi fata reservent,
Sollicitus partes animum versabat in omnes,
Multa Saül secum reputans, nec rebus in arctis
Quid fugeret, vel quid potiùs sequeretur, habebat.
Namque importunis precibus, pecudumque cruore
Usque fatigatum Numen responsa negabat.
Mox etiam diris agitatus pectora monstris,
Anxia dùm capiunt fatales lumina somnos,
Hùc, illùc vario curarum fluctuat æstu.
Tùm verò victusque metu, victusque dolore;
Ergò-ne, ait, durum semper mihi, semper iniquum
Numen erit? nec fida dabit responsa petenti?
Sed quid ego hæc? Cœlo ni me Deus audit ab alto,
Audiet, infernis si quis Deus imperat antris.
Continuò secreta Magæ penetralia solus,

Antra procùl diris circum defensa tenebris
Ingreditur; juvat antè alios excire sepulchro
Extinctum Samuëlem et notos cernere vultus.
Mens ignara hominum! Nam quò, Rex impie, tendis?
Aut quis dementem furor inconsultus adegit,
Fatorum infandam seriem penetrare tuorum?
Ecce autem immanis, baratro crepitante, tumultus
Exoritur; partes tellus se findit in ambas,
Et vasto fauces Erebi recludit hiatu!
Tristibus ex adytis, cæci et penetralibus Orci
Excita fatidici surgit Samuëlis imago;
Et sese antè oculos Regis mœstissima sistit.
Tempora per, grandèsque humeros veneranda fluebat
Canities; nive candidior velabat amictus
Membra, pedesque fluens vestis pendebat ad imos.
Talis erat, cùm te frustrà, Rex impie, quondam
Argueret, justasque Dei portenderet iras.
Territus aspectu Rex horruit; occupat artus
Indè tremor, totoque amens expalluit ore.
Protinùs in terram prono se corpore supplex
Præcipitat, vatisque pedes veneratus, in istas
Vix tandem erumpit, miserandâ voce, querelas.
O Tu, præsidium quondam! Tu, maxime Vates,
Imperii decus, et rebus solamen iniquis,
Afflicto fer opem, vivus quam ferre solebas:
Nutantem confirma animum, nostrosque benigno
Affatu, ne te pigeat sedare timores.
Hinc pavidas acies terrent inimica, Philisthæi,
Agmina, et insurgens latè circumtonat Achis.
Indè Deus, Deus ultor adest, longùmque silendo
Dirum omen, tristesque mihi denunciat iras.
Ergò, si qua pios tangit miseratio manes,
Si quis amor nostrî superest, obscura resolve
Fata, precor. Quis me dubiis manet exitus armis?
Dixerat; irato Samuël sic incipit ore.
Quis furor est, manes etiam turbare quietos?
An vivum vexasse parum est? jam parce sepulto.
Vel si tantus amor tristes cognoscere casus;
Accipe, quæ responsa tibi Deus ipse remittit.
Nulla salus misero restat, gens impia vincet;

Et retrò Isacidum coget dare terga maniplos.
Ipse inter turbas fugientiaque agmina victus,
Orabisque necem, et furiali percitus æstu
Intima fatali rumpes præcordia ferro.
Nec melior miserum Jonatham fortuna sequetur.
Hostili cadet ille manu; patrisque superbi
Victima, crudeles persolvet funere pœnas.
Disce Deum monitus sacras neque temnere leges.
Sic ait, et noctis rursùm se condidit umbris.

PATIENTIA REMUNERATA.

Job adversis major.

Hei mihi! nam quis adest stratus liventia pingui
Membra fimo, et testis putri de carne fluentem
Abstergens saniem? Jobi hæc patientis imago est.
Agnosco magnæ specimen virtutis, et orbi
Attonito exemplum cunctis memorabile seclis.
Hîc vir hic est! per tot rerum discrimina quondam
Jactatus, stygii crudeles hostis ob iras!
Sed quò priscus honos, quò dives copia cessit?
Quò veterum fugit turba officiosa clientum?
Quò fidi comites, dùm tempora læta fuerunt,
Assueti stipare latus? Jam nullus egenti
Præbet opem; miserum nemo solatur amicum.
Proh! dolor! afflicto conjux super una marito,
Ærumnæ cumulus, verbis quæ vexat amaris
Immeritum, cœloque procax illudere certat.
At non ulteriùs fortuna inimica lacesset
Insignem pietate Virum: Deus arbiter æqui
Amissas reparabit opes cum fœnore, et ultrò,
Quæ meruit victrix patientia, præmia reddet.

MOSES REGNI CONTEMPTOR.

Inter delicias magnâ Pharaonis in aulâ
Crescebat satus Hebræo de sanguine Moses;
Surgebatque puer Pharii spes maxima Regni.

Scilicet è mediis olim quæ sustulit undis
Incolumen, duri Thermuthis nata Tyranni,
Materno puerum studio complexa fovebat.
Sæpè ulnas inter gestabat amabile pondus,
Et roseis gremio refovens dabat oscula labris.
At dùm colludit tenero Regina puello,
Ecce Ægyptiaco parvam diademate frontem
Cingere amat, collo torquem circumdat eburneo,
Regalique oneri trepidàm gestamine dextram.
Obstupuit visu puer, et pia lumina cœlo
Attollens, sceptrum regale et frontis honores
Projicit, et pedibus gaudet calcare superbis.
Cresce, puer, cresce his animis, melioribus olim
Auspiciis, populum maria inter vasta fidelem
Ductor ages; discet, Te vindice, ponere fastus
Gens inimica Deo, ponti tumulata sub undis.

DAVID ANTE ARCAM SALTANS.

An vigiles fallax oculos illudit imago?
An malè sopitos agitant insomnia sensus?
Ecce potens bello magnâque in gente verendus
Rex David pulsat vocales pollice nervos,
Exercetque leves vili cum plebe choreas.
Hei mihi! qualis adest! quantùm mutatus ab illo,
Qui nuper flagrans clypeo et fatalibus armis
Cogebat versos in perfida castra Philistas!
Nùm furit, et mentem præceps insania versat?
Ah! video, furor est! superâ sed missus ab arce
Ille furor! Tu, magne Deus, propiore volentem
Numine circumagis, stimulisque haud mollibus urges.
Nec, tibi dùm læto populi sua gaudia plausu
Testantur, terrisque canunt cœloque tremendum,
Dedeceat festis Regem indulgere choreis.
Tuque adeò tali conjux indigna marito,
Parce pium immeritis Regem irritate cachinnis.
Scilicet ultor adest; risu quem stulta procaci
Sprevisti pariter, pœnas Deus ingeret æquas;
Ne dubita, longùmque lues convicia linguæ.

Nullus erit tibi Jessiades, qui parvulus aulâ
Ludat, et optatâ faciat te prole parentem.

DAVID VIOLENTÆ SITIS VICTOR.

O MIHI Bethlæo gelidos è fonte liquores
Si quis anhelanti ferat officiosus, et æstu
Irriget exhaustas et longo pulvere fauces!
Talia sollicito fundebat pectore verba
Rex David, vatesque idem, metatus apricis
Castra locis, medium cùm sol ascenderet axem,
Et latè steriles torreret Sirius agros.
  Nulla mora est; tres ecce viri, fortissima bello
Pectora, succensi laudisque et Regis amore
Antevolant, certamque viam per tela per hostes
Moliti, optatum portant in casside fontem.
Hîc cœlo attollens oculos Jesseia proles;
Ergo, ait, ergo tuæ tanto discrimine gentis
Restinxisse sitim David, Deus alme, feretur?
Non ita: vel siccas urat sitis arida fauces,
Fundetur liquor iste Tibi, mulcebit et iras.
Dixit, et oblatas effudit casside lymphas.
  Extollant alii partos ex hoste triumphos:
Major ades, Rex magne, sitim cùm vincis, et ultrò
Respuis optatos latices, quàm vulnere certo
Immanem cùm stravit humi tua dextra Gigantem.

PUDICITIA VINDICATA,

Seu Susanna liberata.

IBAT ad extremum nullius conscia culpæ
Supplicium, vultusque solo Susanna pudicos
Flebiliter dejecta, frementibus undique saxis
Innocuum patiens caput objectare parabat.
Insequitur totâ perituram ex urbe furentis
Vis ingens populi, famâque accensa sinistrâ,
Clamat turpe scelus crudeli morte piandum.
  At non intereà nemo miseratur acerbas

Quas patítur Susanna vices; tristissima multos
Quà se cumque ferat tangit pietatis imago.
Pars defixa super venerandæ frontis honores,
Suffusumque genis longùm mirata pudorem,
Absolvit tacitis insontem vocibus; et jam
Avertat proprio, si fas, discrimine pœnam.
Ipsa autem ingenti pectus concussa dolore
Sustulit ad cœlum perfusa flagrantibus òra
Fletibus, et secum tacitâ sic voce precatur.
O Pater, ô sceleris vindex, tutorque piorum,
Qui potes humanæ solus penetrare latentes
Secessus animæ! nosti si culpa nocentem
Ulla gravat; si quandò totos infida jugales,
Impuroque sacras violavi crimine tædas.
Ecce tamen Deus ah! morior, turpemque, scelesti
Quam meruere, luo crudeli funere pœnam!
Anne quod illæso rejeci à corpore, fœdos
Sollicitata Senes, et blandimenta refugi
Noxia? Defensum sanctæ virtutis honorem
Supplicium hoc maneat, custos Deus alme pudoris?
Hæc effata sinum lacrymis rorantibus implet.
  At non oranti Deus abfuit: ecce per auras
Vox pueri repetita sonat, populique ferocis
Sollicitam trepidâ miscet formidine mentem.
Quò vos, Isacidæ, malè credulus error, egentes
Consilii rapit, et cœptis immanibus effert?
Assyriæ perit urbis honos et gloria gentis
Susanna, et pœnas nullo pro crimine solvit?
Scilicet illicitas casto sub pectore flammas
Dicitur admisisse? animi sic nota pudici
Intemerata fides? sic vos inimica potestas,
Et mala sacrilegæ ludunt convicia linguæ?
Sed violate pio crudeles sanguine dextras,
Et cœptum cumulate scelus; ruite omnia saxa
Immeritum in caput; at nunquàm, quocumque cadat res,
Partem opere in fœdo Daniel habuisse feratur.
Obstupuere omnes, et quos ferus ardor agebat
In facinus, pueri imbellis vox una repressit.
Mox varius serpit diversa per agmina rumor;

Quidve puer referat, quæ sit fiducia dictis,
Ardent scitari, rerumque exquirere causas.
Ille Senum postquàm facinus convicit iniquum,
Et fraudis coram dedit argumenta nefandæ;
Ad mortem impatiens populus, morâ nullâ, reposcit
Lenones geminos; et, quas inferre parabant,
Saxorum oppressi persolvunt grandine pœnas.

JUDITHÆ DE HOLOPHERNE

TRIUMPHUS.

Assyrii fera castra ducis mediasque phalanges
Attigerat fidens animis Juditha, Deique
Auspiciis, rabidas Holopherni mulserat iras.
Tanta pio sese fundebat gratia vultu!
Tantum nativo dederat Deus ipse lepori,
Et frontis decus et formæ melioris honorem!
At non in gravibus mulier generosa periclis
Est oblita suî, patriamque impunè ruentem
Sustinuit, denso quam milite barbarus hostis
Obsessam, tristi subvertere clade parabat.
Namque ducem ut vidit somno vinoque sepultum,
Atque altos imo ducentem pectore ronchos:
Hæc secum: sic ergo tibi temerarius hostis
Insultet, nec erit, qui te, Deus alme, tuumque
Subducat populum fatis instantibus ultor?
Non ita: quas meruit scelerato in sanguine pœnas
Fœmineâ luat ille manu, cœloque verendum
Et terris sciat esse Deum! nec plura locuta,
Protinùs insolitas revocari in pectora vites,
Fœmineumque abigi sensit de corde timorem.
His animis thalamo adproperat secura pericli,
Fulmineumque manu capit imperterrita ferrum,
(Quod lecto fati imprudens religarat eburneo
Bellator, non hos servatum munus in usus;)
Et cœlo conversa oculos, dextramque precantem
Attollens, nunc ô summi regnator Olympi,
Alme Deus, nostros nunquàm frustrate vocatus,

Da, precor, imbelli vindex felicia dextræ
Robora, et insolito præsens succurre labori.
Tempus, ait, nunc tempus adest; sic fata, Tyranni
Continuò, lævâ crinem implicat, atque jacentis,
Ense bis impacto, caput à cervice revellit;
Vulnere quo largos cervix dedit undique rivos.

IMPIETAS MULCTATA,

Seù fatale Balthasaris Convivium.

FATALES epulas et fœdæ gaudia mensæ
Balthasar obscœnâ scortorum adstante coronâ
Carpebat, Solymæque adytis erepta verendis
Aurea pollutis violabat pocula labris.
Demens qui justas illusi Numinis iras,
Nec capiti metuat non evitabile fulmen!
Dùm læto unanimes celebrant convivia baccho,
Et pulsata vago resonant longa atria plausu;
Ignotæ nova forma manûs laquearia circùm
Serpere, et obscuros in pariete ducere tractus.
Turbati inclamant Proceres, cunctique relictis
Consurgunt mensis; at Rex, cui pectora pungit
Conscia mens scelerum, stimulisque sequacibus urget,
Me, me, inquit portenta petunt; hanc criminis ultor
Armavit Deus ipse manum; jam nulla supersunt
Sceptra mihi; morior, nec contra obsistere fas est.
Haud longum in medio tempus; dùm nocte silenti
Balthasar ingratum patitur per membra soporem,
Hostis habet muros, in portas undique Medi
Irrumpunt Persæque graves, multisque peremptum
Vulneribus Regem confusâ in strage relinquunt.
I nunc, atque Deum factis illude nefandis.

ELEAZARUS IN MORTE VICTOR.

INFENSAM Isacidum juratus perdere gentem
Antiochus, misero circum loca cuncta tumultu,
Et pavidas latè implebat terroribus urbes.

Illum inter medios dorso famulante superbum
Fert elephas, cingunt alacres hinc indè manipli.
Vidit ab adverso venientem Eleazarus hostem;
Vidit, et immenso transfixus corda dolore
Concepit dignas animis ingentibus iras.
Ergo, ait, insanos exerceat usque furores,
Sacrilegoque Deum Rex impius ore lacessat?
Ibo, ibo vindex Solymæ: nec plura locutus,
Fulmineum minitante manu rotat impiger ensem,
Hostilesque subit cuneos: quâcumque ferat se,
Fit via, vi, rumpitque aditus, cadit hostis utrinque;
Luctantemque animam sævo in mucrone relinquit.
Mox ubi cæde madens hostem pervenit ad ipsum,
Procubuit, mediusque feræ inter crura volutus,
Quâ reclusit hians aditum lorica patentem,
Altiùs insinuat setosa per ilia ferrum.
Icta cadit nequicquam ululans, victumque cadendo
Bellua subvertit vasto cum pondere Regem.
Ipse etiam victor sub mole oppressus eâdem
Insignem reperit vel in ipsâ morte triumphum.

MACHABÆORUM MATER FILIO

AD MORTEM HORTATRIX.

Pro ritu patrio, pro Religione tuendâ,
Jam dulces animosa parens sex ordine natos
Viderat innocuo pendentes sanguine pœnas.
Purpureas non illa genas, non pectora tundit,
Aut flavos lacerat, matrum de more, capillos.
Dulcibus at lacrymis vultus perfusa serenos,
Sic natum minimum alloquitur, nam septima duris
Victima restarat tortoribus. Eia age, dixit,
Eia age, matris amor, spes ultima; fratribus ultrò
I frater comes, et paribus non degener ausis
Pone animam, et furias immanis vince tyranni.
Quæ fratrum fortes animas jam regia cœli
Excepit, te te expectat, tibi limina pandit.
Talia dicèbat, cùm barbarus ecce satelles

Corripiens puerum, feralibus admovet aris;
Porcinasque jubet minitans contingere carnes.
Ille indignantem vultumque pedemque retorsit;
Et teneras cum voce manus ad sydera tollens,
Isacidum dominator, ait, qui numine torques
Omnia; pollutis prohibes accumbere mensis,
Nulla dies unquàm immemorem legisque meîque
Arguerit; non si Antiochus mihi funera mille,
Mille cruces ferus intentet. Tu, Lictor, adesto;
Me, me adsum. Tibi, quam dederas, Deus optime, vitam
Reddo volens; pulchroque juvat succumbere letho.
Talibus oranti miles caput amputat ense.
Volvitur, et teneros sparsus cruor irrigat artus.

EXORTUS AB IMPIO DEI VINDICIS

METUS SEU ANTIOCHUS MORIENS.

Affixus lecto vicinâ in morte jacebat
Antiochus, sontemque animam exspirare parabat.
Scilicet atra lues udo sublapsa veneno
Iverat, et totos sensim diffusa per artus
Ossaque et infestâ vitiârat labe medullas.
Jam putrido innumeri de corpore surgere vermes,
Jam sanies fluere, et tetram exhalare mephytim.
Sic ades, et quanquàm lentus punire nocentem
Exspectas, acer recti Deus ultor et æqui,
Semper ades, quasque impietas, quas fœda libido
Promeruit, certo repetis post tempore pœnas!
  Horrescunt visu Proceres, scelerumque fidelis
Turba comes longè fugit, et fœtoris iniqui
Impatiens, tanto Regem in discrimine linquit.
Hic, quando spes nulla super; neque vindicis iras
Numinis effugisse licet, suspirat, et altum
Exclamans, regnas cœlo, Deus, inquit, et usque
Parere indocilis, tandem tua Numina poscit
Antiochus, meritosque tibi persolvit honores.

Si potes humanis, Deus ô, mansuescere votis,
Da spatium Antiocho, donec latus orbis utrumque
Mutatum in melius sciat et tua sacra colentem.
Te sceleris, te serò piget, Rex impie! frustrà es;
Vota cadunt, rapidisque volant ludibria ventis.
I, morere, i sacro pridem devota furori
Victima, et exemplo seclis testare futuris;
Quòd Deus imperium Reges exercet in ipsos,
Nec sua deseruit claudo pede pœna nocentes.

VOTA SUSPIRANTIS ORBIS

PRO CHRISTO VENTURO.

O Deus! ô vasti moderator et arbiter orbis!
Tempus adest; nam cur ultrà promissa moraris
Solvere, et humani generis sarcire ruinas?
Audis ut miseras, nullâ sanabilis arte,
Fert natura preces, et questibus astra fatigat?
Ah! tandem miseresce Deus; da rebus in arctis
Præsidium; longos per Te finire dolores,
Et certam afflictis liceat sperare salutem.
Ergo age, rumpe moras, cœlo descendat ab alto
Expectata diù soboles tua! Qualis amicas
Solvitur in guttas ros matutinus, et agros
Irrorans, siccas prohibet sterilescere messes!
Tuque, ô nequicquam durum perpessa laborem,
Tellus pande sinum, nimbis et fœta benignis
Funde salutiferum gremio de divite germen.
Audimur; tepidus resolutis nubibus imber
Decidit, et terras pretioso munere ditat.
Jam rigui montes sudant fragrantia mella,
Jam plenis manat lactis bona copia rivis.
Credite, Mortales; neque spes hæc vana, malorum
Finis adest, mundoque salus lætissima surgit.

IN CHRISTUM RECENS NATUM EGLOGA.

THYRSIS ET MELIBOEUS.

THYRSIS.

Quò properas, Melibœe? an te via ducit ad urbem?
Ergo gregem interea mediâ de nocte per agros
Deseris? At, si fors lupus insidietur ovili,
Quis teneros, dùm pastor abest, tutabitur agnos?
Mel. Nectere parce moras; gravior me cura remordet;
Si quid, Thyrsi, sapis, ne tu comes ire recusa.
Et curis mecum paribus vestigia fige.
Thyrs. Sponte sequar; sed da sensus, Melibœe, latentes
Nosse animi, tacitasque viæ cognoscere causas.
Mel. Dicam equidem, neque te suspensum, Thyrsi, tenebo.
En venit dudùm optatus sub luminis auras
Daphnis ruris honos, pastorum gloria Daphnis.
Olli divinum genus, et cœlestis origo est,
Crede mihi; nam dùm placidâ sub nocte teneret
Membra quies, superâ prænuncius Ales ab arce
Excitat attonitum, et verbis ita fatur amicis.
Pastores, gens ante alios dilecta Tonanti,
Accipite hæc animis; vobis felicia porto
Nuncia; quem votis flagrantibus ambiit orbis,
Ecce humiles demùm dignatur visere terras.
Eia agite, et læto ruite ad cunabula gressu.
Thyrs. Fortunata nimis regio, tua si bona nôris!
Cui puerum licuit primo vidisse sub ortu.
Non si habitet terras alio sub sole calentes
Extremos orbis dubitem penetrare recessus.
Mel. Pone metus, ô Thyrsi! tuo Deus æquus amori
Respondet; neque enim procul hinc ab ovilibus istis
Bethlemicas, si vera ferunt, puer incolit arces.
Thyrs. Ergo animis alacres læti properemus ad urbem,
At pia ne puero, ne matri munera desint.
Mel. Est mihi luxurians, nec raptus ab ubere matris
Agnus, erit nostri monimentum et pignus amoris.
Thyrs. Ipse dabo geminas niveo candore columbas.

Hæ nostros utinam puero testentur amores !
Mel. Adjiciam lectos autumni tempore fructus.
Thyrs. Adjiciam tepidi spumantia pocula lactis.
Mel. Ah ! si molliculum violent mala frigora corpus,
Defendet teneris vellus mala frigora membris.
Thyrs. Ventorum ah ! potiùs parcant sævire furores
In puerum, aut rigidas Zephyrus clementior auras
Mulceat, et præsens alieno tempore regnet.
Mel. Quin etiam ante diem peregrinis exul ab oris
Ver redeat, risusque hilares turbamque jocorum,
Et placidis secum revehat bona gaudia terris

IN PUERUM JESUM PERVIO

IN STABULO JACENTEM.

Quæ mala Tisyphone stygiis excita cavernis
Jussit hyperboreos effracto carcere fratres
Grassari, tantoque polum miscere tumultu ?
Annosum, rimisque hinc indè patentibus antrum
Ventorumque iras, tempestatumque furores
Excipit : hybernis horret specus atra pruinis
Pendentesque operit nix circumfusa ruinas.
In medio Deus, ecce Deus ! dilecta Tonantis
Progenies jacet ! at quantùm mutatus ab illo,
Inter cœlicolas qui considet arduus ; undè
Vim Boreæ rabiemque Noti furiasque coërcet.
Proh ! Superi ! Deus, ille Deus ludibria ventis
Sternitur, et paleâ corpus malè fultus agresti
Testatur nimios, fletu prodente, dolores !
O amor ! ô sævi moderator et arbiter austri,
Eurorumque potens animas mulcere furentes,
Adsis ô ! nimbosque fuga, tristesque procellas
Sterne bonus, penitusque imis compesce sub antris.
Sic tibi, sic quoties placidum per inane volabis,
Nec gravior nimbus, teneras nec vulneret alas
Imber atrox ; sed te Zephiri levis aura volantem
Sustentet, mediasque hilarem det nare per auras.
Vana loquor ; surdâ nostras capis aure querelas,

O crudelis amor! nec amantum vulnera curas.
Non pueri voces, qui nunc sub pumice duro
Alget inops, gemitusque pios tractabilis audis!
Sed quid ego incuso, magis incusandus, amorem?
Ipse oculis totus puerum defixus in ægrum,
Tristes lacrymulas, et languidulos vagitus
Excipio fidens animi, nec lumina flecto
Impius, aut casu moveor conflictus acerbo.
Nam quòd opes fluxas, quòd vanæ insignia pompæ,
Demens, et fragilis sector mala gaudia vitæ;
Id dolet, id queritur, tantorum hæc causa malorum est.
Illum ego crudelis lacrymantem et multa gementem
Despiciam, nec longa magis suspiria tangant,
Quàm si truncus iners, aut sim durissima rupes?
Quò te noster amor Deus impulit? aut mihi nam quò
Cessit cura tuî? Vel sacro incensus amore,
Dive puer, tua post curram vestigia; vel me
Immemorem tanto ne complectaris amore.

IN SACRAS SANGUINIS CHRISTI

PRIMITIAS.

Hei! mihi! quæ corpus ferro violare tenellum
Ausa manus? Largo manat de vulnere sanguis,
Et pueri cunas lactentesque inficit artus.
Ah! prohibe scelus infandum pia mater, et ultrò
Te nati, si qua est pietas, miseratio tangat.
Nam cur antè diem pœnis damnatus iniquis
Acceptam properet maturo funere vitam
Claudere? Tempus erit, nimis heu! lacrymabile tempus,
Cùm riguis totus lacero de corpore rivis
Sanguis eat, mundique scelus, devota Tonanti
Victima, ferali suspensus ab arbore solvat!
Intereà, plenos ætas dùm surgat in annos,
Da teneris sensim vires accrescere membris;
Formarique virum. Sed quid verba irrita jacto?
Non gemitus vocesve parens tractabilis audit.
Ah! si tantus amor sacrum impendisse cruorem,

Christe, tibi est; mihi ne fundatur inutilis, oro.
Da scelerum abstergat maculas, da vulnera sanet
Obsita, et optatam ferat in præcordia vitam!

AD REGES MAGOS.

Et dubitatis adhuc? nam quæ mora deindè retardet
Ancipites? vel quid cœlo rimentur ab alto
Expectentve oculi! postquam lux alma refulsit,
Et tulit optatæ dudùm bona nuntia vitæ?
Ille etenim, lapsis hominum spes unica rebus,
Quem sacra venturum cecinere oracula vatum,
Venit, certa fides, et summo lapsus olympo
Afflictas recreat præsenti numine terras.
Ite alacres, properate viri, quâ stella secundum
Prævia monstrat iter: natum modò quærite vobis
Infantem, vasti quem non capit ambitus orbis,
Cujus ab imperio pendet natura potenti,
Et toto quæcumque nitent miracula mundò.
Ne vos tristis hyems, ne tædia longa viarum
Detineant, faciatve metus gravis ira Tyranni.
Audior, ire parant; jam missi carcere currus,
Atque alacres frenantur equi; stant agmine longo
Tergemini Reges, pretiosaque munera portant.
Nec pudor est illis, quos regia purpura vestit,
Suffultum paleâ infantem, calamoque palustri
Obsequiis colere, et dominum Regemque fateri.
At vos pastores, nihil hinc, pia turba, dolete;
Si vultu, quo vos excepit Christus, eodem
Excipiat Reges; Christo se adjungere fas est
Omnibus; et faciles nullo discrimine, semper
Invenient aditus, quibus et tractabile mentis
Obsequium, et nulli vita est obnoxia culpæ.

PUER JESUS

In officinâ Josephi vulneratus dùm fabrilem artem exercet.

Dum rudis exercet durum sub patre laborem,
Imbellique manu serram molitur Iësus,
Ecce cutem recto de tramite devia cuspis
Vulnerat, et sacro respergit sanguine dextram.
Sensit Virgo parens; simul advolat, atque dolorem
Flebilibus testata modis, sugensque cruorem,
Quà potis est, fovet arte malum, mulcetque medendo.
  Olli subridens Divus Puer, et sacra figens
Oscula, parce metu, dixit, carissima Mater.
Nam cur sollicitam te guttula sanguinis angit?
Pone modum lacrymis, teque ad majora reserva.
Tempus erit, manus hæc clavo cum fixa trabali
Sanguineos fundet largo de vulnere rivos.

AMORIS IN CHRISTO DE MORTE

TRIUMPHUS.

Orabat tacitâ nemoris secretus in umbrâ
Christus, et humanam meditans sub corde salutem,
Magnum opus; immensi contra genus omne doloris,
Contra mille neces vario trepidantia motu
Pectora, et incertam firmabat robore mentem.
  Intereà subito tellus emota tumultu
Rumpitur; et stygias gremio vomit horrida turmas.
Pars clavos acuit prædurâ in cote trabales,
Pars vacuas fremitu horrifico flagra dira per auras
Ventilat infrendens, pars insultare laborat
Innocuo capiti, et circum sacra tempora flectit
Horrentem dumis et acuto vepre coronam.
Pars infame trahit magno molimine lignum,
Undè animam exspiret, totique indebita mundo
Victima, non meritas fuso det sanguine pœnas.
  Quin etiam stolidæ jactant convicia linguæ.

I, morere, exclamant, aut, si tibi summa potestas,
Si Deus es, salvum manibus te surripe nostris.
Obstupuit dirâ perculsus imagine rerum;
Membra tremunt, languent acciso in corpore vires,
Succiduique pedes sub iniquâ mole fatiscunt.
At dùm ingens animus virtusque invicta, pavorem
Contra obluctatur, fusus præcordia circum
Hinc atque hinc, magno depellitur impete sanguis;
Nec venis sese jam continet; objice rupto
Præcipitat, largisque fluens de corpore rivis,
Arentem tingit pretioso murice terram;
Et jam pœnarum ferali pondere pressus,
Exitium capiti præsens arcere parabat;
Cùm subitò sese superâ delapsus ab arce
Exhibuit cœlestis Amor; collapsaque membra
Attollens, revocansque novas in pectora vires;
Ergo, ait, ergo ratum est? hominum vis perdere gentem,
Quam servare potes? nil te tot tristia fata,
Christe, movent? En hæc orbi promissa fides est,
Cùm Deus in terras solio delapsus ab alto,
Indueres hominum, fatis communibus, artus?
Eia, age, quanta manet te gloria! quantus ubique
Surget honos, ni te pigeat succumbere letho,
Tristesque humani generis sarcire ruinas?
Vix ea fatus Amor; Christus consurgit, et ultrò,
Vincis, Amor, dixit; nulla est mora; pergere certum est,
Quò me cumque vocas, ipsique fit obvius hosti.

NATURA TOTA CHRISTO MORIENTI

PARENTANS.

Quò pater astrorum, quò, sol pulcherrime, cœptum
Vertis iter? vultus ægro cur subtrahis orbi,
Et lucem in medio properas extinguere cursu?
Siste gradum; nondùm vesper procedit olympo
Astra vocans, fessoque jubet juga demere curru.
Intereà natura dolet; stupet inscia rerum,
Et tenebras mirata novas noctemque diurnam

Nititur incassum causas penetrare latentes.
Anne laboranti venit ætas ultima terræ?
An rerum compago labat? num machina mundi
In chaos antiquum rursùs revoluta fatiscit?
Forsan et effracto metuendi carcere ditis
Arma movent iterùm, conjuratique Gigantes
Cœlicolas superis certant detrudere Regnis.
Sed quid ego hæc autem? veterum quid vana Gigantum
Bella moror? crudele magis Judæa propago
Ausa nefas, vitæ dominum auctoremque salutis
Affixit trunco, atque indignâ morte peremit.
Quid turpes ignominias, quid iniqua furentum
Verbera carnificum, et stulti convicia vulgi
Commemorem? cunctosve querar, quos pertulit ictus,
Ille parens hominum, Divûmque æterna potestas?
Phœbe retrò propera, volucres de tramite recto
Flecte gradus, errent toto vaga sydera cœlo;
Nutet uterque polus, crebris micet ignibus æther;
Fulmina vindicibus properent lethalia flammis;
Et terra infandum scelus indignata dehiscat!
Quin etiam tumidos attollant æquora fluctus,
Dejectura urbes; immani saxa fragore
Dissiliant, sudent undantes marmora rivos,
Totaque det summo inferias natura Tonanti.
Tu Christo optatam nactus moriente salutem,
Ni silice, et duro magis intractabile ferro
Pectus habes, sine corda pio mollita dolore
Accepto referant vitæ pro munere grates.

CHRISTO CŒLORUM ORBES SUPERANTI

EPINICIUM.

O Decus! ô sacri species miranda triumphi!
Ecce inter plausus hilares sonitusque tubarum,
Terras vi propriâ Christus perituraque regna
Deserit, et patriis meritum caput inserit astris.
Qualis erat, cùm fracto aditu trepidantis Averni,
Et lethi domitor, spoliisque indutus opimis

Scanderet æthereas Superis plaudentibus arces!
 Non ego mane novo surgentem ex æquore Phœbum,
Aut curru fulgente poli convexa petentem,
Christe, tibi conferre velim; vos dicite, si quid
Mentiar, Isacidæ, vos, & pia turba, beati
Ante alios; vidistis enim et memorare potestis.
Circùm aderant animæ, stygio quas ille latroni
Abstulerat victor, vinclisque impunè solutis,
Ponè sequi lætam dederat longo ordine pompam;
Ibant, et festis implebant cantibus auras.
 Has autem alterno repetebant carmine voces:
Pandite, felices, cœli atria, pandite, Divi.
Ast aliud cœlo carmen recinente redibat;
Nam quis adest, quibus ille venit novus hospes ab oris?
Tum chorus unanimi circumsonat æthera plausu,
Ille hominum vindex, et mortis victor iniquæ,
Læta triumphali quem portat gloria curru,
Virtutumque obnixa cohors ad sydera tollit.
Pandite, felices, cœli atria, pandite, Divi.

EUCHARISTIÆ IN VEPRES PROJECTÆ.

Apes Templum extruunt.

Quò rapit insanas scelerata audacia mentes!
Parcite, Sacrilegi! tenuis cibus esse videtur,
Sed cibus ille, Deus: niveâ sub imagine panis
Abditur omnipotens, oculis ne credite, Numen.
Quis furor est, talem brutis animantibus escam,
Aut rapidis Christum ludibria spargere ventis?
Quid loquor? Occultum nil vos sentitis amantem.
Projicite; agnoscent latitantia numina venti,
Bruta colent dominum; satis est rationis in ipsis
Sensibus, ut nequeat majestas tanta latere.
 Audior. Ecce volat vicinæ ex arboris antro
Agmen apum, trepidæ coëunt, pennisque coronant,
Nube velut densâ cœli venerabile donum.
Nec satis est, horrent nudâ procumbere terrâ
Indecòrem, nutu qui cœli sydera torquet.

Templa sacramque domum, dignas juvat hospice tanto
His sedes posuisse locis; amor omnibus idêm.
Protinùs ad reliquas totâ in regione sorores
Mittitur; accitæ variis de saltibus adsunt
Concordes animis; non illas cara morantur
Pignora, desertove tenent sua mella cubili.
Accelerant; densam videas prodire volantûm
Cum fremitu nubem, nigrumque per aëra ferri,
Nativis opibus, cœlesti et nectare fœtam.
Attentus Rex ipse operum spectator in omnes
Exercet dulce imperium, justisque laborem
Partibus, et certis pia munia legibus æquat.
  Pars teneros flores, et olentis sugit anethi
Balsama, pars casiam dulcem obsidet: illa vicissim
Flagrantesque metit violas citrique virentis
Suavem animam; flos ipse rapi non luget honores.
Surgentis pars prima locat fundamina tecti,
Totaque cæmentis exhaurit viscera; molles
Sufficiunt aliæ, formanda in mœnia, ceras,
Lævibus aut densant liquentia mella columnis,
Arte novâ, spartana quibus vel marmora cedant.
  Ut constructa domus non ipso indigna Tonante,
Infertur templo Deus, et penetralibus ipsis
Sistitur ad numerum; circumque affusa fideli
Turba ministerio Dominum comitatur ovantem,
Festaque raucisonis imitatur cornua bombis.
Mox junctæ in cumulum pedibus per mutua nexis
Observant signum tacitæ, et trepidantibus alis,
Cervice inflexâ Regemque Deumque fatentur.
  Hùc ades, ô quicumque malis erroribus actus,
Esse negas verum, panis sub imagine, Numen;
Hunc demum obsequio et cultu venerare fideli,
Cui meritos pia gens volucrum persolvit honores.

CHRISTUS IN EUCHARISTIA LEONIS DOMITOR.

QUICUMQUE exiguâ Cereris sub imagine Numen
Esse negas, jam cede Deo; dùm bruta fideli
Obsequio secreta colunt miracula rerum.
Extremâ quondam Siculæ telluris in orâ
Horrendas inter strages, furiosa ciebat
Arma leo, fera terribilis; vastâque superbus
Mole, per eversos, populis metuentibus, agros,
Terrificis passìm implebat rugitibus auras.
Non quisquam campis sese committere apertis,
Non efferre pedem quisquam penetralibus ausit.
Ah! quoties tremuere feræ sub dentibus artus
Humani! quoties sævo data præda latroni
Hospitibusque orbata suis magalia luctu
Horrendo, et miseris frustrà sonuere querelis!
Nequicquam aggreditur feralem avertere pestem
Pastorum collecta manus; mortalia ridet
Spicula, divinis tantùm superabilis armis;
Usque adeò crevitque malum nescitque medelam!
Audiit Antistes mirâ pietate verendus
Marcius, et sortem populi miseratus acerbam,
Namquid, ait, pœnas ultrà, Deus alme, reposcis?
Hac satis est sævisse tenus; tibi cedere discat
Bellua, cui toties humana potentia cessit.
Dixerat; et sacris solito de more peractis,
Secretos, ubi, Christe, lates, loca sancta, recessus
Recludit fidens animi; manibusque verendis
Corripit auratam, quâ Christus clauditur, arcam;
Depositum felix, templique ad limina tendit.
Continuò rediere animi, pulsusque parumper
Corde timor, nova spes populis affulget, et ægras
Permulcens, tacitâ recreat dulcedine mentes.
Nec frustrà; stetit Antistes, vocemque recludens,
Huc ades, ô furiosa, Deus jubet; ocyùs, inquit,
Bellua. Nulla mora est, docilis parere jubenti,
Vicinis ultrò de saltibus advolat, atque

Præsentem ante Deum, populi mirante coronâ,
Prona cadit linguâque pedes allambere gaudet
Præsulis, humano toties quam sanguine tinxit.
Ille feram arripiens, dextrâ victrice, trementem
Nilque reluctantem medias deturbat in undas.
Cor nostrum cultura tua est, ô Christe; sed eheu!
Quàm multæ vastant hæc culta novalia pestes!
Hinc laudis malesuada fames, hinc degener ardet
Invidia, indè auri furit irrequieta cupido,
Fatalesque cient nostro sub corde tumultus.
Quin etiam impurâ sævit face dira libido,
Et molles vetito depascitur igne medullas.
Ast ubi blandus ades, præsenti et numine pectus
Tutaris, subitò fugiunt immania monstra,
Natalesque petunt, Te præcipiente, tenebras.
Ergò ades; imperioque, precor, Deus alme, potenti
Corda subi, et domitis solus dominare tyrannis.

CHRISTUS IN EUCHARISTIA FUGA DÆMONUM.

Urbe sub extremâ, quâ latè purior æther
Mollibus aspirans fœcundat flatibus agros;
Ampla, superba, ingens, sublimibus alta columnis
Regificoque domus luxu fuit; aurea fulgent
Atria, et insolitis laquearia picta figuris.
Nec juxtà liquidi fontes et amœna vireta,
Aut variis aberant distincti floribus horti.
Hîc Pomona dabat lætos gratissima fœtus,
Et vaga somnifero resonabat lympha susurro.
Quin etiam angusto dudùm contenta canali,
Mox ubi facta via est, rapido petit æthera jactu,
Bellum ipsi motura polo, nubesque lacessens
Æthereas ambit cœli restinguere flammas.
Sed quid tecta juvant pariis suffulta columnis,
Quid passìm croceis halantes floribus horti,
Deliciæ domini quondam? Nunc invia sedes,
Et deserta jacet, jam jam factura ruinam.

Scilicet hospitium stygiis emissa cavernis
Turba ferox, lemurum manus importuna tenebat.
Namque, per obscuræ tranquilla silentia noctis,
Horrendum latrare canes, dirusque leonum
Audiri latè placidas rugitus in auras.
Sæpè etiam horribiles immani corpore larvæ
Luce palàm visæ nigras se inferre per umbras;
Nunc pedibus pulsare solum, nunc mittere saxa,
Nunc mortem stricto venientibus ense minari.
Mox etiam cytharâ festam indicente choream
Saltare ad numeros, et saltibus addere cantum.
Invisam frustrà tectis expellere pestem
Infelix tentârat herus: manet improba pestis,
Jurata obsesso nunquàm discedere tecto.
Cum sacer Antistes, precibus, de more, solutis,
Velatum tenui cereris sub imagine Numen,
Ingens præsidium, multis comitantibus effert
Ex adytis, stygium certus frenare tyrannum.
Ventum erat ad sedes, portæ vix prima subibat
Limina, cùm rapido reboat domus excita motu,
Et tremulæ surgunt tremefacta per atria voces.
Hinc procul, ô socii, Deus imperat! Ocyùs illi
Præcipitem celerare fugam: vapor ater in auras
Æstuat, et nigro glomeratur turbine vortex.
Hospitium, cor, Christe, tuum est: hic sæva libido
Incubat, et stygii regnant, mala turba, tyranni.
At tua cùm recreat miserum præsentia pectus,
Dira cohors, nigris vitiorum exercitus alis
Avolat, et trepidæ remeant ad tartara pestes.
Hùc ades; et pulso regnet pax alta tumultu.

CHRISTI IN EUCHARISTIA LATENTIS

Iners Bellua adversùs errorem vindex.

Quisquis adorandum panis sub imagine Numen
Esse negas, ades hùc: animalia muta docebunt,
Quam deceat præstare fidem, quos lapsus ab arce
Ætherea reddi Panis sibi poscat honores.

Dùm serpit latè stygiis emissa cavernis,
Et magis atque magis spargit lethale venenum
Atra lues, terris quam Berengarius olim
Orbis in exitium fatali protulit ortu :
Et quam Calvinus post sæcula multa jacentem,
Exortique malâ renovant de stirpe nepotes.
Adfuit et Patavi partu generatus eodem
Pestiferâ ante alios doctor metuendus in arte.
Ille nefas immane ausus, dùm munera temnit,
Christe tua, et teneri memorabile pignus amoris,
Christiadum ex animis penitùs rescindere gestit.
Exarsit meritas Antonius ultor in iras,
Francisci Soboles, quem dudùm regia cœli
Possidet indigetem, et sacro veneramur honore.
Nulla mora est; miti alloquio mulcere furentem
Tentat, et obscuras animo depellere nubes.
Verùm ubi nec veterum signata oracula Patrum,
Nec sacri vis eloquii frænare rebellem
Evaluere; alias subitò conversus ad artes,
At neque sic tamen effugies, ait, impie, nec te
Frustrà obluctantem mecum certasse juvabit.
Haud plura effatus, supplex accedit ad aram,
Et trepidâ reserans Christi penetralia dextrâ,
(Hic ubi divinum pixis capit aurea Numen)
Corripit exultans sacra pignora; perque frequentem
Turbam infert, stupet attonitum formidine vulgus;
Spemque metumque inter se se ad majora reservat.
Pro foribus Templi permissis mulus habenis
Errabat, quo se mediam jactare per urbem
Doctor iners, turbasque graves excire solebat.
Hic animi fidens Antonius, atque verendâ
Defigens oculos in pixide; vos mihi, dixit,
Vos precor, ô populi, placidas advertite mentes,
Si Christi vos tangit honos, si cura salutis
Exstimulat. Tuque ante alios, de tramite recto
Quem mala sacrilegæ flexit contagio sectæ;
Brutorum exemplo præsentem disce vereri
Exiguo sub farre Deum; mox lumina flectens,
Respiciensque retrò quâ se se mulus agebat;

Vile pecus, compesce gradum, nostrumque tuumque
Numen ait, venerans, quâ, quâ potes arte, fatere.
Obsequitur docilis deflexo poplite mulus,
Et, pronâ cervice, Deo persolvit honorem.
Obstupuere omnes, gelidus pavor occupat artus,
Pestiferum diris onerant impunè magistrum
Unanimes, Christique polo miracula tollunt.

CHRISTI IN EUCHARISTIA DE HUMANO

CORDE TRIUMPHUS.

Ibat Amor spoliis hominum Divumque triumpho
Nobilis, et domito insultans juveniliter orbi
Jactabat palmas invictaque tela canebat.
Intereà rapido dùm findit nubila tractu,
Hactenùs intactum cor aspicit. Ergo resistat
Mortali de gente aliquis? sibi vulneris expers
Applaudat, solusque meos non senserit ictus?
Dixit; et indignans magnâ vi conjicit hastam
Pectus in indomitum: tenues volat illa per auras;
Verùm obtusa cadit; ferrumque imbelle, sine ictu
Nulla suî linquit vestigia. Fervidus arsit
Hîc Amor, et stimulis irarum agitatus amaris,
At non vincar, ait; faciam, ne vincla recuset
Dulcia, seque ferat vinci: nec plura locutus;
Aëra per ruit; et stridentis more sagittæ,
In medium semet facto impete dirigit hostem.
Fit via vi, rumpitque aditus et corde potitur.
Sed quid ego hæc autem? valeant mendacia vatum.
Tu nos indociles sensisti, Christe; nec ullis
Illecebris poteras mortalia corda mereri.
Nil erat, in terras patrio quòd lapsus Olympo,
Mortalem indueras hominum sub imagine formam,
Humanos ultrò, perque omnia factus ad usus.
At neque sic nostri fregisse repagula cordis
Victor, et obstrusos potis es penetrare recessus.
At quando fis ipse cibus, totoque receptus
Pectore, Terrigenas divino corpore pascis;

Quis tibi non cedat? quis non redamaret amantem.
Ergo, ades, ô supreme Deus! tibi pectus apertum
Pandimus; æternos illìc tibi fige penates;
Nec patere in nobis, quem non accenderis, ignem.

ESURIENTES IMPLEVIT BONIS.

Otho Imperator morti proximus, sacrâ Eucharistiâ mirabiliter refectus.

Imperii decus et Germanæ gloria gentis
Æger Otho stratis vicinâ in morte jacebat.
Hic adeò Christi miro succensus amore
Divinas libare dapes ardebat, et inter
Cœlestes epulas fugientem effundere vitam.
Sed frustrà; vetat ingrati vis effera morbi;
Quæque agitant vario stomachum fastidia motu,
Convivam sacræ prohibent accumbere mensæ.
Ergo, quod in votis unum est super, ecquis amicum
Numen, ait, quis blanda mei solatia luctûs,
Sistet, et afflictum visu recreabit amorem?
Dixerat: extemplò Christi venerabile corpus
Ponitur ante oculos. Vidit; sed corda videndo
Expleri nequeunt: novus hinc succenditur ardor,
Et magis atque magis flagrant pia pectora flammâ.
Quin etiam oblitus morbi, oblitusque dolorum
Ardet in amplexus, et jam mortalia linquens,
Corpus iners dolet ignavo torpere cubili,
Incusatque moras segnes, hæcque insuper addit.
Ergo, Christe, tuos sic deseris? heu! quid amicas
Jejuno præbere dapes, quid sanguine longam
Optatoque sitim renuis compescere potu?
Non aliter cerva è mediis elapsa molossis,
Cui sine more furens torret sitis arida fauces,
Quærit aquæ rivos; ardentibus annue votis,
O Deus! et nostras patiens admitte querelas.
Talibus orabat, figensque in pixyde vultus,
Numen ubi nivei latitat sub imagine panis,
Sollicitis Christum lacrymis urgebat amantem.

Audiit egregii Christus pia vota clientis.
Scilicet auratâ quæ pixyde clausa tenetur
Hostia, vi propriâ medias volitare per auras
Visa, nec incerto, dictu mirabile, lapsu
Tendere ad infirmum, et curas lenire jacentis.
Quis tibi tum sensus, lætæque gaudia menti,
Inclyte Rex? seriem tantarum evolvite rerum
Cœlicolæ, vidistis enim et memorare potestis.
Nec satis; alma pio sese applicat Hostia cordi,
Dulce onus, inque imos aditum molita recessus,
Corporeæ tentat se totam infundere moli.
Vidit Amor, raptisque ruens per inane sagittis,
Certa, inquit, jam certa via est: nec plura, sed arcum
Tendit, et adducto victricia spicula nervo
Contorquens, lato pectus recludit hiatu.
Tramite quo admissus cordi sacer hospes amico,
Visceribus superincumbit, lætosque per artus
Insinuans, toto sensim se corpore miscet.
Et jam rima coit, fibrisque hinc indè renatis,
Vulneris inflicti non est super ulla cicatrix.
Sic veros, ô Christe! sacro perfundis amantes
Nectare, sic puri ferventes pectoris æstus
Rore salutifero et lymphis restinguis amicis.

EUCHARISTIA ET MARIA,

Duo salutis humanæ præsidia.

Urbs erat extremis Scythiæ quâ jungitur oris
Sarmatha, Chiovium dicunt: hic Virginis olim
Ara fuit, quò se cunctis è partibus orbis
Turba virûm matrumque frequens conferre solebat;
Seu desperatis poscant solatia rebus,
Seu læti accepto referant pro munere grates.
Scilicet exiguæ tectus sub imagine frugis,
Quanquam haud ulla Deum monstrant vestigia, Christus
Hîc tamen ipse aderat: tuque, ô sanctissima Virgo,
Quanquam te superûm jam pridem regia terris
Invidit, Templo præsens tamen ipsa videris,

Inque laborato spiras ceu viva metallo.
  At gens dira, Scythæ, sacrisque addicta nefandis,
Romulidumque pios jurata evertere ritus
Arma ferunt; et jam squalentes ære manipli
Procedunt latè campis, luctusque pavorque
Antevolant; acti subitâ formidine cives
Diffugiunt, vacuamque urbem custode relinquunt.
Jamque adeò super unus eras, Hyacinthe, pericli
Immemor, atque eras certus templumque tueri,
(Tanta animo pietas) aut ante altaria ferro
Occidere, et vitam pro Relligione pacisci.
  At dùm multa gemens, et magno corda dolore
Confixus, votis absentem sæpè Mariam,
Sæpè vocat Christi præsentia numina (quando
Spes hæc una super, tristemque avertere cladem
Haud opis humanæ est) dùm se, velut hostia, letho
Devovet immeritum, scelus et commune piari
Unius exitio poscit; vox æthere missa,
Quin vive, et fugiens teque et nos eripe, dixit:
Ne dubita, cœptis aderunt quæ Numina servas.
  Audit, et humentes tollens ad sydera vultus,
O mihi, si Getico ereptum te, Christe, furori,
Teque, ô Diva parens, liceat servare, sacrisque
Infandas arcere manus! sequar omina certè
Quæ datis: imperiumque volens ac jussa facesso.
Hæc fatus fidens animis dùm pergit ad aram,
Quæque habitat Christus penetralia, sponte revulsis
Cardinibus patuere fores, atque ipsa moveri
Visa, ubi divinum pignus latet, aurea pixys:
Perque auras allapsa ultrò se tradit: at ille
Accepit dextrâ admirans venerabile munus,
Amplexuque fovens divinum Numen adorat.
Mox aliud monstrum exoritur; nam Virginis almæ
Effigies solido ex auro, ceu ponderis expers,
Obvia fert se se: gremio sacra pignora portat
Festinans, nec tardat onus: sed enim avia cursu
Dùm petit, ecce ferox strictis mucronibus hostis,
Eminùs ut spolia aspexit divina ferentem,
Insequitur, totòque ruens premit agmine; nec jam

Ulla via est, atque hinc telis, hinc clauditur amne.
Namque Boristhenium tumido se flumen agebat
Gurgite. Quid faciat tanto in discrimine rerum?
An moriens genti tradat te, Christe, nefandæ?
An terrâ exclusus medio petat amne salutem?
Constitit, et sacrâ figens in pyxide vultus;
Christe potens rerum, atque humanæ dulce salutis
Præsidium, non me præsentis terret imago
Mortis, ait: nam quod lethum mihi dulcius unquàm
Contigerit, quàm te coram, et tua sacra tuentem
Effudisse animam? Pro te tua Numina posco.
Tene trahi captivum, hostisque indigna furentis
Jura pati? Hebræis quondam via facta per æquor,
Auspice te: nunc ista tibi miracula debes,
Ista tuæ debes miracula, Christe, parenti.
Vix ea divino impulsus præcordia motu,
Carpit iter fluvio, siccusque perambulat undas.
Sive jubente Deo concretus duruit humor
Sub pedibus, seu suspensum neque mole gravantem
Corporeâ vehit unda; suo se numine Christus
Sustentat, tutam sic tandem evadit ad oram
Incolumis; stupet adverso de littore miles
Barbarus, et prædâ nequicquam frendet ademptâ.
O quisquis miseræ per tot discrimina vitæ
Cœlestem ad patriam et Divûm consortia tendis;
Par tibi præsidium, quod spe præsumere certâ
Jam licet; hanc divina tibi, nisi fortè recusas,
Hostia spondet opem; spondet mitissima Virgo,
Certa fides; tangunt tua te si commoda, toto
Pectore tu Christum et Christi complectere matrem.

IN PUROS BEATÆ VIRGINIS CONCEPTUS.

Quæ mihi sydereâ Virgo de parte refulsit,
Os habitumque Deæ similis? Tibi Cynthia cedat,
Cùm nitidos vultus per amica silentia noctis
Extulit, et junctis implevit cornibus orbem.
Nec tecum certet, miseris mortalibus almam
Cùm revehit lucem, tenebris Aurora fugatis.

Proh! quantum egregio decus enitet ore puellæ!
Quantus spirat honos oculis et gratia fronti!
Eia age; præcipiti descende per aëra lapsu.
Humanas miserata vices, patiensque vocari
Diva, laboranti propera succurrere mundo.
At telum manus undè quatit cædemque minatur?
Fallor, an ingenti ruptæ telluris hiatu,
Alternans varios sinuoso corpore tortus,
Tartareis immane fremens Draco prodit ab antris?
Quin et pestiferum patulis de naribus ignem
Exspirat, dirumque vomit tumido ore venenum.
Nulla mora est, Virgo super irruit, et pede forti
Sibila colla premens jaculo petit ardua, frustrà
Eludentem ictus, seque in sua membra plicantem.
Corruit accisum dextrâ sub vindice monstrum,
Natalesque petit cœlo plaudente tenebras.
Salve, ô Virgo, novum salve, ô decus addita terris,
Jam tibi promeritos orbis persolvat honores!
Solennique tuos recolat pietate triumphos.

VIRGO MATER.

Ergò te nostrî miseret Deus? ergò gementis,
Naturæ patiens tandem exaudire querelas,
Tartarei crudele paras abolere tyranni
Imperium, et tristes orbis sarcire ruinas?
Quin et sydereâ Gabriel delapsus ab arce
Optatæ portat felicia nuncia pacis,
Nazareasque petit pennis famulantibus oras.
Agrestem, mora nulla, casam parvosque penates
Ingreditur; tanto domus hospite clara refulsit.
Regia progenies Virgo hîc latet; et sacra vatum
Ancipiti recolens oracula, mente volutat,
Quem canerent olim venturum in luminis auras,
Qui mortale genus nigris è faucibus Orci
Erueret, clausumque diù reseraret Olympum.
Quanquàm sollicito mitte hanc de pectore curam,
Virgo beata nimis; tanti te providus auctor
Adjutricem operis Deus eligit: ipsa Tonanti

Sufficies sacrum proprio de sanguine corpus ;
Atque illibato cum virginitatis honore ,
Divinæ junges decus immortale parentis.
Tu tantùm monitis cœlestibus annue , et ultrò
Jussa facesse Dei ; viden'ut divinus ab alto
Labitur , et sacro te sponsam lumine complens
Spiritus , innocuos , quibus uritur , ingerit ignes.

MARIA PUERUM JESUM IN TEMPLO SISTIT.

Nam quis sacra Puer venit in penetralia Templi ,
Quem teneris studiosa parens complectitur ulnis ?
Quantus honos matri , fronti proh ! quanta pudicæ
Gratia ! formoso pueri quàm dulce renidet
Ore decus ! Nihil ille sapit mortale ; venustas
Tanta , nec humanos decoravit gloria vultus.
Ah ! video ! Deus , ille Deus ; sua nobilis hospes
Templa subit ; longo tandem post tempore terris
Expectatus adest vasti moderator Olympi ,
Et , duræ devota neci jam victima , se se
Sponte offert , nostræque parat miserescere gentis.
Rumpe moras , Simeon , tot jam labentibus annis
In lætos servate dies ; cape munera felix ;
Sistitur optatus dudùm puer ; excipe in ulnas
Dulce onus amplexu refovens ; mille oscula blandis
Fige labris , fruere aspectu , venerare tuendo ,
Et morere : ingratos namquid producere soles
Ulteriùs , duræque velis incommoda vitæ.
An quidquàm tibi dulce super , caligine pulsâ ,
Luminibus lux quandò tuis divina refulsit !
At priùs æthereas superet quàm spiritus arces ,
Quæ tibi de puero surgit sententia menti ?
Fare , age. Quanquàm avidas quæ vox mihi personat aures ?
Ah ! preme fatalis præsaga oracula lethi ,
Explorasse piget , damnosaque vota retracto.
Nempe ais , alme senex , olim fatalia crescet
In portenta puer ! multis dabit ille salutem ,

Exitium et multis pariter feret! Ah! mihi, quem tu
Per vitam impendis, Puer ô divine, laborem,
Ne mihi supremâ fuerit labor irritus horâ!

MARIA HUMANI GENERIS MATER.

O Solyma ante alias, urbs ô dilecta Tonanti
Ostia pande tua, et meliores indue cultus!
Quantus honos! Deus ecce sui penetralia Templi
Ingreditur, sacrosque parat lustrare recessus!
Et tu, si qua pios pertentant gaudia manes,
Lætare, ô Salomon; quod votis sæpè petisti,
Regifico luxu dùm mœnia sancta Sionis
Extrueres, donisque onerares grandibus aras;
Tempus adest, oculos jam dulci pasce triumpho.
Nec te festivæ spectat pars nulla diei,
O Simeon; ætas nil te longæva moretur.
Accelera; puer ecce tuis divinus in ulnis
Gestandus datur ante obitum! fige oscula blandis
Mille labris, vocemque volens atque ora resolve.
Quanquàm! parce pias offendere Virginis aures;
Nam puerum quæ fata manent! quos ille parenti
Morte suâ luctus pariet! Dùm sedula mater
Pignus dulce tuum sacris altaribus offers,
Debita, si nescis, toti fit victima mundo;
Et perimit natum mater, natusque parentem.
At non ista movent generosam oracula matrem,
Hoc hominum mater pretio si possit haberi.

VIRGO MATER PUERUM JESUM

REQUIRENS.

Quò sequar infelix? aut, quò te, Nate, requiram?
Nequicquàm impatiens cunctos ego lustro recessus,
Et loca sollicitis interrogo cuncta querelis;
Respondet nemo, solatur nemo dolentem.
Sol tamen occiduis jam ter surrexit ab undis,
Dùm gemit heu! dùm te mater suspirat ademptum.
Dicite vos, quos fidus amor, quos sanguis amico

Unanimes nobis sociavit fœdere, natus
Noster ubi est? Vidistis enim, dùm sacra Sionis
Limina nobiscum studio certante subiret.
Nam cur non aderam nato comes? aut ego cur te
Incustoditum mater sum passa reverti?
Culpa mea est, merui quem nunc fero cumque dolorem.
Alme Deus, tu qui rebus solamen in arctis
Unus ferre potes, Natum mihi redde precanti.
Hæc ait; et nati studio succensa, Sionis
Mœnia præcipiti rursùm petit anxia cursu.
Ecce autem tacitæ per amica silentia noctis,
Amissæ sobolis dùm mater imagine plena,
Vix ægram recipit per languida membra quietem,
Augustas Solymæ se tolli sensit in arces.
Hîc ubi stans patres inter legisque magistros,
Non audita priùs miranti oracula turbæ
Divino canit ore puer. Cœlestia rumpunt
Visa leves somnos; nulla est mora. Sedula gressum
Accelerat, templique subit penetralia Virgo.
Et lacrymans, verbis sic natum objurgat amicis:
Nam quid agis? vel quid miseros, ô Nate, parentes
Sollicitare placet? nescis, dulcissime, nescis,
Hæc tua quos peperit nobis absentia luctus!
Cui natus: nam cur frustrà me quæritis? aut quæ
Sollicitat vos cura meî, dùm justa reposcit
Patris honos, dùm me cœlestia jussa morantur?
Hæc tantum effatus siluit: temploque relicto,
Sponte suâ docilis sequitur vestigia matris.

ANIMA REVERTENS AD DEUM

In Filio Prodigo adumbrata.

Non ergò satis exhaustum est hùc usque malorum,
Summe Deus? Quibus heu! fatis me deindè reservas?
Ecquis enim in terris, ad finem solis ab ortu,
Quæ patior, tolerare queat? Me turpis egestas,
Fœda voluptatis comes obruit: eccè medullis
Insinuans, cunctosque fames incensa per artus

Bacchatur! corpus languor tenet; optima venis
Jam fugit, vix demum animæ pars ultima restat.
Quid feci infelix? quò desidis otia vitæ,
Quò rapuit cæcus furor, et damnosa libido?
Deserui te, care pater, tua limina demens,
Et liqui antiquos, soboles ingrata, penates!
Hinc mihi pernicies, caput hinc et origo malorum!
Me miserum! quæ causa tuis discedere tectis
Impulit, atque alios longè mihi quærere amores?
An mihi durus eras? an me aspernatus amantem es?
Nil queror imprudens: tua me indulgentia sontem
Fecit, et infandum suasit committere crimen.
Sed quid agam? rursùm-ne lares tentare relictos
Aggrediar, coramque meo me sistere patri?
Non ea vis misero, non est fiducia menti
Tanta super. Nam quo profugum oblitumque pudoris
Excipiet vultu? patrios si cernere vultus
Det tamen, et non me vel respexisse negabit.
Fallor; adhuc pater est, discet miserescere nati,
Et nostri forsan gemitus pia corda movebunt.
At quibus iratum verbis placare parentem?
Vincere quâ justos liceat ratione furores?
Ibo, ibo: lacrymis oculos conspersus et ora,
Altaque sincero confixus corda dolore,
Procumbam patris antè pedes, genibusque volutans
Suppliciter, tristi veniam sic voce precabor.
En adsum infelix soboles; tua maxima quondam
Cura, pater. (Nomen quanquàm usurpare parentis
Dulce piget, neque me tanto jam dignor honore)
Scilicet ah! diræ sontem mens conscia culpæ
Arguit, et stimulis nimiùm crudelibus urget.
Peccavi, sprevique tuos ingratus amores.
Unum oro; te si qua meî miseratio tangit;
Excipe me: fas sit castos habitare penates.
Non ego jam indocilis, sed voci assuetus herili,
Quò me cumque trahent, ultrò mandata capessam.

FILIUS VIDUÆ NAIM AD VITAM A CHRISTO REVOCATUS.

ABSTULERAT juvenem mors immatura; cadaver
Ad tumulum socii, mæstissima turba, ferebant.
Intereà matrem haud potis est vis ulla tenere,
Sed ruit in medios, tristique affixa feretro
Hæret inexpletum, et nati miserabile corpus
Irrorans lacrymis, latè loca questibus implet.
Dùm gemit, et raptos frustrà suspirat amores;
Ecce tibi subeuntem inter longo ordine turbam,
Improvisus adest Christus; quem sedula mater
Ut procul aspexit, jam tum dediscere luctus
Visa, nec afflictis ultrà diffidere rebus.
Ergò moræ impatiens, quò spes non vana salutis;
Et, quò raptat amor, præceps volat, atque verendos
Christi amplexa pedes, et magnæ conscia famæ,
O vitæ mortisque potens qui diceris, inquit,
Arbiter, orbatæ patiens miseresce parentis;
Et mihi vel natum vitæ solatia redde,
Vel patere in tumulo mater condatur eodem.
Vix ea: feralem Christus consistere pompam
Imperat, et se se fert obvius ipse feretro.
Tùm, quâ voce fugat ventos, atque æquora placat,
Vive, ait, ô miserande puer. Mora nulla, per artus
Vitalis remeat calor, hospitiumque revisit
Mens revocata suum; cuncti stupuere videntes,
Et Christum cœlo clamant terrisque potentem.

PETRUS PŒNITENS.

SISTE gradus, tua te miserum fiducia perdet,
Exitii causa una tui; fuge limen iniquum;
Ah! fuge sacrilegas, imprudens Petre, cohortes!
Quis furor est? Nam cur per aperta pericula te, te
Præcipitas? vel cur ultrò tua fata lacessis?
Dùm loquor, ecce procax ut vidit fœmina Petrum,
Et te, inquit, pariter, Christo quæ certa paratur,

Pœna manet; comitem memini te sæpè videre
Antè alios, captoque aderas, Galilææ, magistro.
Petrus ad hæc pavido similis, similisque trementi,
Nam quid ais? cui me comitem, rerum inscia, narras?
Non mihi notus homo est; juranti testis adesto,
Et falsi vindex et veri conscius æther.
Sic tibi pulsa fides? Domini sic, Petre, recessit
Cura tui? sed non pariter de pectore Christi
Petri pulsus amor. Sacros en aspice vultus,
Luminaque admissum tacitè incusantia crimen.
Continuò Christi ex oculis, seu tela, micantes
Vibrantur radii, pervadunt intima Petri
Pectora, perjuroque ferunt pia vulnera cordi.
Hìc Petrus stimulos divini sensit amoris:
Ac ruptis veluti objicibus magno impete torrens
Fertur in abruptum, et subjectos irrigat agros:
Haud aliter, Petri ex oculis duo flumina, Christo
Respiciente, cadunt lacrymarum, et fonte perenni
Contractas purgant admisso crimine sordes.

IN HERODEM INFANTICIDAM.

Hei mihi! quis luctus miserabilis æthera complet?
Fœmineo latè resonant loca cuncta tumultù,
Nec datur infando finisve modusve dolori.
Sollicitæ hùc illùc incertis passibus errant
Crinibus effusis et tunsæ pectora matres,
Avulsosque sinu, primo sub limine vitæ,
Flebiliter repetunt thalami pia pignora natos!
Innocuus plenis sanguis fluit undique rivis
Intereà, et passim sitientes irrigat agros.
Haud aliter tenero lupus insidiatus ovili,
Ut faciles patuere aditus, custode remoto,
Irrumpit, molesque agnorum sævit in artus.
Parte aliâ matres longis balatibus auras
Incendunt, raptosque gemunt ex ubere fœtus.
At tu funesti, Rex impie, causa doloris,
Quid furis? et Christo funus meditaris acerbum?
Namque tuus proprio quamvis in sanguine natus

Innatet; ecce tamen, quem per tot vulnera demens
Insequeris, diro se subtrahet ille furori.
Vos quibus antè diem pro Christo fundere vitam
Contigit, et Domini cunas tinxisse cruore;
Ite animis læti; nil vos cecidisse pigebit.
Namque brevem usuram lucis, mortisque labores
Sarciet alta quies, immortalisque triumphus.

MAGDALENA,

SEU AMOR FUNERI SUPERSTES.

FLEBAT inexpletum, raptosque dolebat amores
Magdala, et obscuræ per amica silentia noctis
Dùm placidâ somnus recreat dulcedine mentes,
Ipsa Domo insomnis mœret; requiescere amantem
Non patitur, nullumque admittit cura levamen.
At dùm interruptos variis singultibus imo
Corde trahit gemitus; dùm nomen amabile Christi
Ingeminans querulos tentat mollire dolores;
En medias inter tenebras lux alma refulget,
Insolitoque pios implet splendore penates.
Tùm divinus Amor sese per aperta videndum
Obtulit, et dubiam suspendit imagine mentem.
Olli vestis erat nive purior; æmula claris
Lumina syderibus fulgent, sedet inclyta fronte
Majestas, castos ornat reverentia vultus.
Talis erat, cum te vetitas sub pectore flammas,
Magdala, pascentem tædis melioribus ussit.
Talis erat, nisi fortè humeris de more pharetram,
Nec manibus tædas, arcum, nec tela ferebat.
Nam quid proficiant in amantem tela, vel arcus?
Tum sic alloquitur, curasque his demere tentat.
Sat lacrymis luctuque datum est; quid, Magdala, ploras?
Quid gemis extinctum, tumuli qui carcere rupto,
Vi propriâ superas venit redivivus in auras,
Insignemque tulit victâ de morte triumphum?
Hæc promissa fides, cùm viveret: et sacra quondam

Panderet in populos patrii miracula cœli.
Sic ait, et superas revolat festinus in arces.
Hîc verò vanâ se credit imagine ludi,
Spemque metumque inter dubiis affectibus hæret
Magdala, nec cordis potis est sedare tumultus.
Quin etiam tumuli latebras loca plena timoris
Explorare juvat; juvat et spirantis amomi,
Et nardi fragrantis opes deferre, verendos
Undè artus ungat, viduum et soletur amorem.
I, propera, tumuli vacuos scrutare recessus,
Vitæ fida comes, testis fidissima mortis,
Tu debes mundò redivivi nuncia Christi.

SAULUS AD MELIOREM VITÆ FRUGEM CONVERSUS.

Postquam Divus Amor terras miseratus ab alto
Æthereos ignes puroque è semine flammas
Intulit, et certis domuit fera corda sagittis;
Victrices cœlo tædas referebat et arcum,
Telaque condebat stygio metuenda latroni.
Ecce autem freni impatiens jactansque feroci
Ore minas, Saulus campo exultabat aperto,
Impiaque æratas acies in bella trahebat.
Vidit Amor, gemituque pium prodente dolorem,
Ergo, ait, ille meis semper contraria signis
Signa ferat, certetque ultrà pugnare rebellis?
Experiar, si fortè novos eluserit ictus.
Dixerat; et validis contendens viribus arcum,
Ultricem misit nervo stridente sagittam.
Illa volat, cordique hæret fatalis arundo.
Nulla mora est; revolutus equo ferit impete terram
Saulus, et attollens pavidum caput, altaque cœlo
Lumina, quæsivit lucem doluitque negatam.
Tùm victo insultans victor Deus adjicit hosti:
Agnosce imperium, melioraque castra secutus
Disce triumphatas mea sub juga mittere gentes.

IN OMNES SANCTOS.

Nuper ego vitæ ærumnas et tædia longa
Terrarum exosus, sensi sub pectore flammam
Intùs ali; et, sacro mihi dùm vorat igne medullas,
Insinuare novum patriæ cœlestis amorem.
Hei mihi! dicebam; quando, Deus alme, petenti
Lux aderit, lux ante alias formosior omnes,
Cùm vinclis liber, nec iniquâ mole gravatus
Corporis, æthereas se spiritus inferat arces,
Et placidam ducat longa inter gaudia vitam!
Felix intereà, celeres si commodet alas
Aligerum de gente aliquis! felicior, ultrò
Si geminæ proprio surgant de corpore pennæ!
Tunc ego præcipiti longum per inane volatu
Trajiciam nubes, donec novus ales Olympo
Deferar, et patrio possim requiescere cœlo.
Non aliter, quàm cùm steriles impasta per agros
Ingratisque columba locis pertæsa vagari,
Continuò rapidis vacuum secat aëra pennis,
Natalem donec liceat contingere nidum.
Hîc mihi dùm dubiam pascit spes credula mentem,
Insuetâque hebetes recreat dulcedine sensus;
Nulla mora est, liquidas videor mihi raptus in auras,
Et procul ex alto terras spectare jacentes.
Seu sors destituit mortales spiritus artus,
Præcipiente Deo, soliti seu ponderis expers,
More animæ, corpus mediis sese intulit astris.
Sit fas visa loqui, Superi: sit numine vestro
Cœlestis Solymæ miracula pandere terris.
Quid loquor? ah! nescit res tantas dicere lingua
Mortalis. Vos ô potiùs, faustissima turba,
Cœlicolæ, sacros quibus est habitare recessus
Pro meritâ virtute datum, memorare potestis;
Nostis enim, vasti moderator et arbiter orbis
Omnipotens, sanctis quid amantibus ipse parârit.
Namque mihi cunctis mundi de partibus ingens
Objecit sese numerus; quàm multa volucrum

Millia se sylvis pluviali tempore condunt:
Aut pelago in magno multæ sternuntur arenæ.
  Stabant ante alios sacri qui semina verbi
Auribus attonitis totum sparsere per orbem.
Nec procul hinc puro qui relligionis amore
Projecere animas; queis duræ occumbere morti
Contigit, et proprium Christo fudisse cruorem.
Illinc et teneræ qui primo in flore juventæ
Per tacitos saltus et caligantia nigris
Ilicibus deserta, uni servire Tonanti
Cura fuit, mundique insanos spernere fastus.
Parte aliâ intactum qui servavere pudorem.
Omnes formosi, niveis in vestibus omnes
Divinum læto referebant pectore carmen.
  Ipse etiam sacræ volui me adjungere turbæ,
Et cœleste melos cantu miscere profano.
Ast tentantem aditus me limine longiùs arcet
Aliger, et dictis pavitantem objurgat amicis.
Nam quid agis? Sanctos fas nulli intrare recessus;
Ni quos assiduo virtus spectata labore
Extulit, et meritos superas transcripsit in arces.
Aspice, quas cuncti, monimentum insigne triumphi,
Prætendunt palmas; cœlum hac mercede paratur;
Dixit, et extemplò mihi redditus, heu! bona quanto
Gaudia nequicquam gemui prærepta dolore!

SANCTUS IGNATIUS GLACIALIBUS

IN AQUIS EXÆSTUANS.

Ne mihi, ne Cyprius jactet sua tela Cupido
Impurasque faces, hominum quibus urere corda
Novit, et occulto molles vorat igne medullas.
Certa magìs fert arma manu; melioribus urit
Divus Amor flammis, quas non restinguat inundans
Oceanus, cunctisve premant cum fontibus amnes.
  Tu mihi testis eris: narra quibus ignibus olim
Arseris, Ignati, mediis immersus in undis.
Ibat, quò miserum in præceps rapiebat amantem

Cæcus amor, victrixque animi imperiosa libido,
Infelix juvenis. Monitis cœlestibus actus
Sensit, et impuros damnans Ignatius ignes,
Hybernis se se collo tenùs abdidit undis.
Et Juvenem ut stagno properantem vidit ab alto,
Quò ruis, ah! dixit; quò te rapit improbus ardor
Præcipitem? I demens Paphiis data victima flammis,
Quando prava sedet menti sententia, et ultrò
Despicis ultrices offensi Numinis iras.
At mihi, sacrilegos malesani pectoris æstus
Ni reprimis, monitisque salubribus adjicis aures,
Hîc perstare placet: felix! si frigore in isto
Restinxisse queam vetitos, quibus ureris, ignes.
  Obstupuit dicto Juvenis, gressumque reflectens
Obscœnas sensit restingui in pectore flammas,
Succendique novos fatis melioribus ignes.

S. XAVERIUS PROFECTIONEM AD INDOS MEDITANS.

Stratus humi seram dederat per membra quietem
Xaverius; magnis etenim mens excita curis
Immensos vigili versabat corde labores.
Quippe animus jam dudùm Indos penetrare recessus
Ardebat, mersasque altâ caligine gentes
Lucis inexpletæ radiis recreare benignis.
Cùm subito visa ante oculos adstare jacentis
Ignoti nova forma viri: circumdata plumis
Tempora, et Eoo Phœbi nigrantis ab æstu
Decolor, horribilem facies visuque tremendum
Spectanti dedit, et media inter somnia turbat.
Indus erat, qualem educit Gangetica tellus,
Qualem Java ferox, aut nobilis ora Travancor.
  Protinùs insiliens humeris sedet arduus, atque
Xaverium premit incumbens, et mole suâ stat.
Nequicquam importunum onus excussisse laborat;
Ingemit! effusis sudor fluit undique rivis.
Mox cœlum aspiciens revocansque in pristina vires,

O Deus! exclamat, non me labor iste gravabit;
Ipse subibo humeris. Tum dicere plura parantem
Xaverium pariter somnusque Indusque reliquit.

SANCTUS FRANCISCUS XAVERIUS

Profectionem in Mauricam Insulam Meditans.

Quò, Francisce, fugis? vel quæ fiducia menti,
Crudeles terras, crudelia visere regna,
Nec dubiis venalem animam objectare periclis?
Scilicet extemplò cultus oblita ferinos,
Aspectuque tuo docilis mansuescere discet
Maurica gens? eheu! quid arenæ semina mandas?
Quid juvat ingratum proscindere litus aratro?
Tu priùs immites iras placare leonum,
Tigribus aut possis humanos indere sensus.
Talem Xaverio populi nectebat amici
Turba moram, densas animi, quibus ille tenebras
Depulerat, quos et sacris lustraverat undis.
Intereà audiri gemitus vocesque precantum,
Et miseris latè incendi loca cuncta querelis.
Pars affusa viri pedibus lacrymansque gemensque
Nectit amica moras; pars hæret pendula collo,
Pars studio succensa pari, circum ordine longo
Agglomerat, densatque globos, pars littora complet,
Et procul à ratibus, pelago dare vela parentem
Xaverium prohibet. Nullis tamen ille movetur
Fletibus, aut voces ullas tractabilis audit,
Sed contra humentes vultus in imagine Christi
Defigens; an me facies, ait, ulla pericli
Barbaricis, Deus alme, vetet consistere terris?
Scilicet una tuo se sanguine Maurica tellus
Servatam ignoret, cœlique in regna vocatam?
Ibo, ibo; quid me frustrà tentatis, amici?
Quid retinere placet? non est mora libera nobis.
Nil freta, nil mortem vereor. Si cymba negatur,
Unda viam calcata dabit; nec plura locutus

Insulit in navem. Fit clamor, et anchora portu
Solvitur. Illi oculis abeuntem animisque sequuntur.

BEATUS FRANCISCUS XAVERIUS

Ipsos inter somnos Cupidinis Victor.

Assidua fessusque gravi sub mole laborum
Xaverius levibus permittere lumina somnis
Cœperat, et nudâ projectum corpus arenâ
Parca quies, curæ sinerent, mulcere parabat.
  Ecce autem imprudens Cyprius puer ante jacentem
Adstitit, et fœdâ turbavit imagine mentem.
Scilicet obscœnas casto sub pectore visus
Admovisse faces, et telis fretus et arcu
Lethalem attento rimari lumine plagam.
Hîc verò meliore calens præcordia flammâ,
Xaverius rapidas extempló concipit iras;
Et medios inter somnos licet, ire procacem
In puerum assurgens, tædasque arcumque sagittasque
Eripere, atque humilem decisis sternere pennis.
  Ast acres utrinque animi, fera pugna, nec ipsi
Victori facili pretio victoria cessit.
Namque per ardentes oculos, perque ora, per aures
It cruor, et largo conspergit flumine vultus.
Hinc postquam ingenti cessit discrimine victor,
Tristiaque ingratam pepulerunt monstra quietem;
O utinam, exclamat, quidquid mihi sanguinis artus
Irrigat, alme pudor, pro te fudisse liceret!

BEATUS FRANCISCUS XAVERIUS

Tempestatem sedat injectâ in fluctus Christi è cruce pendentis imagine, quam Cancer postmodùm salvam retulit.

Lenè ferebatur tranquilla per æquora Ponti
Xaverius, portusque altos intrare parabat.
Cùm subitò densis nox incidit atra tenebris,
Terrificusque sonat cœlo fragor! unda dehiscens
Terram aperit bacchante Noto; modò sydera lambit,
Exitium mox præcipitans fatale minatur.
Cessas intereà, cessas in vota precesque,
O Francisce! nihil te tristia fata tuorum,
Nil funesta movet lethi præsentis imago?
Sed quid ego? Orantem surdâ Deus aure repellit.
Ut vanas abiisse preces, nullamque salutis
Spem sensit superesse; sinu quam ferre solebat
Xaverius, Christi trunco pendentis ab alto
Sacratam trahit effigiem: tum fletibus ora
Irrigat, atque extrema cruci simul oscula figens,
Tales flammato fundit de corde querelas.
O Deus! ô vasti moderator et arbiter orbis!
Cujus ad imperium dociles Pelagusque Notusque,
Fortè verebuntur rapidi tua Numina fluctus,
Et tumidæ Dominum parcent violare procellæ.
Nec plura effatus medias sacra pignora in undas
Projicit: extemplò, visu mirabile! venti
Ecce silent, fugiunt nubes, pax pristina ponto
Redditur, et cunctas replet dulcedine mentes.
Quin et prodigium magnum majora sequuntur.
Namque super placidos Cancer procedere fluctus
Cernitur, ore ferens Christi venerabile signum;
Proximaque agglomerans tardos ad littora gressus,
Xaverio quas gestat opes persolvere gestit.

IN BEATAM GENOVEFAM.

Illa, vides, Virgo antè alias dilecta Tonanti,
Lanigeras quæ pascit oves, afflataque amico
Numine, divinis incendit cantibus auras?
Olim erit, ut sacros, Dominam venerata per urbem
Excipiat, magnum Superis decus addita, cultus.
Olli Francigenæ festis solennibus aras
Instituent, posito venient Diademate Reges
Illustrem ad tumulum, variisque ex partibus orbis
Innumeri studio populi certante ferentur.
Ipsa poli Virgo residens in parte sereni;
Hîc ubi Cœlicolas inter placidum exiget ævum,
Admittet facili aure preces, patiensque vocari,
Aut dabit optatos terris sitientibus imbres;
Aut premet effusos campis undantibus Austros.
Sin ierit funesta lues; et pestifer annus
Corrupto cœli tractu lethale venenum
Traxerit in vulgus; morborum examina pellet,
Et certam cunctis revehet miserata salutem.

IN EANDEM.

Huc ades ô laudis quicumque incensus amore
Ventosum quæris vitæ mortalis honorem,
Et famam ad seros ambis transferre nepotes.
Aspicis, hæc, quæ marmoreis suffulta columnis
Assurgit moles multoque adamante coruscat?
Pauperis hîc loculus complectitur ossa puellæ,
Jam pridem, et sacrâ cineres conduntur in urnâ.
Attamen extremis veniunt de partibus orbis
Certatim populi; posito Diademate Reges
Exorant veniam, circumfusique feretro,
Aut desperatis poscunt solatia rebus,
Aut dignas referunt accepto munere grates.
At non florentes duxit secum illa catervas
Bellatrix, domitasque dedit sub legibus urbes;
Aut claros retulit multâ de gente triumphos.
Non illam decus ingenii, non gloria linguæ

Commendant, fragilisque innata superbia formæ.
Sed vitæ studium innocuæ transcripsit in arces
Æthereas, virtusque ardens evexit Olympo.
Tuque ô, Diva potens, votis Genovefa vocari
Supplicibus patiens. Viden' ut discordia Reges
Exagitet, dirumque acuant in viscera ferrum?
Dic inimicitias veteres, conceptaque dudùm
Deponant odia, et dextras in fœdera jungant.
Fac procul à nostris Mars impius exulet oris,
Pulsaque præpetibus revolans Pax aurea pennis
Compenset veteres longâ ubertate ruinas.

CRUCIS TRIUMPHUS,

SEU CONSTANTINUS DE MAXENTIO VICTOR.

Ibat Romuleis Maxentius acer in armis,
Innumeras funesta trahens in bella phalanges.
At dùm blanda favet vultu fortuna sereno,
Romaque victoris fato rapit addita merces
Præcipitem; juvat ire; et jam quò tristia cumque
Signa ferat, metus antevolat, luctusque pavorque,
Terrificatque animos metuendæ mortis imago.
Tuque adeò numero inferior vestigia retrò
Flectere, et adverso turmas subducere Marti,
Quanquam animo major, jam, Constantine, parabas.
Ecce autem delapsa poli de parte serenâ
Aurea Crux trepidis visa est se sistere castris,
Felicesque vibrat radios, longèque refulget.
Vidit, et insolito turbatus pectora visu,
Prodigium exclamat, socios et signa moventes,
Spemque metumque inter, Cæsar consistere jussit,
Cùm subitò attonitas vox reddita fertur ad aures,
Macte animis; signum hoc victoria certa sequetur.
Tum verò exultans Cæsar, plenusque recenti
Robore, sic socios verbis compellat amicis.
Eia agite; hostiles turmas, victriciaque arma
Spernite; Romanas arces urbemque negatam,
Atque insperatas promittunt Numina lauros;

Romuleis tantùm præeat Crux aurea signis.
His dictis incensi animi: concurritur: arma,
Arma viri ingeminant, hostemque in prælia poscunt:
Adversasque petunt acies, mactantque ruuntque.
  Intereà Cæsar magni volat agminis instar,
Fatalique metens obstantes ense catervas,
Cedentem insequitur per funera mille tyrannum.
Ac veluti virides si quandò irrumpit in agros
Hybernus celso montis de culmine torrens,
Nequicquam aggestos lapides atque obvia saxa
Objiciat pastor, sata læta boumque labores,
Præcipitesque trahit, nullo discrimine, sylvas.
Talis erat, talem se Constantinus agebat
Per medios; frustrà innumeras hinc indè phalanges
Opponit rapido indignans Maxentius hosti.
Mox cedit, victæ pariter cessere cohortes,
Et trepidæ retulere pedem; furit improbus irâ
Incusatque Deos; turmisque instantibus impar
Indecori dat terga fugæ. Pons indè fatiscens
Sub pedibus tumidâ fugientem involvit in undâ.

JULIANI APOSTATÆ MORS.

Contemptor Superûm, et cultûs desertor aviti
Julius, antiquos jam dudùm exscindere ritus
Christiadum, legesque sacras abolere parabat.
Quò fert cumque gradus, tristem collapsa ruinam
Templa trahunt, flammis data præda furentibus, aræ,
Solennes aræ, veterum monumenta parentum
Eversæ sine honore jacent, nec tristia præter
Rudera, et horrendas possis agnoscere moles.
  Christe, vides immane scelus, nec fulmina mittis?
Nec caput invisum meritas detrudis ad umbras?
At vos, Arsacidæ, dextram præstate Tonanti;
Causa Dei, vestra est: vestram defendite gentem.
En vos insanis Princeps temerarius ausis
Oppugnat, vires addet Deus ipse secundas,
Illustremque dabit devicto ex hoste triumphum.
Sed quid ego hæc? prohibete manus, arcete sagittas

Arsacidæ. Justo devota hæc victima cœlo.
Nam quis de superâ telis armatus et arcu
Aliger arce venit? Telum fatale coruscat,
Te, Princeps scelerate, petens! tibi debita portat
Funera! Nulla mora est: volat atri turbinis instar,
Jamque hæret medio lateri fatalis arundo.
Nec longùm vindex latuit manus: ilicet ictum
Sensit, et attonito se vulneris obtulit auctor.
Namque erumpentem læto de vulnere rivum
Julius excipiens manibus, projecit in auras
Vociferans, oculosque truces ad sydera torquens,
Vincis; ait, vincis, Galilæe! haud plura locutus,
Sacrilegam effundit multo cum sanguine vitam.

BEATA CATHARINA SENENSIS

Spineam Coronam Roseæ anteponit.

Dum fundit Catharina preces, cœlumque fatigat
Supplicibus votis, et numine plena benigno,
Ambit inexpletos Christi sentire dolores;
Ecce videt superâ geminas ex arce Coronas
Attonitos labi ante oculos. Hanc lilia multis
Mixta rosis circùm decorant, riget altera dumis
Sutilibus, spinasque hinc indè minatur acutas.
Ite procul, dixit, mentis lethale venenum,
Purpurei flores, et non innoxia serta;
Ite procul, sacræ quid enim insidiosus amanti
Christe, dolos struis? An capiti diadema refulsit
Tale tuo quondàm, cùm nostri incensus amore
Penderes Deus, et trunco morereris ab alto?
Nec plura: horrentem manibus rapit illa coronam,
Et fronti imponit, quin et juvat addere pondus,
Inque caput dextrâ stimulos urgere cruentos.
Intereà cupidus cœlo spectator ab alto
Hæc videt, et tanto Christus respondet amori.
Nulla mora est; rigidi, visu mirabile, vepres
In flores teneros et candida lilia surgunt.

Quin etiam ex illo vitæ Catharina futuræ
Dulces illecebras casto sub pectore sensit.

IN SANCTUM DIONYSIUM.

Nam quis Parisiâ sonuit concursus ab urbe?
Quò matrum, quò turba ruit numerosa virorum?
Qua se cumque aperit, populi pede trita frequentis,
Semita, quæ sacras Dionysî ducit ad ædes.
Agnosco: redeunt Pastoris festa verendi;
Impia qui primus fregit simulacra Deorum,
Francigenasque pios ritus invexit in oras.
Proh! quantos verâ pro Relligione labores,
Pertulit! heu! per quot discrimina gentis amicæ
Parta salus! quàm multus iit de corpore sanguis,
Dùm caro metuens pastor se impendit ovili!
Carnificum non ille manus, non jussa tyranni,
Effera, nec strictos expavit degener enses!
Salve, ô Franciadum columen, salve inclyta gentis
Gloria, et afflictis spes ô fidissima rebus!
Ni tibi pulsus amor nostrî, ni prisca recessit
Cura, laborantes superis de sedibus ultrò
Respice, longorumque, precor, miserescе laborum.
Nam quibus infelix jactatur Gallia fatis! (1)
En sævit medias Mavors impune per urbes.
Exitium crudele ferens, spes nulla salutis
Est super; insanos belli compesce tumultus,
Namque potes; per te redeant bona munera Pacis.

B. FRANCISCUS SACRIS CHRISTI

VULNERIBUS SIGNATUS.

Orabat tacitâ montis secretus in umbrâ
Franciscus, Christique in imagine fixus, amanti
Quod satis, intentos oculos atque ora tenebat.
Intereà totos lacerum crudeliter artus

(1) Fervebat Bellum in Galliâ dùm hæc scriberentur.

Dùm videt, et sacris pia dividit oscula plagis;
Sensit inexpleto succendi pectus ab igne,
Et flammæ impatiens his questibus ora resolvit.
Meme adsum, qui feci, animam cruce perdere ab altâ
Debueram, sontem tormentum infame decebat.
At tu noster amor, moreris, Deus! et mihi pendis
Insons, quas merui multo pro crimine pœnas.
Saltem, ah! si liceat socium venisse doloris.
Vix ea; cùm medium latè discedere cœlum,
Et ruptis fulgere videt de nubibus ignes.
Fit fragor, et montis spatium sonat omne tumultu?
Protinùs ecce tibi superâ delabitur arce
Aliger, et multâ dat sese luce videndum,
Christum habitu, Christum ore ferens, nam robore ab alto
Pendet, utrinque manus clavi fixere trabales,
Et geminos fixere pedes, latus ensis adegit,
Lethalique recens manat de vulnere sanguis.
Obstupuit subitâ perculsus imagine rerum
Franciscus, cupidisque inhians dùm singula lustrat
Visa oculis, et corda nequit satiare videndo;
Ilicet Aligeri de corpore, quinque micantes
Erumpunt radii; totidem lethalia dicas
Spicula, Franciscumque petunt, palmasque pedesque,
Et latus optato dudùm mucrone recludunt.
Quin etiam multis sanguis fluit undique rivis;
Corpusque et laceras tingit nova purpura vestes.
Nec dubiis impressa videt sacra vulnera monstris
Franciscus; sed corda Deo, plenusque recenti
Lætitiâ exclamat; nunquàm ô frustrate vocatus,
Christe meos, audis etiam miseratus amantem,
Et tua jam cumulas meliori munere dona.
Ergò viæ tibi me comitem sociumque laborum
Adjungis? Præferre licet sacra Stigmata tecum,
Et paribus tecum, si fas, certare triumphis?
Sorte meâ felix, et in hunc servatus honorem!
Quanquàm nec satis est; operi finem addere, Christe,
Ne pigeat; fragilem properes abrumpere vitam;
Nam quid ego in terris, ultrà moror? an mihi quidquam
Dulce super, postquàm mortali in carne refulsit

Immortalis honos? Tecum, ah! mihi vivere restat;
Reddere et æternas pura inter gaudia grates.

IN ILLAS STULTORUM VOCES

Edamus et bibamus, cras enim moriemur.
Isaiæ c. 22.

Ite procul viles animæ, quas una remordet
Cura cutis, quibus una placet vesana voluptas,
Inter delicias et lautæ fercula mensæ
Vitam agere indecorem, et totos traducere soles;
Dùm cœlestem animam et divinæ particulam auræ
Despicitis; nam quæ versat dementia mentem,
Aut quò vos malus error agit rationis egentes?
An ne hominem vox illa sonat; linguá impia quandò
Solvitur in tales, Baccho suadente, loquelas?
Nunc epulis, nunc et juvat indulgere Lyæo,
Vita quibus brevis est, et cras vanescet in auras.
Ergo perire animam, fragilis compage solutâ
Corporis, et tumulo condi censetis eodem?
Pars hominis melior, puroque è semina nata,
Viva Dei effigies annis effœta senescat,
Parcarumque dies et ineluctabile lethi
Agnoscat subjecta jugum? Queis futile carmen
Venditis, aut tales rerum placet indere sensus?
His adeò pronas advertant vocibus aures
Degeneres Ithaci comites, quos improba Circe
Ex hominum facie in vultus atque ora ferarum
Vertit, inexpletis stulti dùm pocula gustant
Haustibus, et dulci sorbent sub melle venenum.
At vos turba procax procul hinc, procul este protervi:
Parcite sinceras offendere cantibus aures.

IN QUADRAGESIMAM.

Dulci corda mero, dapibusque refectus opimis
Festivos ego ritè dies de nomine Bacchi
Insanos inter celebrâram insanior omnes.

Cùm subitò mediæ per blanda silentia noctis
Adstitit, et placidos perturbat imagine somnos
Ignoti nova forma viri; namque arida pellis
Ossa tegit, vultum macies deformat agrestem,
Passique immundo fœdantur pulvere crines.
  Pone quaterdeni comite stant ordine longo,
Omnes palliduli, fuscis in vestibus omnes.
Obstupui; et tacito versans sub pectore visa;
Hei mei! dicebam, quis gaudia turbat? at ille
Imponens capiti cineres, sic ora resolvit;
Et pavidas implet duris sermonibus aures:
Hac risisse tenùs satis est; jam mitte choreas,
Mitte jocos hilares, mentemque ad seria flecte.
  Quin etiam horrendum, longâ quod veste latebat,
Exerit, et dextrâ quatiens minitante flagellum,
Attonitos ægrâ turbat formidine sensus.
Exilio è stratis, somnos pavor excutit ingens.
Continuò vitam cœpi damnare priorem,
Redditus ipse mihi, et meliùs componere mores.

FINIS LIBRI PRIMI.

CARMINUM LIBER SECUNDUS.

HEROICA PROFANA.

VULCANI DE CŒLO LAPSUS.

PARTU infelici, conjux formosa Tonantis
Vulcanum Juno ediderat sub luminis auras.
Nec mora, visendi studio ruit undique latis
Agminibus Divûm omne genus, cœloque recepti
Innumerâ pueri cunas cinxere coronâ;
Nosse avidi, patremne magis, matremve referret.
Ast ubi diductis puerilia cernere velis
Ora datum est, hilaris toto simul æthere risus
Exoritur, lepidique sales hinc indè resultant.
Namque olli rugis frons horrida; lumina binis
Interiùs defossa cavis; cutis aspera tactu,
Et ferrugineo passìm fucata colore.
Hinc patulæ nares, latoque informis hiatu
Rictus, et hirsutas longè protensus ad aures.
Ingemuit nati fato pater, et pede monstrum
Præcipitans, summâ cœli detrudit ab arce.
Volvitur, et longo varios agit æthere gyros.
Nequicquam manibus fugientem prensat aduncis
Aëra, vel tenues motat per inane lacertos.
Decidit infelix: Superi risere cadentem;
Et Satyri risere leves; offensaque lapsu
Tibia, in incertos flexit vestigia gressus.

ÆNEAS A NEPTUNO SERVATUS.

PUGNABANT animis paribus, non viribus æquis
Troius Æneas et Larissæus Achilles.

Jamque adeò Pelidæ iras, conceptaque dudùm
Exsaturare odia, et tristes sacrare Patroclo
Inferias satus Anchisâ genitore parabat.
Jam nigris circumvolitans mors horrida pennis
Terruerat miserum, prædæque cupidine capta
Falcem exultanti similis per inane rotabat.
Sensit, et Æneæ sortem indignatus acerbam
Neptunus, tales rupit de pectore voces.
Ergone, Rex hominum Divûmque æterna potestas,
Auferet antè diem sævi inclementia lethi,
Quem series fatorum, et ineluctabilis ordo
Magnanimæ genti, temet jurante, parentem
Promittunt? quæ te, Frater, sententia vertit?
  Nec plura effatus magno ruit impete, et atram
Obtendens circum nebulam caligine densâ
Involvit, rabidoque Æneam ex hoste recepit.
Insequitur frustrà, et vacuas diverberat auras
Pelides, raptumque dolo sibi poscit honorem.
Haud aliter, quàm cùm mediis è morsibus umber
Vividus, elapsum nemora inter devia cervum
Præcipiti sequitur cursu, prædæque fugacis
Impatiens crebris latratibus aëra complet.

AURI FAMES, PERNICIES MAXIMA.

Ulyssis socii fœtum ventis utrem aperiunt

Dardanidum victor, prædâque elatus opimâ
Per mare velivolum patriam repetebat Ulysses,
Nimborumque potens tempestatisque sonoræ.
Namque olli genere et consanguinitate propinquo
Ferre sui dederat, monimentum et pignus amoris,
Æolus inclusos corio septemplice ventos:
Ne præceps Boreas, aut turbidus Auster euntem
Fluctibus obrueret, classemque exponeret undis.
Illi indignantes duri [illegible]va frena tyranni
Intùs acerba fremunt, aditusque per omnia lustrant.
  Ast socii, tantùm urget amor sceleratus habendi!

Divitias latitare rati, clam scindere pelles
Per medium hircinas properant, opibusque potiri.
Continuò celeres magno cum murmure venti,
Quâ via facta, ruunt, atque omnia turbine miscent.
Jam conjurati tolluntur ad æthera fluctus;
Et mox suspensam liquidi super ardua montis
Educunt navim; mox inferiora secuti,
In brevia et syrtes, undâ cedente, retorquent.
Vela rapit Boreas, stridenti Aquilone procella
Malum aversa ferit, solvitque hinc indè rudentes.
Obstupuere omnes, fatalem avertere casum
Æolides, votisque Deos inflectere tentat.
Nil agit, Æolias rursùm jactatus in oras,
Cogitur indè novos pelagi tentare labores.

AMOR IRARUM VICTOR.

Achilles redit ad pugnam ad vindicandam Patrocli mortem.

Irarum impatiens et secum multa volutans
Atridas geminos probris onerabat Achilles.
Scilicet Æacidem, raptâ Briseide, tangit
Spretus honos: nil grandem animum sublapsa remordent
Fata suæ gentis, tumidæ vel gloria Trojæ.
Intereà, visu miserabilis, umbra Patrocli
Objicitur: Proh! qualis erat! quàm nulla prioris
Signa super toto remanent in corpore cultûs,
Cùm rueret patriam medios ulturus in hostes!
Nudus, et hectoreum monstrans in pectore vulnus,
Stillantesque comas, et fœda cruoribus ora,
Talibus orabat. Miserum-ne agnoscis amicum,
Pelei digna patris soboles? Tibi Patroclus olim
Vixit, et hostili, te sospite, marcet arenâ!
Vix ea; in amplexus socii infelicis Achilles
Irruit: at frustrà: patrias vanescit in auras
Umbra levis, pariterque manus oculosque fefellit.
Hîc, luctuque amens et corda incensus amore
Æacides, mene ergò fugis, carissime, dixit;

Æternùmque meis te, te complexibus arces?
At saltem ulcisci dabitur. Nec plura locutus,
Immemor irarum fatalia corripit arma.

ANDROMACHE

Ad Hectorem cum Achille congressurum.

IBAT per medios fatalibus Hector in armis
Dira tuens, dubiique iterùm discrimina martis
Tentare, et magno concurrere certus Achilli.
Cùm lacrymis suffusa genas, sortisque futuræ
Præscia, Priamidæ sese tulit obvia conjux,
Et puerum inclamans patri Astianacta tetendit.
Quis furor est? quæ te lucis tam prodiga virtus
Impulit his cingi, conjux dulcissime, telis?
Nam quibus uxorem fatis, natumque patremque,
Desertamque domum, dùm sic fugis ipse, relinquis?
Te sine quid poterit longo pater obsitus ævo?
Quid contra infestas acies inimicaque tela
Uxor, et armatos puer indefensus in hostes?
Ah! potiùs, si quam dubiis spem sponis in armis,
Hanc tutare domum, patrios tutare penates,
Fatalemque tuis defende à mœnibus ignem.
  Talia vociferans genibusque affusa ruentis
Orabat misera Andromache. Stat turbidus ille
Intereà, nullasque preces tractabilis audit.
Ac veluti impastus speculâ cùm vidit ab altâ
Venantem celerare leo, nunc dente minaci
Latronem expectat, nunc se se versat in antro
Impatiens, caudamque et acutos exerit ungues.
Haud aliter revocare decus, tristemque parabat
Hector Achillæo labem sarcire triumpho.

ACHILLES ET HECTOR

Diis faventibus utrinque servati.

HUC ades ô, stygias si fors innare paludes,
Tartareasque videre domos et inania regna

Fert animus, mecum imparibus concurrere telis
Aude, age: fatales pandet mea dextra recessus.
Talibus ad pugnam dictis urgebat Achilles
Priamidem, vocesque ferox jactabat amaras.
Non tulit hæc probri impatiens fortissimus Hector;
Æstuat, et totis contorquens viribus hastam;
Hostis acerbe, quid increpitas? quid fata minaris
Ultima? nil verbis opus est, ait: an tibi virtus
Ventosâ in linguâ? Tu conjice, sit-ne retusa
Cuspis, an imbellis quæ dextera pendet in ictum?
  Extemplò tenues volat hasta emissa per auras,
Pelidæ medio portans in pectore vulnus.
At Pallas cœlo aspiciens discrimen ab alto,
Et nato Thetidis meditans avertere cladem,
Lethiferum adverso detorsit flamine telum.
  Hic verò exarsit, tumidasque accensus in iras
Pelides, gladio rapidus surgebat in hostem.
At paribus studiis nebulâ subduxit opacâ
Priamidem, carumque caput servavit Apollo.
  Magnanimi heroes, vos ô fortissima bello
Pectora, quos dubii per aperta pericula martis
Ardor agit, teneris virtuti assuescere ab annis,
Et meritos Superis persolvere discite cultus.

MENELAUS A MACHAONE SANATUS.

Affixus stratis et grandi saucius ictu
Atrides, animo multa indignante fremebat.
Scilicet immitis, fracto mucrone, sagitta
Hærebat lateri, nec erat, qui ferre salutem,
Aut duros medicans posset mollire dolores.
Advolat intereà, studio stimulante, Machaon,
Digna patris soboles, famulantum stipat euntem
Turba frequens, claros quos omnes arte medendi
Fecerat, et morbos quoscumque fugare peritos.
  Pars gerit in phialis lacrymas stillantis amomi,
Pars et Idumæo de cortice balsama portat;
Pars veterem Panacæam, et verum ostentat Elixir.
Hunc procùl aspexit lecto Menelaus ab alto,

Ac veluti gravidum resolutâ nube papaver,
Mox, ubi depulso sol aureus imbre refulsit,
Attolitque caput frontisque expandit honores.
Haud aliter recreat facies optata medentis
Atridem, meliusque jubet confidere rebus.
Nec mora: inhærentem dextrâ leviore sagittam
Extrahit, et plagam exsugens, fundensque salubres
Herbarum succos, oras constringit hiantes
Hinc atque hinc, pannoque ligat multiplice vulnus.
Tum priscæ redeunt Menelao in pectora vires.
Sensit, et exclamans his turbidus ora resolvit:
At non se nostro jactabit funere longùm,
Fatalem est ausus quisquis vibrare sagittam:
Nec quemquam posthac Grajorum ex gente lacesset.

PIÆ ANDROMACHES LACRYMÆ

IN FUNERE HECTORIS.

Auratam pingebat acu, gemmisque serebat
Intexens clamydem Andromache; quam ferret adultus
Astianax olim, materni pignus amoris.
Barbarus intereà, cæcasque accensus in iras
Æacides, vinctum crudelibus Hectora loris
Iliacos circum muros raptabat, et atro
Pulvere fœdabat laceros immaniter artus.
Verùm ubi sollicitam feralis rumor in urbem
Ivit, et Andromachæ pavidas adlabitur aures,
Excussæ manibus telæ, revolutaque pensa.
Ipsa cadit; gelidus coit in præcordia sanguis,
Et via vix tandem voci laxata dolore est.
Ergo, inquit, moreris, neque me tibi fata dederunt,
Esse necis comitem, aut tristes avertere casus?
Me miseram! Nam quò lucis tam prodiga virtus,
Quò te laudis amor bellum in ferale trahebat?
Jam quibus uxorem fatis, natumque patremque,
Desertamque domum, dùm sic ruis ipse, reservas?
Quid faciet tua progenies orbata parente
Astianax? quid aget tanto sine conjuge conjux?

O Priame! ô Troes! tuque ô domus inclyta Divûm
Ilios, heu! quantùm vel in uno funere perdis!
Hæc memorans animis rursùm defecit; et ægram
Excipiunt manibus famulæ, thalamoque reponunt.

PRIAMUS CORPUS HECTORIS

AB ACHILLE REDIMIT.

Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros,
Feralesque Patrocli umbras satiârat Achilles;
Cùm Priamus, luctuque amens senioque gravatus,
Et vix ægra trahens tardo sub pondere membra,
Victoris cadit ante pedes, genibusque volutus,
Rupit inexpleto tales de pectore questus.
Placatos hùc flecte oculos, fortissime ductor
Grajugenum, Peleique patris generosa propago.
Quid juvat immites producere longiùs iras?
Tu, precor, afflictam patiens miserare senectam;
Mutatusque dole sævos vel in hoste dolores.
Multiplici de prole, mihi quam mortis iniqua
Vis rapuit, super unus erat carissimus Hector,
Ante alios, miseri solamen dulce parentis;
Et nostræ quondam, nisi numina læva fuissent,
Spes haud vana domûs, Trojæ tutela cadentis.
Sed quid egō hæc? dextrâ cecidit sub vindice natus
Hic meus, et patrios infecit sanguine campos!
Non ego te nostri causamque caputque doloris
Incusabo amens; vos ô, contraria semper
Fata mihi, tristesque iras damnabo Deorum!
Infelix! quid enim produxi longiùs ævum;
Nec licuit cecidisse priùs, ne dira meorum
Funera, ne patriæ bustum ferale viderem?
At tu, parce, oro; lacrymisque inflectere nostris,
Hac odisse tenùs satis est tibi; senserit olim
Immitem, placidum nunc sentiat Hector Achillem!
Exanimum per te liceat mihi tollere nati
Corpus, et extinctos cineres mandare sepulchro.
Quod petimus, leve munus erit. Tu dona vicissim,

Trojugenas, miseratus, opes, quæ reddimus, ultrò
Accipe, nec miseris pigeat mansuescere votis.
Sic reducem Æmonias genitor te sospes in oras
Aspiciat; dulcesque diù tecum exigat annos.
Sensit inaccessum molliri pectus Achilles,
Hectoreumque dedit portandum ad busta cadaver.

ANDROMACHE

Puerum Astianacta Patris in Tumulo abscondit.

Postquam vi Superûm, et sævæ Junonis ob iram
Troja dedit tristes flammâ populante ruinas;
Stabat adhuc Danaûm furiis, patriæque superstes
Hectorei moles tumuli, cœloque superbum
Una caput flammas inter secura ferebat:
Scilicet augustos cultu venerata penates,
Nec grandem turbare animam, manesque sepultos
Ausa, ultrò diros repressit flamma furores:
Tantus honos cineri, veneràtio tanta sepulchro est!
Hîc natum misera Andromache occultare parata,
Quando aliter puerum miseris subducere fatis
Non datur, et Superûm nec iniquâ finis in irà est;
Talibus Hectoream compellat vocibus umbram.
O Hector generose! Hector spes una ruentis
Præsidiumque domûs, mea magna potentia quondam,
Aspice nos, et quos moriens, carissime conjux,
Sprevisti comites, post ultima fata tuere.
Excipe progeniem, mediisque è faucibus orci
Eripe, namque potes. Puerum, sic fata, trementem
Blanda manu genitrix tumuli in secrèta trahebat.
Hæsit ad aspectum; gressumque subindè retorquens
Astianax, latebras vultu indignante refugit.
Cui mater: quid nate retrò vestigia flectis?
Ah! ne te pudeat tristes penetrare recessus,
O nimium generose puer! depone superbos,
Non tibi conveniunt, quos sors dedit, indue sensus.
Hîc poteris, si fata sinunt, sperare salutem;

Ulteriùs si fata negant producere vitam,
Commune invenies, forti cùm patre, sepulchrum.

ANDROMACHE AD ULYSSEM

PRO SERVANDO ASTIANACTE.

Grajugenum Dux magne, tuis gratare triumphis:
Quod tibi nulla priùs dederat victoria, Neptis
Tot Regum Andromache, Priami nurus, Hectoris uxor
Volvitur ante pedes, genibusque affusa superbum
Cogitur infelix humili prece tangere pectus.
Prospera si potui fatorum oblita videri,
Nec me orare pudet, tibi pauca negare petenti
Sit pudor. Afflictæ patiens miseresce parentis,
Spemque domûs eversæ unam da vivere natum.
Nam cur vanus habet mentem timor? eruta nem
Mœnia et ingenti patriam sub strage jacentem
Imbellis multosque puer circumdatus hoste
Attollet quondam, vel diruet igne Mycenas?
Ni spem, Troja, foves aliam, spes omnis adempta!
Dùm fatis equidem vixit melioribus Hector,
Ah! quoties fati casus solata sinistros,
Tempus erit, dixi, neque nos inimica sequetur
Ad tumulum fortuna, sui cùm nominis ultor
Priamides, laudisque novo succensus amore
Victor aget nostras Grajorum in castra phalanges.
Verùm eheu! moriens secum tulit omnia conjux.
Vitam unam, Æolide, votorum hæc summa, precamur.
Sic lætis Ithacam auspiciis patremque revisas
Incolumem; sic Dulichiis adolescat in oris,
Et magnum referens olim virtute parentem
Telemachus, factis portet super æthera famam.

HECUBA IN CANEM VERSA.

Postquam Troja ruit flammis data præda Pelasgis,
Incensâque furor Danaum bacchatus in urbe
Nil intentatum scelerisve dolive reliquit,

Sola inter patriæ fumantes stragis acervos
Hùc illùc volvens aciem Priameia conjux
Errabat, sortemque suam casusque suorum
Increpitans, tales jactabat voce querelas.
Crudeles Superi! nostris contraria votis
Numina! Quæ miseram supremo in limine vitæ
Fata manent? Vidi dulcissima pignora, natos
Spem columenque domûs occumbere tristibus umbris.
Vidi infelicem Priamum, quem dira furentis
Dextra Neoptolemi sacras raptarat ad aras;
Testes connubii maculantem sanguine Divos.
Undè mihi Danaum clementior ira pepercit?
Ergo ibit servitum Hecuba, et regalia subdet
Colla jugo? vel tanget heri captiva cubile?
Ah! si quis Deus est Trojani sanguinis ultor,
Vindicet invalidæ probrum, labemque senectæ,
Ingratosque dies miserans finire laboret.
Audiit orantem cœlo regnator ab alto
Omnipotens; et, quam reprimat vis nulla latrantem,
Fit canis, et mores mutato in corpore servat.

POLYPHEMUS OCCÆCATUS.

Post varios belli casus Pelagique labores,
Per scopulos, perque horrisonis vada fœta procellis
Æolides diras Cyclopum advenerat oras.
Ut stetit, atque oculis latè avia circumspexit;
Antrum ingens, immane videt; juvat ire, locosque
Explorare novos: sævi domus atra Cyclopis
Intùs erat. Toto pecus hîc extenditur antro,
Et rauco hesternas dùm murmure ruminat herbas.
Partem aliam campis consueta ad pabula Cyclops
Duxerat; et teneræ dùm tondent prata capellæ,
Stridenti miserum perdebat arundine carmen.
Intereà intento dùm singula lumine lustrat
Æolides, comitumque manus sectatur euntem,
Ecce redux Polyphemus adest; notosque penates
Ingressus, duplici firmat compagine limen.
Horret ad aspectum, palletque inclusus Ulysses.

[illegible] serenat
[illegible] rem,
[illegible]
[illegible] artus
[illegible] sses
[illegible]

N
N
I
A
N
D
Al
Te
Ad
Pri
Vi
Ve
Vit
Sic
Inc
Et
Tel

Po
Incen
Nil in

Ilicet Ætnæi fratres clamoribus acti
Accelerant; linquunt opera interrupta, minasque
Terribiles Jovis, et Polyphemi ad limina tendunt
Præcipites, et, quæ gemitûs sit causa, requirunt.
Quid tantùm Polypheme furis? dulcesne Capellas,
An teneros hostis rapuit cum matribus agnos,
Intentatve necem? *Nemo* mihi funera, dixit,
Nemo necem intentat. Responsum tale timorem
Abstulit; ergo abeunt alacres ac pensa revisunt:
Perque jocos, immanè putant clamasse Cyclopa.
Intereà furiis Cyclops immanibus actus,
Nequicquam Æolidem toto vestigat in antro.
Ille etenim cœco illudens mille orbibus orbes
Implicat, et flexo declinat corpore dextram.
Quid faciat? quâve elusum satiare furorem
Arte paret Cyclops? neque sic tamen, improbe, dixit,
Effugies; clausi, sic fatus, limina tecti
Obsidet, atque alias, tenuis quâ rima patebat,
Post alias educit oves; at sedulus omnes
Intereà, fraudum impatiens infràque suPràque
Contrectat, palpatque manu, si fortè paratis
Insidiis sese Æolides subducere tentet.
Sensit at illè dolum; et solitas conversus ad artes
Arma rapit, totque ense ferit mactatque bidentes,
Quot superant comites, tum pelle indutus ovinâ
Cum sociis, sævas Polyphemi elabitur iras.

ULYSSES SIRENUM VICTOR.

Quisquis inexpleto captus virtutis amore
Molles illecebras et vitæ gaudia temnis;
Disce monendus adhuc irritamenta malorum
Effugere, et lætis nimiùm non fidere rebus.
Illa vides, quæ se luctantibus undique ventis
Navis agit celeri turbata per æquora cursu;
Scyllæosque inter strepitus avidamque Charybdim
Certum tendit iter; sapientem hæc portat Ulyssem;
Felix et vitæ monstrat documenta beatæ.
A[illegible]icis ut cerâ sociorum providus aures

Obstruat, et malo patiens post terga ligari,
Sirenum voces et noxia carmina vitet?
Ni faciat, pectusque ingenti robore firmet
Contra dulce melos; frustrà Cyclopea saxa
Victor, et invisæ fatalia pocula Circes
Fugisset. Quam mille inter discrimina rerum
Exierat toties, mortem daret una voluptas.

HEROES LATERE NESCIUNT.

Quò te prolis amor, fati malè conscia Thetis,
Præcipitat? nequicquam animos incauta viriles
Occultare paras, frustraque indutus amictu
Fœmineo Trojæ domitor celatur Achilles.
Heroes teneris etiam produntur ab annis.
Ac velut ignis edax, cineri si fortè doloso
Suppositus, rapidam rupto capit objice flammam:
Haud aliter segnes virtus exosa latebras
In lucem erumpit, nescitque ignava latere.
Senserat hoc Ithaci prudentia. Namque puellas
Regales inter magnâ Lycomedis in aulâ,
Dùm vacuos agitat soles, jussuque parentis
Fœmineâ sexum pallâ mentitur Achilles;
Ecce improvisus Trojanis venit ab oris
Æolides, fraudem ut strueret; variasque recludit,
Quas tulerat secum, nullo discrimine merces.
Continuò, quodcumque placet, rapuere puellæ.
Hæc amat in speculo vultus sine nube serenos
Cernere, miraturque oculos et frontis honores.
Hanc juvat armillas teneris aptare lacertis,
Et digitis gemmas et longa monilia collo.
Illa graves bacchas et opes orientis, utrinque
Auribus appendit, vult et formosa videri.
Intereà Pelei soboles muliebria spernit
Ornamenta, caput galeâ premit, et rotat ensem,
Correptamque manu vi magnâ concutit hastam.
I, tua te quò fata vocant, sate sanguine Divûm;
Te Troja expectat, tibi soli cedere certa.

ORESTES LIBERATUS.

Ibat per medios, manibus post terga revinctis,
Nobile par, fido Pyladi sociatus Orestes:
Ambo sanguineæ mactandi ad templa Dianæ.
Nec quos junxit amor dudùm per tristitia vitæ
Tempora, jam patitur vel in ipsâ morte revelli.
Intereà Triviæ sacris operata sacerdos
Arma rapit, jam fulmineum consurgit in ensem
Ardua, et immeritis fatales destinat ictus.
Quò raperis, virgo imprudens? absiste, furentem
Et compesce manum. Nil hîc natura reclamat?
Nec te præcipitem vox sanguinis ulla moratur?
Fallimur: insolitis hæret perterrita monstris
Iphigenia, soloque oculos defixa resistit
Multa putans: trepidos quatit æger anhelitus artus;
Pallor in ore sedet; coit in præcordia sanguis,
Et toto accisæ torpent in corpore vires.
Quin etiam arma cadunt manibus, pia dextra recusat
Triste ministerium; populus stupet inscius, atque
Diditur incertum confusa per agmina murmur.
Intereà miseræ crudelia fata puellæ
Vidit Amor, fidosque ultrò miseratus amantes,
Protinùs offusos densâ caligine solvit
Iphigeniæ oculos, tunc illa agnoscit Orestem,
Et totis fratrem dilectum amplectitur ulnis.

HERCULES COLUM TRACTANS.

Dum fortes humeros muliebri inductus amictu
Alcides tractatque colos, digitique madentes
Sanguine monstrorum, Lidæ ad mandata puellæ,
Exercent artem insolitam fusumque retorquent;
Ecce tibi intereà levibus per inania pennis
Heroem circumvolitat chorus omnis Amorum;
Atque laboranti certatìm illudere gaudet.
Ventilat hic duro metuendam robore Clavam
Insultans; rapit ille feræ victricia Lernæ
Tela manu rumpitque; alter monumenta leonis

Fert humero, gressuque tumens impunè superbo
Cœlicolas ipsumque Jovem in certamina possit.
Sydereâ ludum Saturnia vidit ab arce;
Et tacitos vultu sensus testata sereno;
Quid juvat ultrices producere longiùs iras,
Dixit, et è stygiis accersere monstra cavernis;
Nos satis ultus Amor; variis exercita bellis
Huic tandem scopulo virtus allisa fatiscit.

PUDICITIÆ

IN IPSO FUNERE TRIUMPHUS.

Expertus Phædræ insidias, irasque dolosque
Hippolytus, patriis ultrò cedebat ab oris.
Aspicis hæc pater, et pateris? quid fœmina possit,
Ignarus? ne crede dolis: offensa repulsæ
Phædram acuit. Timet illa, gravis quam culpa remordet,
Ne prior illicitos retegat tibi filius ignes.
Nil agimus; duras monitis veracibus aures
Obstruit infelix, quin et vota impia Theseus
Præcipitat, misero jam jam inficianda parenti!
Dùm loquor, Hippolytus taciti per littora ponti
Flectit equos; curruque sedet sublimis in aureo,
Obscœnâ impatiens quamprimùm excedere terrâ.
Scilicet os properanti animos mens conscia recti
Inspirat, tristisque fugæ fastidia mulcet.
Ecce autem horribiles medio de gurgite Phocæ
Erumpunt! turbantur equi, non audit habenas
Currus, et excusso rectore per avia fertur.
Labitur, et mediâ Juvenis resupinus arenâ
Saxa per et scopulos trahitur; deforme cadaver
Lambit humum, moriensque suo se in sanguine versat.
Parce tamen, miserande puer, tua fata dolere.
Factum insigne manet par gloria; tempus in omne
Illæsi dabis exemplum immortale pudoris.

TOMIRIS,

SEU ULTIO IMMODERATA.

Quid video? quàm se se oculis lugubris imago
Objicit! humano quid sanguine turgidus uter,
Abscissique caput Regis deforme minatur?
An non usque datum est odio satis atque furori,
Immitis Regina? Tuis exercitus ingens
Artibus ecce perît; fato sublatus eodem
Ille perît Cyrus, famulas cui subjicit undas
Euphrates, cui servit Arabs, quo vindice Medus
Imperiis gentem Eoam parere coëgit:
Et meditaris adhuc letho implacabilis iras?
At nihil accensam Tomirim movet; una recursat,
Una animum tangit mactati injuria nati;
Teque sui incusans causamque caputque doloris,
Crudeles rursùm ad pœnas te, Cyre, reposcit.
Ergò amens odio, stimulisque accensa cruentis
Sanguineo caput abscissum demergit in utre:
Vociferansque trahit flammato hæc pectore verba:
Nunc age; qui sobolis, fudisti, Cyre, cruorem,
Tu, qui nostrum etiam demens haurire parabas,
Ecce tibi humani jam copia sanguinis ultrò
Subjicitur; restingue sitim post funera saltem.

NEMO ANTE OBITUM FELIX.

Huc geminas, hùc flecte acies, quicumque superbis
Sorte suâ, et vento das turgida vela secundo.
Disce vices varias; dubiæ ludibria sortis
Disce, nec humanis nimiùm confidere rebus.
Illa vides, quæ se medias pyra tollit in auras,
Fatalesque elata vices, et triste minatur
Exitium? Jam flamma micat, jam concipit ignem,
Ardentesque rogus vomit hinc atque indè favillas.
Hæc adeò, si fortè roges, cui fata parentur,
Cræsum busta manent, Lydis qui nuper in oris
Immensas jactabat opes, tumidusque potenti

Imperio, et fatis amens felicibus, unum
Inter mortales se credidit esse beatum.
Illum nequicquàm vox hæc præsaga Solonis
Admonuit, nemo est ante ultima fata beatus.
Usque graves monitis clausit sapientibus aures.
I, conscende rogum flammæ devota furenti
Victima; tu seclis monimentum triste futuris;
Ante obitum felix meruit quòd nemo vocari.

LYCURGO NAIADUM EPINICIUM,

OB EXCISAS IN THRACIA VITES.

Noxia per Thraces postquàm vineta Lycurgus
Perdidit, et durâ vites cecidere Bipenni;
Fleverunt Satyrique leves, Faunique sub antris
Ingemuere suis. Flevit pater ipse Lyæus;
Testatusque Deos et iniqui jussa tyranni,
Quæsiit externo sub sole jacentia regna.
Parte aliâ fluviis alacres impunè relictis
Naiades accelerant, et quâ dispersa jacebant,
Subjectis gaudent sarmenta incendere flammis.
Ecce autem tenues flammâ crepitante favillæ
Dùm volitant, passìmque leves per inane feruntur,
Implicuere manus manibus, festasque per orbem
Exercent circùm fumantia busta choreas:
Teque, Lycurge canunt, læto tibi carmina plausu
Ingeminant, carumque ferunt ad sydera nomen.
Vivat io, vivat per tempora longa Lycurgus!
Hic vir hic est, qui pestiferi mala semina succi
Obruit, et nostris hostem procul expulit oris.
Non jam compita per musto madefacta Juventus
Noctes atque dies, magnoque ululante tumultu,
Insanos acuet Baccho stimulante furores.
Vivat io, vivat per tempora longa Lycurgus!

PETRA EXPUGNATA.

Urbs fuit aëriæ prærupto in vertice montis,
Quam neque multiplici cingebant mœnia fossâ,

Artificumve manus solitâ vallaverat arte.
Ast uno defensa situ, scopuloque minanti,
Ridere hostiles poterat secura catervas.
Huic natura loci fecit cognomen; et ipsi
Indigenæ proprio dixere è nomine Petram.
Illùc Pellæi proles invicta Philippi,
Magnus Alexander, spoliis Orientis onustus,
Aspera victrices agit in certamina turmas.
Ut fortes ventum ad muros, ut se agmina longo
Circuitu explicuêre, alti per scrupea montis
Rimarique viam, Petramque invadere certus,
Tercentum Juvenes selectos ordine ab omni
Talibus alloquitur, dictisque audacibus urget:
O socii, tentanda via est: majora patrastis,
Auspice me. Quid enim veteres memorare triumphos,
Quæsitasve juvat per mille pericula palmas?
Vos et hyperboreis circumobruta saxa pruinis,
Hybernasque nives, atque alta Ceraunia læti
Accestis; vos et rapidi septem ostia Nili,
Euphratemque et præcipites audentiùs amnes
Tranastis, Cilicumque imas penetrastis in oras.
Ergone terrarum dominos urbs una moretur,
O comites? Ergo innumeris defuncta procellis
Hoc tandem scopulo virtus illisa fatiscat?
Ite alacres; certamque animo præsumite laurum.
Hæc ubi dicta, ruunt alacres; simul, impete facto,
Lecta cohors urgere moras, in utrumque parata,
Aut urbem capere, aut vitam pro laude pacisci.
Hi pedibus manibusque uncis scopuli aspera prensant:
Durum illi scrutantur iter, cuneisque labantem
Sustentant gressum, et summâ nituntur opum vi.
Pars socios obnixa humeris, dorsoque repando
Adjuvat; in tergum pars insilit; altiùs alter
Dùm properat, fallente gradu, titubatque ruitque,
Et lapsu sociorum oculos funestat iniquo.
Hic dextrâ captare parans fastigia rupis,
Conatu in medio saxis affixus acutis
Hæret hians, et opem nequicquàm implorat amici.
Parte aliâ sortem comitis miseratus acerbam,

Fortunamque parem metuens, tantò acriùs urget
Cœptum opus, et scopuli tentat superare cacumen.
Idem omnes simul ardor agit: jamque unus et alter
Alta tenent, montisque jugo, mora nulla, potiti
Auxilio veniunt subeuntibus; undique festus
Ingeminat clamor: factum stupet inscius hostis,
Et victus dat colla jugo, portasque recludens
Victorem valvis bipatentibus introducit.

EX HISTORIA ROMANA.

ROMULI ET REMI FATA.

Excipe tranquillis dulcissima pignora lymphis
Tybri pater, fluctusque ultrò compesce tumentes.
Ipse tibi geminum Thalami felicis honorem
Commendat Mavors; placidum da blandus utrique
Hospitium, precor, et præsens averte periclum.
At tibi pro scelere hoc, nimiùm crudelis Amuli,
Persolvant meritas ultricia Numina pœnas.
 Talibus orabat Tyberini ad fluminis undam
Sylvia, et avulsos ripâ dùm lumine natos
Prosequitur, lacrymis humectat grandibus ora.
Audiit orantem fluvio Tyberinus ab alto;
Et matris sobolisque vicem miseratus iniquam,
Excepit manibus pueros, pondusque verendum
Gaudet in adversâ salvum deponere ripâ.
 Nec mora, vicino nemorum lupa prodit ab antro,
Et positâ feritate, volens potanda puellis
Ubera dat. Spes disce tuas terra hospita; disce
Quanta olim fratres maneat fortuna gemellos,
Pastos lacte fero, et Martis de sanguine cretos.

ROMULUS FATORUM COMPOS.

Dum juvenis socios inter colludit agrestes
Romulus, et vario sæpè in certamine victor,
Applaudente choro, meritæ fert laudis honores:
Ecce animi fidens, seu vis rapit insita mentem,

Seu proprio Mavors afflavit numine natum ;
Talibus aggreditur socios : Quid bella movemus
Ludicra, quos Superi fata ad majora reservant ?
Cernitis impositas præruptis collibus arces ;
En nostra est urbs illa, animos si nobilis urget
Laudis amor, nomenque juvat virtute parare.
Tantum audete alacres, et spes præsumite magnas :
Sufficient Superi vires, et cœpta juvabunt.
Nec plura : exarsere animi ; simul impete facto
Conjurata cohors, Albam nil tale timentem
Aggreditur, strictisque hostem mucronibus urget.
Fit via vi ; rumpuntque aditus, atque urbe potiti,
Regem ad supplicium communi voce reposcunt.
Intereà accurrit monitis cœlestibus acta
Sylvia, victoremque ulnis amplexa superbum,
Macte istâ virtute, inquit ; sic sanguine Martis
Te genitum esse probas, et grandia fata recludis.

HORATIUS LIBERATUS.

Nequicquam ostentans triplici circumdata lauro
Tempora, Romuleæ defensor Horatius urbis
Ibat per medios, et bustum triste petebat.
Hîc verò luctuque amens et percitus irâ
Longævus pater instantem perrumpere turbam,
Et cœcos populi tentat mulcere furores.
Nam quò vindictæ, dixit, malesana cupido
Vos rapit, ô nunquàm memores, ô semper iniqui
Romulidæ? Sunt ista mihi, sunt præmia nato
Quæ datis? hos meruit partâ pro laude triumphos ?
Quid te, Nate, juvat lucem vitamque perosum
Armatas fudisse acies, et nobile morti
Objecisse caput, ne subdita Roma pudendo
Colla jugo gemeret, sceptrisque assueta gerendis
Penderet ingratum vinclis onerata tributum?
Quin potiùs, pulchrum cùm mors dabat inclyta nomen,
Tertia labenti cecidisti victima Romæ?
Proh ! fratrum sors læta magis, patriæque ruentis
Involvi tumulo et dextrâ cecidisse Sabinâ,

Impia quàm diræ submittere colla securi.
Huccine felicis cecidit sors ultima pugnæ?
Hùc tardum adduxi genitor miserabilis ævum,
Ut coram miseri crudelia funera nati
Aspicerem? me, me ah! nec sit pudor, addite nato
Romulidæ! Namquid deinceps moror? an mihi quidquam
Dulce super, postquam his oculis lacrymabile vidi
Tergeminæ funus sobolis? quid deindè superstes
Infelix genitor producam longiùs annos?
Vix ea: jam populum lacrymæ movere parentis,
Conversique animis studia in meliora Latini,
Victorem unanimes æratâ compede solvunt,
Et nato meritosque patri gratantur honores.

TULLIA

Per calcatum Patris cadaver Solium conscendit.

Nam quò præcipites adigis vesana quadrigas,
Tullia? siste gradum; mediâ quem cernis arenâ
Exanimem, patris heu! nescis, informe cadaver
Sistitur, objectoque viam tibi corpore claudit?
  Nil agimus: nullis didicit mansuescere verbis
Indocilis mulier; regnandi cæca cupido
Obstruxit duras monitis sapientibus aures.
Progreditur furibunda; juvat calcare paternum
Corpus, et his gradibus solium conscendere gaudet.
I, nata infelix, soboles indigna parente;
Perge reluctantes crebris urgere flagellis
Quadrupedes; si quis frigentes fortè per artus
Spiritus errat adhuc, hunc fervidus obruat axis.
  Quanquam auriga piger diro parere recusat
Imperio; excussæ manibus labuntur habenæ.
Quin etiam horrendâ perculsus imagine, in altum
Attolit se se quadrupes, ultràque propelli
Impatiens, oculos retrò gressusque retorquet.
Tu sensus oblita pios mitescere disce;
Disce, docente ferâ, naturam audire monentem.

CURTIUS

PRO PATRIA SE DEVOVENS.

Inter Samnitum Romanorumque Phalanges
Errabat dubiis anceps Victoria pennis,
Queis daret æternum palmæ felicis honorem.
Cùm vox lapsa polo tenuesque audita per auras
Romulidum gratis implet rumoribus aures.
Romæ parta salus; sed enim redimenda cruore
Innocuo: cadat urbis honos et gloria gentis.
  Hîc verò patriæ laudis correptus amore
Curtius, ardentes sub pectore concipit æstus;
Nec dubitat se totâ unum pro gente reposci.
Ergo animi fidens tollensque ad sydera vultus,
Dii patrii; vos ô, quorum sub numine Roma est,
Accipite hanc animam; dixit, nec plura locutus;
At spumantis equi stringens calcaribus armos,
Præcipitat, baratroque volens se condit aperto.
Fit strepitus; plausum ingeminant, campoque potiti
Romulidæ, hostiles cogunt dare terga maniplos.

REGULUS CARTHAGINEM REPETENS.

Victor propositi, et sortis contemptor iniquæ
Sidonias ultrò repetebat Regulus arces.
Frustrà obluctantem conjux afflicta moratur;
Et soboles, pia turba, pedes amplexa parentis,
Tentat inaccessum lacrymis inflectere pectus.
Ac veluti rupes, circùm latrantibus undis,
Quæ stat mole suâ, ventorum impunè tumultus
Despicit; haud aliter non flectitur ille suorum
Fletibus, aut voces ullas tractabilis audit.
  Quin etiam impavido parvos, sua pignora, natos
Respiciens vultu: Lacrymis, absistite, dixit;
Ac nisi degeneres pigeat virtutis avitæ,
Flectite victrices circùm mea tempora lauros.
Nil moror; inflictum Romanæ dedecus urbi
Abstergam, certumque dabit mors ipsa triumphum.

Vos, dilecta patri soboles, hinc discite, vitam
Indecorem, si fata ferant, postponere morti.
Tuque, ô, parce queri, conjux! indigna marito,
Ni finem injustò facias generosa dolori.

ANNIBAL MORIENS.

Romulidum innumeris circumdatus undique turmis
Annibal, ut sensit nullam superesse saluti
Virtutique viam, et turpi sibi morte cadendum:
Torva tuens, grandesque agitans sub pectore sensus,
Talibus incusat contraria fata querelis.
An non Ausonii fusum satis atque refusum
Sanguinis est, pulchro ut letho Latia agmina rumpens,
Corruerem aggestis super hostibus? ô ubi virtus,
Romulidæ, veterum proles indigna parentum?
Scilicet egregium decus, et rem nomine dignam,
Oppugnare senem, quem perfidus abjicit hostis,
Et vestro imbellis permittit turba furori!
At non Fabricius vestræ laus inclyta gentis
Talis in hoste fuit Pyrrho; sed et ipse paratas
Insidias, hostisque hosti scelus omne retexit.
I, morere; et stygias ultrò descende sub umbras,
Annibal; hoc partis inscribet fama trophæis:
Non fuit Annibali virtus Romana superstes.
Et tu, care pater, natum excipe. Quam tibi quondam
Solennes Superûm vovi juratus ad aras,
Nusquam rupta fides. Vos conscia Numina testor;
Vos et inaccessis, quas fregi, rupibus Alpes
Primus, et Ausonio sudantes sanguine Cannas!
Me Trebia, et versis Trasimenus decolor undis
Victorem sensit: trepidanti proxima Romæ
Arma tuli: patrios ad manes nobilis umbra
Usque meî memor, et Romani nominis hostis
Descendo, vitamque volens cum luce relinquo.
Sic fatus, gemmâ clausum interiore venenum
Hausit, et eluso mortis decus abstulit hosti.

CÆSAR VISO POMPEII EXTINCTI CAPITE ILLACRYMANS.

Ne sit flere pudor, Cæsar; sibi talia victus
Hostis ab hoste petit magnæ solatia cladis.
Nam quæ materies luctûs magis ampla, vel ipso
Cæsare digna magis? Totum qui vicerat orbem
Pompeius; cui certa diù comes hæsit eunti
Perpetuosque dedit victoria ferre triumphos,
En jacet infelix crudeli morte peremptus:
Nec præter deforme caput, concretaque tabo
Ora, Ducis tanti restat pars ulla superstes!
  Cernis in extincto vis ut mavortia vultu
Spirat adhuc, fraudesque malas incusat amici.
Plus tibi ad Æmathios, Cæsar, victoria campos,
Quàm poteras sperare, dedit; lætâ utere sorte,
Dùm licet, et fatis nimium ne crede secundis.
Illa potens rerum, magnosque assueta triumphos
Vertere funeribus, tibi nec quondam invida parcet,
Nec castris addicta tuis Fortuna favebit.
Triste ministerium veteri placatus amico
Ne renuas, memoresque Dei tibi talia reddant.

MORS CÆSARIS.

Quo te, Brute, rapit vis effrenata furentem?
Ergo ratum est? cadet ille manu confossus iniquâ,
Immeritum qui te patrio complexus amore est?
Incautum species te decipit! et tibi palpat
Libertatis amor, scelerisque obtendit honorem.
  At tu, quò properas? quid tristi occurrere fato,
Et mortem, Cæsar, juvat irritare morantem?
Siste gradum, tua te conjux exoret, amicis
Ne pudeat monitis ultrò parere tuorum.
Cernis ut obscurâ nitidum ferrugine Titan
Abscondat caput? ut lethi prænuncia bubo
Occinat horrendos ferali carmine casus?
Quin etiam nutare gravi concussa tumultu

Curia et ingentem visa est portendere luctum.
Nil agimus, nec verba movent, nec monstra morantur.
Securus fati ingreditur funesta Senatûs
Limina, multiplici mactandus vulnere Cæsar.
At te, qui tantum potuisti admittere crimen,
Infelix, par pœna manet; quæ sanguine tincta
Innocuo, sontem fundet manus ipsa cruorem.

MORS CASSII.

Victus, et Antonî metuens, quas fugerat, iras
Cassius, excelsi conscenderat ardua collis,
Incertus belli socios quæ fata sequantur;
Queis in Juliadem Brutus pugnaverit armis.
Cùm procul obscuro glomerari pulvere nubem,
Et mediis tenebras vidit consurgere campis.
Romanæ apparent Aquilæ, latèque per agros
Præcipitant; ruit effusis equitatus habenis;
Scuta virum galeæque adverso sole refulgent.
Non tulit hanc speciem fati præsagus iniqui
Cassius, et tristi perculsus imagine, Brutum
Exanimem cecidisse putat; deforme cadaver
Objicitur, cunctas visus trahere ipse cohortes
Cæsar, et insultans victis extrema minari.
Namquid agam, dixit? cui me fortuna reservat
Immeritum fato? spoliis exutus et armis
Quò ferar? hostis adest, Brutoque absente lacessit.
Brutus ubi est, dux ipse operis sociusque laborum?
Dii, quorum auspiciis fatalia sumpsimus arma,
Bellaque in infandos cives pugnavimus, an vos
Sic decuit, justas adverso numine partes
Linquere, et invisos contra fovisse Tyrannos?
Intereà quæ spes misero mihi denique restat?
Victoremne adeam supplex, hostisque superbi
Experiar fastus, dùm flagrat dextra cruore
Cæsaris, et numerat nostros Antonius ictus,
Hujus ego arbitrio morior, vel munere vivam?
Infandos alii currus pompamque sequantur,
Et turpem cumulent Româ indignante triumphum.

Non benè confosso nobis asserta Tyranno.
Libertas patriæ, ni possit vivere liber
Cassius, aut saltem liber descendat ad orcum.
  Credo equidem, jam se generoso funere Brutus
Juliadi eripuit, funestaque castra fefellit.
At non degeneres erimus; Te, Brute, sequemur;
Speque suâ elusum pariter frustrabimur hostem.
Dixit; et aptato pectus mucrone sub imum,
Fortius incumbens mortis decus abstulit hosti.

IN FULVIAM,

Cùm extincti Ciceronis Linguam acu perforasset.

Nam quid agis? quò te vis effrenata furentem,
Fulvia, præcipitat? Non est satìs ergo nefandis
Immeritum Ciceronem odiis, dùm vita manebat,
Per summum vexasse nefas? furit ira superstes,
Nec sinit in tumulo placidos requiescere manes!
Proh! pudor! Illa togæ decus et patrona reorum
Lingua, unum miseris columen, cui Roma salutem
Acceptam defert et libertatis honores,
Pungitur! et sceleris pœnas innoxia solvit!
  Anne vereris adhuc, ne fœdæ crimina vitæ,
Ut quondam, læsi vindex generosa pudoris,
Increpitet, turpisque domûs scelus omne retexat?
Nil agis, hæc loquitur, vel dùm silet, impia quanquam
Abstuleris vocem, nunquam tamen illa tacebit.
Nam tanti divina viri dùm scripta vigebunt,
Scripta, vel in seros olim victura nepotes,
Teque, tuumque scelus cuncta execrabitur ætas.
  At te justa manent, Tulli, solatia mortis;
Quæ tibi mortalis spatium brevè sustulit ævi,
Non tamen eripiet famæ immortalis honorem.

MORS CLEOPATRÆ.

Postquam Niliacas aditum sibi fregit ad oras
Augustus Cæsar, desolatisque maniplis,
Romuleas Aquilas fugit Latrator Anubis;
Ut versis Cleopatra retrò fluere omnia fatis,
Vinclaque victoris sensit subeunda Tyranni;
Hæc secum. Num Cæsareos ingloria fastus
Experiar, Latiosve sequar captiva triumphos?
Illa manus dudùm regnis assueta regendis
Induet indecores, sceptro spoliata, catenas?
Non ita: speratos fallam vel funere plausus.
Ne dubites, tumulo tua Te Cleopatra sequetur,
Antoni, et grandem moriens comitabitur umbram.
Dixit; et extemplò furialibus effera cœptis,
Conscendit peritura torum. Mors commoda votis
Adfuit: ecce gravem quærenti abrumpere vitam.
Pandit iter calathus, quem latè gemmea florum
Copia, quem plenis prægnantes fœtibus uvæ,
Et niveo ficus distendit turgida succo.
Scilicet adrepens calathumque volutus ad imum
Anguis, iniquam animam blando aspirabat odori.
Respexit mulier, subitoque exterrita visu
Palluit; at priscas revocans in pectora vires;
Ter calatho dextram admovit, ter lucis amore
Victa refert. Vive infelix, si vivere tanti est,
Vive, triumphanti debes ludibria Romæ.
Hæc memorans revoluta toro est, similisque cadenti
Imposuit nudum calatho propiore lacertum.
Sensit onus, totoque innitens lubricus anguis
Corpore, lethiferos tenui dat vulnere morsus.
Ingemuit, Teque, Antoni, ter voce vocanti
Extremus condit fluitantia lumina somnus.

AMBITIO IMPOTENS.

Dum jacet ante aras curisque agitata superbis
Agrippina Deûm supplex oracula poscit,
Expectatque inhians, maneant quæ fata Neronem;

Scilicet extincti post tristia fata mariti,
Nato iter ad solium conjux infida parabat.
Ecce leves subitò vox interrupta per auras
Labitur, et tristi conduplicat omine curas:
Matris cœde manum tinget, si regna capessat.
Horruit infelix mulier; gelidusque cucurrit
Ima per ossa tremor: ter victa cupidine vitæ
Sacrilegis voluit mutata absistere cœptis;
Et merito nil tale scelus prohibere marito:
At mox fœmineo majores pectore sensus
Concipiens, damnatque metus, et talia fatur.
Ergo tuus, tuus ille Nero crudele Tyranni
Sentiet imperium, Legesque facesset iniquas?
Tuque, ô Cæsareo sata sanguine, turpia subdes
Colla jugo; matresque inter despecta latinas
Aggrippina trahes turpem sine nomine vitam!
Usque adeone mori miserum est? nil tristia deindè
Fata mor; pereat mater data victima nato,
Sceptra Nero teneat; satìs est vixisse parenti.

GERMANICUS MORIENS.

Affixus lecto Germanicus ultima vitæ
Limina, tangebat, nec spes erat ulla salutis.
Scilicet in medias pestis furit acta medullas,
Intimaque insinuans cordis penetralia virus
Lethiferum intulerat corrupto sanguine tabum.
Conscius hîc facti, morientia lumina volvens,
Uxorem et tristes, dulcissima pignora, natos
Vidit et ingemuit, mœstoque hæc addidit ore.
Agrippina, tui si te infortunia tangunt
Conjugis, indigno manes satiare cruore
Parce meos; vivat miserandi funeris auctor,
Non equidem invideo; nil te moror, impie Piso?
Vive diù, testem sceleris tibi cernere solem
Pœna sit, et rabidis incendi pectora curis.
At Te, si qua meî post ultima fata remordet
Cura super, teneram, conjux fidissima, prolem
Informare juvet; virtutum semina mater

Insere ; majorum seriem , præclara parentum
Exempla, et patrem non inferiora secutum
Retractent memores , et , te narrante , revolvant.
Spero equidem longâ redivivum in prole parentem
Romulidæ , dignosque agnoscet Roma nepotes.

AGRIPPINÆ IN URBEM REDITUS

Cum Liberis et Germanici Cineribus.

POSTQUAM Romuleas vulgavit fama per urbes
Brundusium adventare ratem , quæ tristia dona ,
Quæ cineres miserande tuos , Germanice , ferret.
Extemplò cunctis populus se fundere portis ,
Et complere avidus vicini littoris oram.
Omnibus idem animus ; memori sub mente recursat
Magna viri virtus exanthlatique labores
Et parti toties felici marte triumphi.
Ast ubi visa procul non læto remige classis
More triumphantum placido succedere portu ,
Sed lentis ferri taciturna per æquora remis.
Nulla mora est ; ingens animos circumstetit horror ,
Ingeminantque graves funesta silentia luctus.
Ibat honoratas portans Agrippina mariti
Relliquias, geminosque trahens , pia pignora , natos ;
Quæ simul aspexit tristes hinc indè catervas ,
Ecce repentinus se tollit ad æthera clamor ,
Atque atrox crescit gemitus , quo pulsa resultant
Saxa , gravique sonat littus circum omne tumultu.
Pars mœstos fatali oculos defigit in urnâ ;
Præsidiumque ingens , rebus solamen in arctis ,
Et raptos queritur Romanæ gentis amores.
Pars Agrippinæ castum miratur honorem ,
Et fortes lacrymas fletu comitatur amaro.
Pars teneræ sobolis casus miserata , precatur
Fortunam patris absimilem , sed fortia facta ,
Et famam non degenerem virtutis avitæ.
Plaude vel in justo , mulier generosa , dolore ;
Plaude tibi ; neque enim cecidit Germanicus omnis ,

Vivet adhuc, et parte suî meliore superstes
Extendet longos memorabile nomen in annos.

BRITANNICUS

INTER EPULAS VENENO SUBLATUS.

Quò ruis infelix? quò te miserabilis error
Abripit incautum, furibundoque objicit hosti?
Ah! fuge crudeles epulas, fuge tecta Neronis
Impia; nondùm animis odia exsaturata quierunt;
Sed ficto antiqui remanent sub corde furores,
Et tibi triste parant media inter pocula fatum.
  Jam non ille Nero est veræ pietatis amicus,
Ut quondam, quem vel piguit damnare nocentes.
At nunc... sed quid ego hæc demens verba irrita jacto?
Mens immota manet; nil deindè Britannicus audit.
Quin etiam sacrum properans componere fœdus,
Æternumque hosti jurare paratus amorem
Fatalem poscit cyathum, ignarusque pericli
Innocuæ memorem fidei testatur Olympum.
At pateram vix ille tenet, mors conscia prædæ
Terque quaterque caput fuscis circumvolat alis;
Indè subit calicem, fundoque immergitur imo.
Dùm subit illa, videt subitò ebullire falernum
Atque inter latices tetrum exspirare vaporem.
  Horruit aspectu vicinaque fata refugit.
Verùm eheu! quid non suadet fiducia! vano
Deceptum se errore putat, damnansque timorem
Infelix juvenis cupido pateram admovet ori,
Pestiferamque haurit media inter vina Mephytim.
Protinùs atra lues udo sublapsa veneno
Insinuat se se, atque atro vorat igne medullas.
Volvitur in thalamum præceps, mediâque natantes
Morte oculos nox atra et somnus ferreus urget.

NERO SUI IPSIUS ULTOR AC CARNIFEX.

Huc furiæ scelerum ultrices properate, domosque
Linquite Tartareas; non est mora longa, nocentum
Interea liceat paulùm requiescere manes.
Ecce nocens magis et vestrâ Nero dignior irâ
Objicitur: sævi pectus crudele Tyranni
Agminibus densis petite ocyùs. Ille recenti
Cæde madens, et adhuc materno sanguine tinctus,
Poscit inexpertas sceleris, nova victima, pœnas.
Audior: erumpunt ardentibus undique tædis
Armatæ Eumenides, stabulantque in corde Neronis.
Nec Princeps jam se capit impius, atque teneri
Impatiens, scelus omne movet; fera pectora pungit
Indefessa cohors, stimulisque sequacibus urget.
Jam Burrhus fato cccidit damnatus iniquo
Cum Senecâ, virtus quos fecerat una nocentes.
Nec tibi, crudeli conjux indignâ marito,
Parcitur, infelix Octavia! cara Neroni
Ante alias paribus cedes obnoxia pœnis.
Sed quid ego hæc? leviora sequor; majora parantur
Flagitia! en flammis data præda furentibus ardet,
Et veteris sibi Roma timet fata ultima Trojæ.
Ipse autem celsâ Princeps lymphatus ab arce
Despicit in mediâ flagrantes urbe favillas,
Et læto sequitur demens incendia cantu!
At neque vel proprio capiti, Nero barbare, parces.
Dùm loquor, ipse suos ensem convertit in artus
Fortiter, absolvitque Deos: calidumque cruorem
Eructans, luit inferias insontibus umbris.

PÆTUS ET ARIA.

Parcite vos jactare, Viri; ne tanta cupido
Laudis agat; sæpè ipsa colos contingere virtus,
Fœmineosque animos ad grandia fingere gaudet.
Floruerat bello Pætus, spoliisque superbus

Egerat insignes diverso ex hoste triumphos.
Quin et Dalmatiam civili accendere motu
Ausus, et in populos mala spargere semina belli,
Ipsum etiam in Dominum conciverat arma rebellis.
At fortuna ducem media inter cœpta reliquit:
Audaces patuere doli, vinctusque pudendis
Compedibus trahitur, vulgo plaudente, per urbem.
Nulla mora est; furit in Pætum implacabilis irâ
Claudius, et sonti lethum parat: horruit ille,
Venit ubi ad trepidas feralis nuncius aures.
Non tamen aut mortis facies, aut Principis ira
Impavidum movere virum; sed fida recursat
Una viro conjux, et amor movet unus amantem.
Quò propior Pæto mortis venit hora ferendæ,
Hoc magè crescit amor; nec vitæ imponere finem
Velle potest, finem quia ponere nescit amori.
Degeneres Pæti sensus, animumque labantem
Agnovit conjux, et se causam esse timoris
Erubuit; fatoque virum propiore trementem
Aspiciens; absiste queri; simul ibimus, inquit;
Nec mors atra duos unquam divellet amantes.
Ille graves oculos dilectâ in conjuge figens
Extulit, atque ægro ducit suspiria corde.
Ipsa autem injustas et jam prodire parantes
Absorbens lacrymas, reprimensque in corde dolorem
Extrahit implicitâ ferrum quod veste latebat.
Nequicquam exclamat Pætus, cohibetque furentem
In sua fata manum; gremio jam cuspis adacta
Altiùs, innocuum biberat tepefacta cruorem.
Nulla mora est: lato de vulnere fortiter ensem
. ria sanguineum retrahens, Pætoque ministrans
Hæc memorat. Non ista dolent, quæ vulnera feci,
Sed quæ tu facies tibi vulnera, Pæte, dolebunt.
Dùm loquitur cadit exanimis, tristesque sub umbras
Sternit iter fugiens timido generosa marito.
Hic luctuque amens et corda incensus amore
Pætus, idem condit tepido sub pectore ferrum:
Et teneræ exangues sponsæ collapsus in artus
Amplexuque premit moriens, moriturque premendo.

DOMITIANUS MUSCAS CAPIENS.

Plaudite Romani, et solennem ducite pompam;
Cras, ubi puniceos Aurora retexerit ortus,
Quadrijugis invectus equis, ostroque superbus
Cæsar aget currum Tarpei ad culmina montis.
Scilicet infestam non uno vulnere muscam
Stravit, et ingenti ditavit Tartara prædâ.
Infelix nimiùm, nimiùmque incauta volucris,
Intima magnanimi quæ Cæsaris ausa subire
Atria, regales potuisti abrumpere somnos;
Et frontem circum augustam, sacra tempora circum,
Terque quaterque volans vesanos edere bombos.
Non tulit, at tumidas subitò succensus in iras
Flavius, arma fremit, muscamque in prælia poscit.
Præcipiti frustrà illa leves tremefacta per auras
Tentat abire fugâ; vanos frustrà orbibus orbes
Implicat eludens; quâ se cumque improba pennis
Parte tulit, stricto usque sequens super advolat auro,
Et tandem miseram dexter capit, atque paventem
Orantemque levi nequicquam multa susurro,
Auratâ transfigit acu: cadit illa, cadendo
Dat gemitum, et stygias fugit indignata sub umbras.

INSIDIOSÆ HELIOGABALI DELICIÆ.

Non solis inimica nocet Rosa sentibus; ipsum,
Quis credat? quod purpureus flos mollius offert,
Pertentatque avidos blandâ dulcedine sensus,
Lethiferum inspirat secretâ fraude venenum.
Vos ego, vos lecti testor, pars magna Senatûs,
Quos olim Idaliis media inter gaudia cœnæ
Floribus oppressit vis insidiosa Tyranni.
Scilicet imprudens dapibus dùm turba paratis
Lætiùs indulget, dulcique undantia Baccho
Pocula certatim exhaurit; laquearibus aureis
Ecce tibi roseus paulatim depluit imber,
Convivasque hilares verno perfundit odore.
Hinc nova lætitiæ venit seges, hinc novus ardor

Festivum celebrare diem, cunctique vicissim
Insolitas mirati artes plausere Tyranno.
Intereà crescit nimbus, mensasque torosque
Complet odora lues, et iniquâ mole fatigat.
Tum patuit demùm vis exitiosa Tyranni;
Sed vitare dolos non jam datur; obruit omnes
Florea tempestas, tumuloque involvit eodem.

THEODORICUS MORIENS.

Expertus tristes furiosi Principis iras
Symmachus, innocuam sub iniquo vulnere vitam
Finierat. Miserum intereà, quem criminis urget
Conscia mens dudùm, furiis data præda vicissim,
Ipse parem in pœnam se Theodoricus agebat.
Scilicet occursat lacrymabilis usque perempti
Umbra viri, et mentem comes importuna fatigans
Crudeli nullam requiem dat habere Tyranno.
At dùm sollicitos animi lenire tumultus
Nititur, et lauto celebrat convivia luxu,
Porrectum in patinâ caput admirabile piscis
Sistitur: obstupuit visu perculsus acerbo
Infelix Princeps, namque à cervice revulsum
Symmacheum caput, et diris stillantia guttis
Ora videt, tristesque audit prodire querelas.
Hic verò luctuque amens victusque timore
Non pudet ah! vestro sic regi illuditis, inquit?
Ferales removete epulas: cessatis? Amici,
Ferte citi ferrum et flammas, date tela; rebelles
Ulciscar. . . . Tuque ante alios crudelior omnes,
Symmache, quid veteres producere longiùs iras,
Dure, placet? si nondùm odia exsatiata quierunt,
En tibi nuda patent; perrumpere pectora ferro
Ne dubita, nostroque sitim saturare cruore.
Sed quid ego' hæc, aut quæ versat sententia mentem?
Agnosco meritas violati numinis iras,
Ultoremque Deum experior, quem prospera fata
Dùm fluerent, toties sum dedignatus amicum.
Terrarum cœlique sator, Regum arbiter unus,

En devota cado tibi victima; plecte nocentem,
Ut merui; neque enim capiti quæ pœna nefando
Impendet, fugere est animus, nec deprecor; illam
Ante scelus venisse velim. Deus alme, precari
Si quid adhuc liceat, si quid sperare nocentem;
Ulteriùs ne tende odiis, neve ira superstes
Duret sollicitæ post tristia tempora vitæ.
Plura parat Theodoricus dùm dicere, nigris
Intereà mors semianimem circumvolat alis.
Torpent membra gelu, mediis vox faucibus hæret;
Ægraque in æternam clauduntur lumina noctem.

FINIS LIBRI SECUNDI.

CARMINUM
LIBER TERTIUS.
MISCELLANEA.

AUGUSTIS MAGNI CONDÆI MANIBUS SOCIETAS JESU PRO LEGATO SIBI CORDE GRATIAS AGIT.

CONDÆI cineres, tuque ô decus addita Divis
Inclyta mens, oro, cœli de parte supremâ
Aspice nos, et quas magno pro munere grates
Exiguas memori de pectore solvimus, audi.
  Hactenùs heu! nimio vox interclusa dolore
Arcanos animi nequicquam effundere sensus
Tentârat; sed gratus amor suspiria tandem
Impatiensque moræ lacrymas compescere jussit,
Et vel per medios gestit se prodere luctus.
  Undè tamen, CONDÆE, tui præconia cordis
Expediam, aut tanto quæ sit par gratia dono?
Fortunata nimis! non si quas Lydius amnis
Fundit opes, aut quas pretioso volvit in alveo
Gangis arena, dares, tantum, CONDÆE, dedisses.
Ecquid enim tali certet cum munere, vel qua
Regales pensare queant Cor nobile gazæ?
Tu testis, Germane, mihi, tu testis, Ibere:
Magnanimi sub corde viri quàm vivida virtus
Arderet: sensistis enim et meminisse potestis
Experti, vestras olìm cum verteret arces,
Aut fusas ageret trepidâ formidine turmas.

Vos etiam, Galli Proceres, fortissima testor,
Pectora : queis duros martis tolerare labores
Condæo duce contigerit; quos adderet ignes,
Dicite, quos stimulos ad grandia facta moveret
Condæi Cor impavidum, cùm fulminis instar,
Primus in hostiles rueret nudo ense catervas.
Sed quid ego hæc autem? Fas sit, quæ novimus ipsi,
Prodere, quandoquidem illius, dùm vita maneret
Arcanos penetrare sinus, atque intima cordis
Sæpè subire datum est, ita nos Condæus amabat!
Illic prisca Fides, Candorque, et conscia recti
Sancta Themis, verique tenax Constantia, sedem
Delegere; suos illìc habuere penates
Majestas et honos; rebus par usque secundis,
Et dubiis nusquàm virtus infracta periclis.
Cætera quid fando memorem, quàm sedulus ardor
Formandæ sobolis, quàm cura antiqua suorum,
Quantus Regis amor! Nec te, Lodoice, latebat,
Nec lacrymis caruere genæ, tibi Littera quandò
Ultima Condæi morientis verba referret.
Hoc munus, Condæe, tuum est, Cor pignus amoris
Dulce tui; quanquam nil pignoris hujus egebat
Jam teneris animus primùm spectatus ab annis.
Sat fuerat, nostros, Condæe, quod inter alumnos,
Ætas dùm sineret, non dedignatus haberi,
Cingere Phœbæâ voluisses tempora lauro:
Sat fuerat, nostris per te quòd credita musis
Progenies, spes una domûs, decorisque paterni
Æmula: et illa animo, redit æternùmque redibit
Lux olim meliore mihi signanda lapillo
Tu quandò tenerum Clarii in penetralia montis
Formandum adveheres studiis, Condæe, Nepotem.
Hæc mihi sufficiant: minùs at Condæus amasset,
Ni post fata suos etiam extendisset amores.
Ah! memini, quanquam refugit meminisse, timetque
Vix benè sopitos animus renovare dolores:
Ah! memini! extremus cùm vix super halitus ore,
Ingentemque efflare animam, Condæe, parares,
Cùm luctu penè exanimis, durasque precatus

Pro te quisque subire vices, vota, irrita vota
Funderet, alloquio sic nos solatus amico es.
Dilecti ante alios, extremum pignus amoris
Cor servate meum: qui vos, dùm vixit, amavit,
Et velit extinctus, si fas, CONDÆUS amare.

IN FOLLEM FABULA.

CUR tantos gemitus ventoso è pectore Follis
Ducat inexpletùm, et flammâ propiore querelas
Usque iteret, res est memorari carmine digna.
Idalios saltus Cyprique umbrosa vireta
Liquerat; et geminis per cœlum invecta columbis
Alma Venus, Lemnum, Vulcania tecta, petebat.
Intereà Brotheo, conjux quem Mulciber olli
Miserat, et florum curam commisit et horti.
Hortus erat passim areolis distinctus amœnis,
Hortus, amor divæ Veneris, cui myrtea sepes
Atque intertextæ dant propugnacula lauri
Intùs multiplici se se circum ordine florum
Fundit odora seges, variosque ostentat amictus.
Lilia mixta rosis, immortales amaranthi,
Narcissi, violæque, et pallentes anemonæ;
Et quos fecit amor flores; quibus usque remansit
Tempore ab hoc primum mutato in corpore nomen.
Huc aditus soli Zephyro fuit; horridus horto
Ejectus mœret Boreas; frustraque minaci
Circum claustra fremens, flatu perrumpere tentat.
Dudùm animos irasque graves præsentia Divæ
Vicerat, insanos contemnere sueta tumultus.
At postquam Cyprios Venerem liquisse Penates
Persensit Boreas; stridentibus advolat alis;
Custodemque horti Brotheum, mollissima nactus
Tempora, promissis et amico munere palpat.
Continuò patuere aditus, foribusque revulsis
Irruit insultans, hortoque potitus aperto,
Infandum exercet flatu populante furorem.
Jam molles periere rosæ, periere hyacinthi:
Sternuntur violæ; cedunt tremefacta procellis

Lilia, narcissique volant ludibria ventis.
Ut vidit, trepidâ Zephyrus formidine fugit
Ad Venerem, et tristi vix talia voce profatur.
Dùm licet, ah! propriis fer opem, mitissima, rebus.
Hortos victor habet Boreas, Brotheique nefandis
Artibus, immissi regnant per gramina Cauri.
Accelera, miseri pereunt, tua gaudia, flores.
Haud animo tantum potuit perferre dolorem
Victa Cypris, ceciditque super revoluta maritum.
Aptabat magnos opera ad fabrilia folles
Vulcanus, queis igni animos viresque ministret.
Excussi manibus folles; amor iraque mentem
Præcipitant; et torva tuens, sic credita servas,
Improbe, ait, sic prodis opes; nec plura locutus.
Horret ad aspectum Brotheus, oculosque minasque
Dùm vitare parat, follis se condit in alvo.
Nec latuere doli natum Jovis: Haud mihi vilis
Tanti sanguis, ait, sed in isto carcere solves,
Tartareos adjuro lacus, pro crimine pœnas.
Æstuat infelix spatio conclusus iniquo;
Rimatusque viam Brotheus, quâ ducat anhelis,
Inque vicem acceptas reddat pulmonibus auras;
Follis in extremâ, quod se offert parte foramen
Implevit pando, sociis nova fabula, naso.
Protinus Ignipotens arrepto tempore, Brothei
Nasum infelicem mordaci forcipe prensat,
Multa reluctanti, et, parvi de more canalis,
Circinat extendens, vincloque coërcet aheneo.
Nec satis est, Steropem nudisque Pyracmona membris
Imperat infestis nares immergere flammis.
Hîc sceleris memor, obscuro de carcere longos
Dat gemitus, imoque trahit suspiria corde:
Vulcanus gemitus Brothei et suspiria ridet.

AURUM LITTERARUM PERNICIES.

Tantane te nostrî ceperunt tædia? nam cur
E manibus toties fugitivum elaberis aurum,
More tuo, rapidisque volas velocius Euris?

Hæc nuper, steriles incusans sæpè camœnas,
Dicebam vates, loculis dùm nullus in imis
Nummus erat, cunctosque sinus scrutatus inanes,
Nil video, præter quas nevit aranea telas.
Quid facerem? cytharam arripui, si fortè canoris
Ingratum liceat fidibus lenire dolorem.
Intereà captæ volucres dulcedine cantûs,
Certatim se se agglomerant, sylvisque relictis
Arrectâ melos aure bibunt, plauduntque canenti.
Ipsæ etiam fagi, ipsæ etiam sentire videntur
Auritæ modulos duro sub cortice pinus;
Ad numerosque movent frondes. Quin flumina cursus
Continuere suos, et molli visa susurro,
Nunc rauco varios imitari murmure cantus.
Hîc ego dùm blandis amo fallere tempora nugis;
Aureus en incude recens mihi nummus ab alto
Devolat. Invisi sed quis Deus exstitit auctor
Muneris, incertum est: tenues nisi fortè per auras
Disjecit lætæ impatiens Discordia sortis.
Proh! fulgor, proh quantus erat! non pulcrior unquam
Luna micat, plenis cùm junxit cornibus orbem.
Non lucis pater ipse, diem mortalibus ægris
Cùm revehit, thalamisque recèns emersus eois
Optato recreat languentes lumine terras.
Tunc quoque me, ut reliquos, auri delusit inanis
Fulgor; et exclamans, adsunt bona Numina, dixi,
Vatibus, et superis sunt dulcia carmina curæ.
Nulla mora est; donum accipio venerabile lætus;
Nec vidisse semel satìs est, juvat usque tueri,
Nec corda expleri possunt, oculive tuendo.
Nummi tantus honos et gratia tanta metalli!
Materiam vincebat opus; nam dextra periti
Artificis vivo vultus cælarat in auro,
Augustos vultus; qualis Mavortis imago est;
Cûm trepidas funesta movens it bella per urbes:
Impellitque acres, populorum in funera, currus.
Aut qualis divûm ipse pater, cum bella perosus
Arrisit, cunctisque facit bonus otia terris.
At, dùm tracto manu funestum munus avarâ;

Inque sinu refovens, olli figo oscula mille,
Omnis ripa silet, nemorum siluere recessus;
Et nostris volucres, quæ respondere solebant,
Cantibus, in sylvas se se intra tecta recondunt.
Namque mihi jam nullus amor cantare sub umbrâ,
Aut doctas pulsare fides: despecta jacebat
Barbitos, et celsâ pendebat inutilis ulmo.
Mordaces etiam circum præcordia curæ
Accelerant, vigilesque metus; pax blanda recedit,
Et fugêre procul placidæ bona gaudia mentis.
Obstupui, et tacitus causas dùm quæro latentes,
Haud longùm latuere doli, dulcesque metalli
Insidiæ. Tunc plectra manu cytharamque resumens,
I procul, i, dixi, donum exitiale camœnis.
Pars tecum mihi nulla super: non sunt mihi tanti
Divitiæ: nostros solabitur una dolores
Barbitos, et gazis me Regum æquabit opimis.
Continuò revolant hilares læto agmine Risus,
Et solitâ recreant ægram dulcedine mentem.

IN HYEMEM

QUÆ GALLIA TOTA SÆVIIT ANNO 1709.

Jam dudùm Francis Zephyrus regnabat in oris;
Vesanosque hyemis clementior aura furores
Mulcebat, cunctos, Boreâ indignante, per annos.
Intereà Nymphæque hilares, Dryadesque puellæ,
Naïadumque cohors fluviis volitare relictis
Rura per, inque vicem manibus per mutua nexæ
Exercere leves, cytharâ modulante, choreas.
Ecce autem Hesperidum dùm longiùs errat in hortis
Impudens Zephyrus; dùm nunc per amœna vireta,
Nunc super areolas volitat, mollique susurro
Obstrepit, et flores inter nugatur amicos,
Nacti aditum facilem madidis Notus horridus alis,
Et Boreas immanè furens, creberque procellis
Africus, in latos se se facto impete campos
Præcipitant, tristesque cient per inane tumultus.

Continuò ruptis nix depluit undique nimbis;
Terra riget, cursus glacie frenantur aquarum.
Tum verò insanas dùm vis inimica procellas,
Excitat, ad proprios recipit se turba penates
Naïadum, fluvioque procul se condit in alto.
Nec minùs hinc Dryades, Nymphæque et cætera ruris
Numina secretas quærunt fugitiva latebras.

Quin et Apollineum frigus penetrabile montem
Occupat, et solitos audet turbare labores.
Aonidum concreta gelu nam Pegasis unda
Duruit, et prohibet sacros haurire liquores,
Carminibus suus undè lepos et gratia crescit.
Ipse etiam in stabulo conclusus Pegasus alto
Excipere Aonios dorso negat alite vates.

Intereà Francas Zephyrus remeabat in oras,
Jamque propinquabat, cùm tristes eminùs agros
Aspiciens, blandâ quos dudùm afflaverat aurâ;
Ergò mihi Boreas concessos, inquit, honores
Invidet, et nostro regnat dominator in orbe?
Tuque adeò hæc pateris, Divûm pater? at tibi sacram
Quis celebret lucem, gelidi dùm turbine venti
Terram agitant, dirosque movent impunè tumultus?
Jam ter quinque dies latebris damnata juventus
Ire videt, meritumque tibi non reddit honorem.
Da, precor, invisos hostes, si cura tuorum
Ulla super, procul in Scythicos depellere fines.

Audiit orantem Omnipotens, Boreamque Notumque
Cæteraque in nostris incommoda flamina terris
Trans pontum jubet in patrios migrare penates.

Continuò gelidus canis de montibus humor
Liquitur, et solito decurrunt flumina cursu.
Mox desolatos Zephyri levis aura per agros
Ereptos risus, ereptaque gaudia reddit.

HOSTES AMICI.

Sævus Amor, spoliis hominum Divûmque superbus,
Et pharetram certumque rotans pueriliter arcum,
Jactabat Cypriis nil non superabile telis.

Cùm subitò immiti Mors se tulit obvia falce,
Victrix ipsa etiam et multis ornata trophæis.
Continuò, ceu jam victoria certa maneret,
Mortem ridet Amor, pariter Mors ridet Amorem,
Ceu jam lethiferis moriturum crederet armis.
Tum puer; ergo meos sistat Mors una triumphos,
Nec, cui Cœlicolæ cedunt, anus improba cedat?
Sic fatus. Tumido contra Mors intonat ore:
Quò ruis imprudens? quæ tanta insania menti?
Quidve paras? cur fata ferox prævertere gestis?
Talia fundebant diris convicia linguis.
Sed piguit certare minis: jamque arma furentes
Corripiunt, missisque ineunt nova prælia telis.
Sed frustrà: Mors Idalio non vincitur arcu;
Instantis neque Mortis Amor fera spicula sentit.
Ergo post cassos ictus vanosque labores;
Cùm neuter posset contundere viribus hostem;
Unanimes ambo junxerunt fœdere dextras.
Nec satis est: pignus nunquàm violabile pacis,
Mors et Amor dant tela sibi. Dein vulnus Amoris
Sæpè fuit lethale, et Mortis amabile vulnus.

DIRÆ IN VULCANUM;

Quòd optimi Poëtæ Carmina igne periissent.

Vah! cœli Vulcane pudor! vah! dedecus ingens
Cœlicolum, et summo proles indigna Tonante!
Ergo-ne sacrilegis potuisti absumere flammis
Carmina, quæ doctus sua dicere possit Apollo;
Carmina dulciloquis non inficianda Camœnis?
Non argumento reverentia debita sacro;
Eloquii nec mitis amor tenuêre furentem?
Si tibi, si justas conversus lector in iras,
Averso scriptos permittat Apolline versus;
Attamen hos decuit trepidis allambere flammis
Inscriptumque Dei nomen servare verendum.
Sed quis præcipitem furor inconsultus adegit
Divinum infidis carmen violare favillis?

Scilicet Aonides, præsentia Numina Vatum,
Despectæ tibi sunt, nec dulcia carmina curas ?
At tibi pro scelere immani, pro tristibus ausis,
Hoc vates, Superis gens exaudita, precamur.
Te quandò æthereis expulsum sedibus olim,
Deformem indignans divo de sanguine prolem,
Jupiter in terras cœlo dejecit ab alto;
Tunc luxata tibi est graviori tibia lapsu :
Jam brevior pes dexter eat, fiatque sinister
Longior, et dubio titubans ad singula gressu
Duriùs offendas : saxo dùm fractus acuto
Turpe caput, justas dederis pro crimine pœnas.
Sed quid ego hæc autem? Meritis leviora precamur.
Te potiùs raptum accensâ fornace recondant
Frustrà obluctantem Brontes Steropesque procaci
Cum risu : positumque altis incudibus ambo
Æterno tundant luxatum verbere corpus.

METAMORPHOSIS PUERI

IN EBUR VOLATILE.

Exuerat pharetram ex humeris arcumque sonantem
Idalius puer, et spoliis indutus opimis
Ibat materni spatiosa per atria tecti.
Circum mille joci, circum chorus omnis amorum
Fallebant variis felicia tempora ludis.
Hos inter puer ignotus subrepsit, amori
Omnia pennigero similis; nam plurima labris
Gratia, multus honos tenero fulgebat in ore.
His super Idaliæ raptas sine more columbæ
Aptârat molles humeris implumibus alas.
At dùm turba levis medias impunè per auras
Hinc atque hinc volitat certatìm : Hic ventris obesi
Mole gravis, tardamque trahens inglorius alvum,
Proditur, et fraudem puerûm gens prava retexit.
Dissimulat tamen, et raptum per inane puellum
Projicit ad metam alternans, manibusque vicissim
Accipit et reddit, risuque illudit amaro.

At dùm per medios nunc hùc, nunc missilis illùc
It puer, et lætæ præbet ludibria turbæ,
Fraude malâ implumem lugens Cytheræa Columbam
Agnovit pennas humeris puerilibus aptas,
Et procùl indignans, pueros juvat inter amores
Ludere, ait? tibi mox dabitur, malesane, quod optas;
Hinc adeò pila tu fies et ludus Amorum.
Dixit et in ventrem subitò concrevit eburneum
Infelix pueri moles: tum flexile collum
Desuper obriguit. Lamentis ora patebant;
Ora sed Idaliæ plumis impleta columbæ.
Crudeles placuere joci, matrique Cupido
Annuit, et ludis risit gens prava repertis.
Dein habilem, quò se puer ambitibus agebat,
Certatìm incurvant dextris solertibus arcum,
Committunt extrema duo vinclisque coërcent.
Nec satis est; pulchro juvat insudare labori;
Ingenium labor ipse facit; nam flexilis arcûs
Qui restabat adhuc nervus super, haud mora ductum
In varias longo hinc atque hinc molimine partes
Intexunt, habilique manu per quadra figurant.
Jamque adeo dextram instructi puerilibus armis
Pennatum pars mittit ebur, pars altera missum
Excipit, et varios pulsando reciprocat ictus.
Ex illo Divos pueros imitata juventus
Pennatos gaudet globulos versare per auras.

METAMORPHOSIS EBRIORUM JUVENUM

IN LAGENAS.

Tempus erat, quo plebs medias larvata per urbes
Insani celebrare solet Trieterica Bacchi,
Et priscos revocat tanto post tempore mores.
Tum verò Juvenum virides effusa per hortos
Læta cohors, epulas inter, lususque, jocosque,
Et choreas hilares, multo se impleverat Iaccho;
Ambrosios repetens iterumque iterumque liquores.
At postquam agnovit nil jam superesse falerni;

Tum vacuos calices exhaustaque pocula mœret,
Et sortem indignans, confuso murmure Bacchum
Increpitat, longisque ciet clamoribus auras.
Hùc ades, ô Lænæe pater; lepidissime Divûm
Hùc ades! exhaustis, viden' ut jam mitia desunt
Dona cadis? rursùm madeant siccata Lyæo
Pocula, et in vacuis renoventur vina lagenis.
  Audiit, et turbæ risit vesana procacis
Vota Deus: Quæ vos, inquit, quæ tam aspera fauces
Incessit rabies, quæ nullo extinguitur haustu?
Hæc vobis explenda sitis: neque munera nostra
Deficient, fors et vinum petiisse pigebit.
Dixit; et in totidem Juvenes jubet ire lagenas.
  Nulla mora est; lento circum undique et undique corpus
Vimine contegitur, mox altiùs ardua colla
Exsurgunt, teretesque ferunt mutata figuras.
Ex illo, proprius alio sub corpore mores
Servat adhuc malesana cohors, titubansque lagena
Stare loco nescit, nisi multo impletur Iaccho.
Cùmque exhausta jacet, credas et plangere sortem.

MORTIS

DE PRINCIPIBUS VIRIS TRIUMPHUS.

JAM totum imperio et duris sub legibus orbem
Subdiderat, partoque ibat Mors læta triumpho.
Ecce autem excelsas, Regum palatia, sedes
Rimanti, densus dextrâ lævâque satelles
Occurrit, strictisque aditus mucronibus horrent?
Quid faciat? quâ vi, quibus artibus invia tentet
Limina, et occlusam victrix irrumpat in aulam?
Morborum indignans turbam vocat: ocyùs omnes
Erumpunt Stygiis, ruptâ tellure, cavernis,
Et Mortem circumveniunt. Stetit arida Febris
Occultas afflans accenso pectore flammas.
Dein longo veniunt examine, Tussis anhelans,
Et laterum dolor, et præpingui mole Podagra,
Fumosique ignes cerebri; perque intima serpens

Viscera, Lethalique agitans dolor ilia motu.
Mors stetit in mediis, tumidoque hæc pectore fatur.
Tandem fausta dies et ineluctabile tempus
Illuxit, fidi comites, quo nemo resistat
Deinde mihi : certum est aulam penetrare potentûm,
Et malè securos communi involvere fato.
Quod vis fortè neget, dabit ars nova. Lauta parantur
Principibus cras insolito convivia luxu.
Jamque adeò totâ urbe dapes, et Massica primæ
Vina notæ studio famuli certante requirunt.
Ocyùs his taciti succedite : mox ubi mensas
Furtìm instillato vitiârit quisque veneno,
Intima commixtus Procerum per viscera gliscat.
Protinùs ingenti miscebitur aula tumultu.
Intereà telis dextram succincta cruentis
Ipsa adero : trepidas me me insinuabo per ædes,
Atque improvisâ victrix dominabor in aulâ.
Assensere omnes, et læti jussa facessunt.
Febris atrox petit ima cadi, pariterque Podagra
Ægrè spumanti patulum caput abdit Iaccho.
Namque ut pinguis, iners, crassâ se mole ferebat,
Parvum eluctanti luxaverat ossa foramen.
Hinc adeò Procerum spatiosa per atria gressu
Difficili, aut geminis it sustentata bacillis.
At Pepone humores crudi latuere sub imo,
Pigra cohors : ruit in leporem, lumbosque caputque
Inficiens, auris mœror torpentibus afflat.
Involat in glaciem, gelidoque in corpore Tussis
Ultrò habitat, stomachique dolor petit intima Fungi.
Ecce autem mensis dùm regia turba remotis
Exsurgit, ludosque parat, grassatur in omnes
Morborum furiata cohors : olli horrida Febris
Torrentes artus depascitur : ægra Podagra
Huic ligat articulos : illum indigesta ferinæ
Frusta premunt, pectusque acidis humoribus implent.
Intereà Mors ipsa venit : tum, falce reductâ,
Adversos irata petit, mactatque ruitque,
Atque repentino turbat nova gaudia luctu.

UNDE MEDICORUM

IN ORBEM PROLUVIES.

Dejectus cœlo quondam Vulcanus ab alto
Dùm cadit in præceps, rapido per inania lapsu
Luxatusque artus, nec non pede debilis uno
Figebat dubio vestigia lubrica gressu.
Protinùs insigni Medicorum ex ordine turba
Convenere : aderat pullatâ in veste Melampus,
Phylliridesque sagax, et cum Chiròne Machaon,
Nec non Phœbeâ celebris Podalirius arte
Auxilio subeunt. Hic odoriferam Panacæam,
Ille salutiferam redolenti è pyxide Nardum
Depromit, mites alter jactantior herbas.
Pars altum obducit vulnus; pars multa salubres
Diffundit phialis succos, pars dulcia miscet
Fomenta, ingratum si fors mulcere dolorem,
Ossaque nativæ si possint reddere sedi.
Sed frustrà : exuperat dolor, ægrescitque medendo.
Ergò moræ impatiens phialas et pharmaca longè
Projicit, iratoque Deus sic intonat ore.
Ite procul resides animæ; satìs usque Tonantem
Et Superos lusistis, ait; fraus nota, dolique,
Vestraque deluso manifesta inscitia cœlo.
Nam cur ambrosio jamdudùm Jupiter haustu
Perfunditque avidas repetito nectare fauces,
Sanandis si nulla super medicamina morbis?
Quin agite; et si cui presens in pectore virtus,
Hîc, artis medicæ specimen, luxata reponat
Sedibus ossa suis. Nec plura effatus; et iræ
Impatiens rapit arma manu, stolidamque cohòrtem
Insequitur, properatque suo mactare dolori.
Tunc illi celerare fugam, totumque per orbem
Effusi procùl, in terras subiere nocentes.
O utinam, Vulcane, tuo data præda furori,
Gens inimica gravi periisset tota sub ictu,
Nec peteret tristes populorum in funera terras!

IN PERVERSUM PARENTUM

LIBEROS AMOREM ERGA.

O veterum mores! ô sancta exempla Parentum!
Sæcula quàm distant seclis austera solutis!
Namquid ego hîc patriâ indignos virtute nepotes
Degenerasse querar? Nunquam heu! tam læta redibunt
Tempora; cùm prudens genitor, cùm sedula mater
Vix benè depulsos nutricis ab ubere natos,
Nutrices colere Aonidas, curasque juberent
Ferre graves studiorum, animumque appellere chartis.
Nunc perdit pueros nimia indulgentia patrum!
Ac veluti teneros, dùm stringit Simia fœtus,
Enecat imprudens, et prolem perdit amando.
Haud aliter stulti præfocant blanda parentes
Pignora! Namque puer dùm vitæ assuescit inerti,
Delicias inter molles, mala semina sensim
Alto corde bibit, vitiis alimenta futuris.
  Ast ubi triste venit nimiumque inamabile tempus,
Ædibus è patriis doctas formandus ad artes
Cùm rapitur, Musisque puer mandatur Alumnus;
Quis tristes memoret gemitus, longosque dolores!
Suspirat genitor, mater ciet æmula fletus;
Luctisonis totas nutrix ululatibus ædes
Accendit. Puero credas extrema parari
Funera. Luminibus siccis comitatur euntem
Sola cohors famulantûm, et pondus inutile gaudet
Longiùs esse domo, seque ægrâ mole levari.
  At non, care puer, non commendatus abibis.
En adsunt vecti bigis materque paterque
Palladis ante fores. Jam stridet limen ahenum,
Et rapidi cunctis de partibus orbita currûs
Personat emotas, fremitu stridente, fenestras.
Nulla mora est; adsunt, studiis qui ritè regendis
Præficitur, justo qui temperat ordine mores,
Et cui cura domûs cecidit: quos alma salutat
Cum puero mater, verbisque ita fatur amicis.
Ecce puer, puer ecce meus, spes unica magnæ

Solamenque domûs (nato simul oscula libat)
Si quis amor, laxis, oro, spatietur habenis.
Ne mihi dilectum verbo nec verbere natum
Tundite, nam tener est; vox durior asperet aurem,
Frigidus ante pedes vestros ruat. Haud mihi tanti
Parnassi fuerint latices, Phœbeaque laurus.
Hoc unum satis est, vestro si munere possit
Vivere, et incolumis studiorum absolvere cursus.
Quod si fortè, precor, Dii, talem advertite casum,
Peccantem meritas par est expendere pœnas,
Vos pueri, vos et matris miseratio tangat.
Non erimus facti immemores; matrique patrique
Certare officiis, dignasque rependere grates
Si liceat, vos et curam impendisse juvabit.
Quod superest, ne pensa rudem graviora fatigent.
Hæc mater; pater hæc audis uxorius? ambo
Sic teneros vitiant studiis communibus annos.
Quid mirum, si bina puer post lustra revisat
Segnis ut ante lares; Phœbusque remittat alumnum,
Depastum veluti pinguissima gramina ruris,
Pan Deus Arcadiæ caulis emittet Asellum.

LABORIS NECESSITAS.

Olim, dùm primâ nascentis origine mundi
Aurea florerent Saturno secula Rege,
Cunctaque fœcundo per se daret ubere tellus.
Dulcia tunc placidæ peragebant otia gentes,
Nec labor ullus erat; liquidi sed fontis ad undam,
Lenis ubi spirat clementior aura Favonî,
Aëra mulcebant teneri modulamine cantûs,
Longaque festivis fallebant tempora ludis.
At mox ipsi etiam moverunt tædia cantus,
Nec ludi placuere satis; quin otia mollem
Desidiam, et multæ lethalia semina culpæ
Partu infelici totum fudere per orbem.
Tùm Pater omnipotens cœlo miseratus ab alto
Ingemuit, certamque novâ parat arte salutem.
Ergò juvat variis abrumpere languida curis

Otia, et ingratum ludo miscere laborem.
Continuò mortale genus telluris avaræ
Sensit opes, intraque sinus ac viscera condi,
Quas nisi depresso nequeat recludere aratro.
Mox alii densas cingunt indagine sylvas,
Vel cursu sectantur aprum, vel flumina lembo
Nota petunt, hamisque trahunt in retia pisces.
At quibus ingenii ditissima vena benigni,
Aut meliore luto finxit præcordia Titan;
His amat ingenuas animum exercere per artes,
Et teneram studiis formare ad grandia mentem.
Protinùs Aonii panduntur limina montis;
Hîc ubi, Castalidum doctâ stipante catervâ,
Jura dat, et summo residens in vertice Phœbus
Accenditque animos cœptisque audacibus implet.
Hùc adeò se se juvenum lætistima turba
Insinuant, operisque novâ dulcedine capti,
Pars canere Heroas, pars Regum ingentia facta
Dicere amat, victasque acies, pugnataque bella
Fortiter, et partos non uno ex hoste triumphos.
Pars aptare modos fidibus; cœlique marisque
Terrarumque Deos, et amœni Numina ruris
Arte novâ resonare docet; nec te, optime Bacche,
Lætitiæ dator, aut calices siluere disertos.
Dulcia si Pindo bonus annuit otia Phœbus;
Acriùs ad solitos studio certante labores
Se referunt, rediere animi, rursumque recepto
Robore, concurrunt, majoraque viribus audent.
Otia sic placuere magis distincta labore.

FOLIORUM LUSORIORUM ORIGO.

Cum novus exactos se redderet annus in orbes,
Ab Jove fata hominum breviori impressa papyro,
Inque quadrum certo partitis ordine chartis
Regia Mercurius Junoni dona ferebat.
Forma licet cunctis eadem, tamen haud color unus
Est foliis, paribusve notis descripta renident.
Ast alius Vulgo docet eventura character;

Reginas alius Reginarumque maritos,
Et Proceres, quotquot palatia celsa frequentant,
Quæ speranda manent, aut quæ metuenda per annum.
 Ecce autem, dùm jussa Jovis Cyllenia proles
Exsequitur, crebrosque movet per inane lacertos,
Labitur axillâ fascis quem fortè premebat.
Illum continuò fatorum inimica cadentem
Excepit Fortuna, imis quæ vertere summa
Gaudet, et adversos casus miscere secundis.
Tùm Dea cum Momo et turbâ leviore Deorum,
Fallebat variis labentia tempora ludis.
 Ut primùm advertit fascem inclusasque tabellas,
Miscet agens, comitesque inter discrimine certo
Partitur; verso mox ordine, tradit easdem,
Inque vices toti pariter confundere turbæ.
 Mercurius redit intereà, quem rector Olympi
Increpitans graviter, probris onerârat amaris.
Nam quæ tanta animis, dixit, fiducia, Divûm
O joculare genus, summum sprevisse Tonantem,
Et terere indigno sacrata volumina ludo?
Nec plura: indignans tenues, facto impete, chartas
Tractantum rapit è manibus, gaudensque receptis,
Præpetibus sese super æthera proripit alis.
Sed frustrà, nam capta novi dulcedine ludi
Turba Deûm brevibus foliis amat addere formas,
Quæ placuere priùs, varioque ornare colore.
 Hinc, si vera fides, vetiti primordia ludi.

POTIO COCHOLATI

LITTERARUM STUDIOSIS SALUBERRIMA.

Nam quis ab extremis jucundum munus Ibe[illegible]
Mittat liba mihi, læto quæ Mexica partu
Progenuit tellus, et odoro condit amomo.
Scilicet ille novos potus dat vatibus ignes;
Inspirat dignos ipso vel Apolline versus.
 Ah! memini, ambrosium si quandò haurire liquorem
Contigerit, sensi sub pectore crescere vires

Insolitas, æstuque calescere corda benigno.
Hæc me liba juvant: tam dulci nectare dives,
Bacche, tuos latices, tua jam tibi, Bacche, relinquo
Pocula, seu calido quæ fert Burgundia tractu,
Seu quæ læta magis gremio Campania fundit.
Non capiti nocet ille liquor, numerumve lucernis
Ingeminat, crudosve ciet sub corde tumultus.
O Grajorum utinam vitalis succus in oris
Crevisset quondam! Tu qui vinosus, Homere,
Laudibus argueris vini; meliore tulisses,
Desertor Bacchi, Cocholatum ad sydera versu.

SOMNIUM.

Contentus parcis dapibus, jejunia quales
Ritè quaterdenis præbent indicta diebus,
Carpebam nocturna leves per tempora somnos.
Non molli in plumâ, Tyrioque volutus in ostro,
Fessa sed angusto compostus membra cubili,
In tumuli morem, paleâ quod saccus agresti
Plenus ad os, rigidoque insternit culcitra panno.
Continuò Gallorum inter victricia raptus
Agmina, et hostiles videor mihi cingere muros
Bellator, tristes ubi latè impulsa minantur
Mœnia Verrucæ (1) jam jam factura ruinas.
At neque terrificum tormenta imitantia fulmen,
Nec præsens animum mortis terrebat imago.
Quò me laudis amor, quò dulcis præmia palmæ
Cùmque vocant, rapior, fati securus, in hostes.
At dùm blanda tenent sopitos somnia sensus,
Ecce mihi ante diem summo de vertice turris
Signum invisa dedit nimiùm campana juventæ,
Et faciles pepulit toto de pectore somnos.
Excutior subitò, et factus de milite ductor
Myrmidonum, sortem dolui aversatus iniquam.

(1) Verruca in Italia tunc obsidebatur à Gallis.

LUSUS IN HIRUNDINEM.

FRONDE super viridi, placido dùm languida lapsu
Insinuat per membra quies, altisque recepta
Luminibus, vigiles abigit de pectore curas,
Ecce super medio videor mihi sidere Pindo.
Hîc ubi Castalidum, doctâ plaudente catervâ,
Solerti Cytharam ipse manu pulsàbat Apollo.
  Mirabar, cupidâque inhians cœleste bibebam
Aure melos; dulces quandò nil tale timenti
Importuna nimis somnos abrumpit Hirundo.
Namque caput circumvolitans bis terque jacentem
Excitat, et miserum Pindo deturbat ab alto.
  Exarsêre ignes animis, subit ira nefandum
Ulcisci scelus, et dextrâ fugitare parantem,
Arripio. Nam quod, dixi, pro talibus ausis,
Supplicium malesana feres, quæ tam bona turbas
Gaudia? Num geminas rescindam corpore pennas?
An meritam graviora, ferus quas Tereus olim
Exegit pœnas, linguâ mulctabo loquaci?
Ingemuit volucris, neque adhuc oblita priores,
Flebilibus mihi visa modis iterare querelas.
Ipse etiam ingemui, et sortem miseratus iniquam,
Incolumem liquidas patior volitare per auras.

HISPANUS VERSALIAM

IN REGIAM ADMISSUS.

EXTREMIS nuper de finibus orbis Iberi
Venerat Hispanus, Francis visurus in oris
Versalias arces, Regisque palatia Magni.
Scilicet audierat rerum hîc miracula pandi;
Queis neque Pyramidum regales Memphis honores
Æquiparet, Solisve Rhodus miranda Colossum,
Aut conferre velit tellus Babylonica muros.
  Ergò avidis dùm cuncta oculis circumspicit, et se
In partes quascumque ferat, longa atria luxu
Miratur fulgere novo; dùm suspicit hortos,

Fluminaque in varias passim venientia formas;
Ecce improvisus, magnâ stipante coronâ,
Objicitur Lodoix ultrò spectandus eunti.
Non illum croceis illusum vestibus aurum,
Non lucens adamas, et Eoi munera ponti
Ornabant, sed frontis honos, venerandaque vultûs
Gratia, et augustos Majestas fusa per artus.
Hîc verò exclamans voces novus hospes in istas,
Hunc vidisse mihi satis est; jam cætera sordent.

JUVENIS EBRIOSI

IN CADUM METAMORPHOSIS.

Stertebat patulam resupinus vitis ad umbram
Castalius juvenis, multoque inflatus Iaccho
Proflabat resonante graves de pectore rhonchos.
Non tulit hæc Phœbus; sortem miseratus Alumni,
Fit propior, prensatque manus et vellicat aurem;
Atque hæc irato similis super adjicit ore.
Stertis, iners? neque te Bacchi malesana sequentem
Castra pudet? toto intereà gens æmula Pindo
Congreditur, palmæque ambit victricis honorem.
Ille sub hæc oculos somno vinoque gravatos
Diducens utrâque manu vix talia reddit.
Nam quid ais? vel quid faciam, Pater optime vatum?
Terra imbres, imbrem segetes, bibit æthera pontus,
Sol pontum, solemque soror bibit æmula Phœbe.
Cur mihi non liceat liquidum potare falernum?
Hîc Deus indignans justasque accensus in iras,
Vite ferit Juvenem, quo verbere protinùs ingens
Fit cadus, et primæ vestigia nulla figuræ,
Nulla super remanet species, os præter apertum,
Dulcia quo læti fundantur munera Bacchi.

LEPIDA PICTORIS FESTIVITAS.

Parrhasii soboles, par magno Pictor Apelli,
Diversos unâ populos simulare tabellâ,

Dignum opus Artificis, calamo leviore, parabat.
Ille ubi rescivit variis de partibus orbis,
Qui populis mores, quo quisque indutus amictu,
Quos coleret ritus, opus inchoat, et sua cunctis
Sedulus affingit patrio velamina cultu.
Contracta in rugas collo dat lintea circum
Hispano, et pressis stringit femora utraque Brachis.
Hunc juxtà oblongo spectandus Belga galero,
Lævâ hastam, dextrâ gestat spumantia vino
Pocula, et irriguo se proluit impiger haustu.
In mediis aliâ Gallus se parte ferebat,
Quem vastos distincta sinus variisque decora
Tæniolis, longo femoralia texta labore
Circumdant, grandesque premunt in cruribus alæ.
Nec suus hic Daco deerat locus; ille bipennem
Molitur dextrâ, latoque accingitur ense.
Hunc propè lanigero succinctus acinace Turca;
Cui Spartana chlamys talos descendit ad imos,
Carbaseique tori cingunt caput; haud procùl adstat
Sarmata, molliculis præcinctus corpora villis.
Mille pharetrati, quos ultimus educat orbis,
Quique sagittiferos habitant Garamantas et Indos,
Hîc aderant populi, nigro pars fusca colore,
Pars simul intextis corpusque et tempora plumis.
Multos prætereà, tenui quos dicere versu
Non licet, in tabulâ depinxerat. Ast ubi longo
Artificis tandem manus est defuncta labore;
En veteres habitus Gallum mutasse, novumque
Induxisse ferunt vestis genus. Ille resumit
Arma manu, moremque novum ritusque recentes
Exprimit, atque alio dat Gallum incedere cultu.
Nec longum in medio tempus; cùm fama reportat
Mutatos rursùm studia in contraria Gallos
In cultus ivisse novos, quodque ante placebat,
Displicuisse brevi. Tùm pictor concitus irâ,
Siccine Gallus, ait, volucri inconstantior Euro,
Usque suâ nostrum levitate illuserit artem?
Nulla mora est: nudum effingit, sed forfice dextram
Armat, et ante pedes pannos hinc pingit et indè.

Tùm super hæc, Tabulam joculari hoc carmine signat.
Galle, tibi vestes, quas lubet, ipse para.

IN PSITTACUM.

Venit dulce mihi peregrinis munus ab oris,
Angustosque habitat Volucris, mea cura, penates.
Illius in toto virides mirabere plumas
Corpore, ni variis distincta coloribus Iris
Cingat, et aërio collum discriminet arcu.
Sunt Volucri placidi mores, patiensque magistri
Ingenium, quamcumque voles formabis ad artem.
Adde quòd humanos imitando effingere solers
Lingua sonos, paribus tecum colludere verbis
Gestiat, et notas alternis reddere voces.
Hæc mihi dùm nuper solito festivior ultrò
Garrit, et insuetum depromit gutture carmen;
Dùm rauco sonat ore tubam, dùm tympana pulsat;
Blanditiis et mille meos sibi captat amores;
Tunc ego, ne dubita, Volucris dulcissima, dixi:
Vere novo, primùm cùm læta virescere tellus
Cœperit, et mollis spiraverit aura Favonî;
Servitium eripiam longum, tibi vincula solvam:
Perque altos nemorum saltus et læta per arva
Aëriasque impunè plagas volitare licebit.
Pauca mihi contrà trepido dedit ore Volucris.
Nam quid ais? quæ te nostrî fastidia tanta
Ceperunt? hospesne forem importuna? vel in te
Peccavi quidquam imprudens, quod plectere certes?
Ecquid enim per aperta jubes impunè vagari
Camporum, nemorumque altos lustrare recessus?
Quid juvet exiles agitare per aëra muscas,
Repentes et humi duro configere rostro
Vermiculos, siccisve famem depellere granis?
Tu mihi tu niveum mollique siligine panem,
Conditasque nuces, aut, si quid dulcius istis,
Porrigis ipse manu; tu munera blanda Lyæi
Das bibere, et tecum lautis accumbere mensis.
Cætera quid memorem? Potui formosa videri

Hospitibus, numero veniunt quicumque frequenti
Manè salutantes, et te gratantur amicum.
Quin etiam tremulis hinc indè assurgere pennis
In caput atque humeros fas est mihi : pectus in ipsum
Involo, cùm placuit : quæ figimus oscula, blandus
Excipis, et studiis paribus persolvis amorem.
Dic ubi libertas potior? quibus ipsa beatam
Sortem æquare queant præsentia Numina donis?

PRINCIPIIS OBSTA.

Cupido ab imbre madidus.

Dum nuper sæviret hyems, gravibusque pruinis
Horreret cœlum, et tellus ingrata rigeret;
Tendebam ad parvos serâ sub nocte penates.
Ecce autem Veneris, nemorum per devia proles
Adstitit, et falsâ decepit imagine mentem.
Nam puero geminas imber madefecerat alas,
Incomptis nix fusa comis, torpentia duro
Membra gelu, et largis manabant lumina guttis.
Hîc mihi sollicitam flexit miseratio mentem;
Quique nitebat honos oculis et gratia vultu,
Inspirant teneros tacito sub pectore sensus.
Care puer, dixi, nostris succedere tectis
Ne pigeat, rigidumque foco dissolvere frigus.
Ille nihil contrà, sed vultu arrisit amico
Blandus, et acceptâ sequitur vestigia dextrâ.
Verùm ego frigentesque manus, algentiaque ora
Dùm foveo, et gelidas abstergo è corpore lymphas
Imprudens, arcum vidi sub veste latentem,
Et calamos tædasque, et sæva Cupidinis arma.
Nec latuere doli; castis procul ædibus hospes
Ejicitur; rapidas pulsus malè surgit in iras,
Et validam indignans tentat vibrare sagittam.
Sed frustrà; solitæ torpentem frigore dextram
Destituunt vires; telumque imbelle, sine ictu
Concidit, et summâ vix tandem in veste pependit.

DE BREVITATE VITÆ.

Esse quid hoc dicam, quòd tam breve ducimus ævum
Mortales? vix heu! vitales luminis auras
Hausimus, inque ipso miseri evanescimus ortu!
Intereà cervi, pavidum genus, integra vivunt
Secula; corvorum piceis gens horrida pennis
Protrahit annosam nostro de funere vitam.
Altis quin etiam nixæ radicibus iras
Ventorum rident et cœli fulmina quercus.
Nos homines rerum dominos, orbisque potentes
Mors avidâ metit atra manu, tumuloque sepultos
Cogit in æternam componere lumina noctem,
Undè redire vetant quemquam, mala Numina, Parcæ.
Vidi ego succisas repetitis ictibus ornos
Fronde virere novâ, putrique exsurgere trunco.
Vidi et depositis duræ post frigora brumæ
Exuviis angues primam renovare juventam.
Ipse adeò tristi victor de funere phœnix
Surgit, et æternos revocat reparabilis annos.
Nos ubi primævo succisi in flore juventæ
Occidimus, Stygiisque semel mersamur in umbris,
Hinc remeare nefas, superasque revisere sedes.
Saltem ah! communi fatorum lege soluti
Debuerant Vates producere longiùs ævum.
At miseri Vates fato volvuntur eodem;
Nec prohibet dulces à funere Phœbus alumnos.
Threiciâ fretus cytharâ fidibusque canoris
Orpheus indomitos potuit mulcere leones:
Fertur et argutâ testudine grandia Thebes
Mœnia, compositis Amphion condere saxis.
Haud tamen Amphion cytharâ, non Thracius Orpheus
Difficiles cantu potuerunt flectere Parcas,
Aut, quos orabant, tandem impetrare regressus.

CUPIDO CEREUS

IN ARTIFICIS OFFICINA VENALIS.

Cereus Artificis prostabat in æde Cupido,
Cui deerat vox una; rubro circumlita fuco
Ora nitent, flavi volitant per colla capilli,
Et, qui luminibus fulget, probat ignis Amorem.
Illum respiciens Amor invidisset Amori,
Mentitoque Venus libasset basia nato:
Tam solers erat illa manus, quæ frontis honores,
Quæ molles oculos et vivida finxerat ora.
At nemo, res mira, fuit, qui pignore quovis
Aut emeret, puerumve domi pateretur inemptum.
Scilicet ex humeris, quamvis innoxia tela,
Tela tamen, dextrâque faces, arcumque sinistrâ
Cum gereret, potuit vel cereus ille timeri.
Hujus ad aspectum reliquis audacior, ira
Fecerat audacem; Artifici, nummum accipe, dixi;
An meus est? risit, nihil et cunctatus ementi
Dat puerum; nummus pretium fuit unus Amoris.
Tunc ego sæva memor tenero quæ vulnera cordi
Fecerat, i medias, dixi, Puer improbe, flammas
Experiare; decet te nunc ardere vicissim,
Per quem ipse imprudens malesanis ignibus arsi.
Nec mora projicitur rapidos arsurus in ignes;
Liquitur; ille tamen superas liquefactus in auras
Fugit adhuc fumo similis, similisque vapori.

SOLERTIS INGENII SPECIMEN.

Dum celsæ Æsopus pandit miracula mentis,
Et rerum ambages populo plaudente resolvit,
Ecce aliquis parat ingenium subtile dolosis
Explorare modis; et, quem celebrabat ubique
Fama virum, levibus deceptum illudere nugis.
Ergò duas fert ille rosas, quarum altera felix
Terræ partus erat, formam altera traxit ab arte.
Par utrique tamen decus est, par gratia fulget;

Sic ut nata sinu telluris ab ubere possit
Utraque, vel dextræ labor ingeniosus haberi.
Talibus insidiis, et spe fidentior ultrò
Æsopum aggreditur, dictisque ita subdolus infit.
O tu, cui mentem finxit natura sagacem,
Dic, Æsope, precor, neque te labor iste gravabit,
Utra, putas, educta solo rosa venit in auras?
Olli subridens, verbisque Æsopus amicis,
Mox, inquit, responsa feres; geminumque reponi
Præcipit in mensâ florem; tunc fortè flagrabat
Æstus, et in medio sol egerat axe quadrigas.
Nec mora, nectareum volucris vaga sentit odorem:
Et circumvolitans nunc hîc, nunc insidet illìc.
At postquàm medio nativi floris adhæsit,
Et molles tenui succos Apis ebibit ore;
Sic ait, elusitque dolos Æsopus inanes.
Hanc mihi servo rosam, volucris quam parva momordit.
Vade hospes, nobisque aliàs illudere parce.

UNDE LARVARUM ORIGO.

Postquam Terrigenas disjecit fulmine fratres
Jupiter, et victor toti dedit otia cœlo;
Tristia præteriti solari tædia belli,
Absentesque diù cupiens accersere risus,
Edere defessis voluit spectacula Divis.
Ergò vocat Momum, vultuque ita fatur amico.
Eia, age; te quandò non est solertior alter
Mille modis variare jocos, jam concute pectus,
Extrue solennes, Deus ô lepidissime, ludos.
Scilicet hæc meriti poscunt sibi præmia Divi,
Quos sumus in duris experti rebus amicos.
Dixerat: ille Jovi paret, turbamque Jocorum
Promptus adit; simul, ô socii, concurrite, dixit;
Nunc animis opus est; hominum sator atque Deorum
Nostram poscit opem, et longo defessa labore
Festivis recreare parat bona Numina scenis.
Consulite in medium; vel si sententia nobis
Est potior, nostris aures advertite dictis.

Ergò agite, ô socii, notos deponite vultus,
Induite arte novos, variasque aptate figuras,
Quæ valeant Divos, et Divûm fallere Regem.
Assensere omnes, levibusque per aëra pennis,
Diversas referunt mutato in corpore formas.
Hic gerit informi distinctam tubere frontem:
Olli præcipiti descendit vertice nasus;
Huic clivo in medio curvatus fornicis instar
Assurgit, longumque exporrigit alter acumen.
Quid jam labra, genas, diversaque rictibus ora
Commemorem? Fert ille gulæ bipedalis hiatum
Exili mento fultum malè; crassior alter
Labra horrenda movet naso subjecta recurvo.
Hic gibbo ingenti, tumidoque abdomine tardus
Incedit, turbâque Deûm ridetur ab omni.
Quin etiam varias simili placet arte ferarum
Mentiri facies; Satyrum hic villosus agrestem
Ore refert, diræ vultus habet ille Chimeræ;
Alter noctivagæ volucris, quæ cætera parvi
Muris habet, nigras si corpore detrahis alas.
Harpyas alii simulant, hi Gorgonis angues,
Immanesque lupos alii, rabidosque leones.
Denique non, si sint centum ora sonantia linguis,
Innumeras possim memorando exponere formas.
Hæc ubi, Sileni Momus conscendit Asellum,
Alter Bellerophon, et utrinque sonantia pulsans
Tympana, spectandum Divis agit omnibus agmen.
Riserunt Superi, risit pater ipse Deorum.
Hinc talem tenuere homines, gens æmula, morem.

CUPIDO ARATOR.

Quis credat? Superis sua sunt fastidia, cœlum
Linquere amant, ipsis et gaudia quærere terris!
Fugerat æthereas, curis stimulantibus, arces
Idalius Puer, at lætis novus hospes in agris
Dùm ludit, tauris instructum offendit aratrum.
Nulla mora est; pharetram ex humeris tædamque reponit,
Fatalesque arcus, et, quâ velabat ocellos,

Fasciolam, duroque manus adjungit aratro:
Ars tamen illa placet; juvat exercēre laborem
Insolitum, seu quòd nova res, seu, quòd mala terris
Quæ fecit, plenis solari messibus optet.
Ergò dùm glebas insueto vomere versat
Impiger, atque altis committit semina sulcis;
Ad cœlum tollens oculos, fac, Jupiter, inquit,
Expectata seges votis respondeat, aut te
Rursùs ego Taurum fieri, et juga ferre jubebo.

PACIS AUGURIUM

IN MEDIO ARMORUM ÆSTU.

ARMORUM casus miseros et acerba dolebam
Tempora, sollicito Pacem sub corde requirens:
Cùm subitò medias inter Pax aurea nubes
Adstitit; hanc pleno comitatur Copia cornu,
Et blandi subeunt, examen amabile, Risus.
Nam quis in afflictas, dixi, Pax aurea, terras
Te revocet? Quis te superis accersat ab oris?
Aspicis ut lacerum Discordia tetra per orbem
Sæviat; ut propriis imbuta cruoribus arma,
Arma, quibus meliùs Mahumetica regna perirent,
Mutua cognatæ vertant in funera gentes?
Eia, age, rumpe moras, mundo succurre gementi.
Illa nihil contrà, radio sed dividit auras;
Et dedit augustum Lodoici cernere nomen.
Felix augurium feliciaque omnina lætus
Accepi, et tristes pepuli de pectore curas.
Ergo reluctantes per te, Rex Maxime Regum,
Dediscant bellum populi, Pacemque requirant;
Hic te spectat honos, operum hoc, Lodoice, tuorum est.

PLURES VOLUPTAS QUAM NEPTUNUS

AUT MAVORS ENECAT.

DUM mihi defessos altus sopor alligat artus,
Et variâ Morpheus illudit imagine mentem;

Visus adesse mihi tumidis Neptunus ab undis.
Ut vidi, ut stupui! Nam dextra armata Tridenti
Quassatas rapido naves Aquilone premebat,
Et miseras hominum tumulabat in æquore turmas.
 Parte aliâ Mavors sævis metuendus in armis
Sanguineos agitabat equos, quàcumque ferantur,
Horrendam aspicias nullo discrimine cædem,
Atque exudantes spumanti sanguine campos.
Heu! miseris, dixi, fatalia Numina terris!
Credo equidem, amborum nisi demens ira resistat,
Nestoreos felix hominum gens exigat annos.
 Ast animum funesta magis turbavit imago.
Scilicet hinc cyathum Bacchus gerit, et Venus indè,
Letheum inspirans dulci sub melle venenum,
Tristia per cunctas miscebant funera terras.
Hîc ego Neptunum Martemque absolvo furentem;
Baccho dira canens, Veneri mala multa precatus.

AMOR MEDIO

IN FONTE MARMOREUS.

Spicula vicini tingebat fontis ad undam
Insidiosus Amor, quibus ille improvida figit
Corda hominum, et miseris portat mala vulnera terris.
Ausus quin etiam puris immergere corpus
Fontibus, et sacras Nympharum invisere sedes;
Suadet enim æstivi rabies vesana leonis,
Et latè findens arentia Sirius arva.
 Ecce autem imprudens molles hinc indè lacertos
Dùm rotat, et mediis ludit juveniliter undis;
Illum Naïades, castissima turba, natantem
Aspiciunt; arsere animi; subit ira nefandos
Ulciscique ausus, meritas et sumere pœnas.
Protinùs insultant Puero, et nil tale timentem
Corripiunt manibus, vinclisque tenacibus arcent.
 Una fuit reliquas inter formosior omnes;
Nec formæ pudor ipse aberat; quæ lumina vertens
Ad cœlum tales fudit de pectore voces:

Pone, precor, nostri pone instrumenta doloris;
Nec turba immiti felicia tempora casu.
Olim erit, ut, matura virum cùm fecerit ætas,
Accepto vobis pro munere digna rependat
Præmia, et, erectis non uno ex hoste trophæis,
Multiplicem magno mittat cum fœnore prædam.

CUPIDO NAUFRAGUS.

Ibat Amor spoliis hominum Divûmque superbus;
Et tenui vectus per cærula lenta phaselo
Idaliæ centum referebat corda parenti,
Corda venenato quæ vicerat improbus arcu.
Continuò cæcis involvitur undique nimbis,
Et latè horrisono cœlum tonat omne tumultu.
Parte aliâ immitis Boreas, Eurusque Notusque
Frontibus adversis inter se prælia miscent,
Et tenuem torquent per gyros mille phaselum.
Franguntur remi, stridens Aquilone procella
Malum adversa ferit; rapidis ludibria ventis
Vela volant, mediisque Puer propè mergitur undis.
O quoties cymbâ excussus, dùm parva rotaret
Brachia, et iratos tentaret vincere fluctus,
Te, Neptune pater, nequicquam in vota vocavit.
Diique Deæque omnes illum risere natantem;
Et lacrymas gemitusque imis risere sub undis.
Nam quid agat tanto puer in discrimine lethi?
Ingenium probat adversis in casibus: ecce!
Ferre ratem sese meminit. Mora nulla: pharetram
Exuit, et rapidis committit fluctibus: arcum
Tollit in antennas, sunt huic retinacula, funis;
Motaque remorum gesserunt spicula partes.
Cypria fax navem obscuris direxit in undis;
Et, quæ formosam velabat fascia frontem,
Carbasus est. Summâ sedet ipse in puppe Cupido,
Vela legens laxansque manu, cymbamque gubernans.
Sic tandem incolumis portus intravit amicos.
Dii! meliùs Puer [illegible]atis periisset in undis.

LABOR IMPROBUS OMNIA VINCIT.

Credite, Mortales, labor improbus omnia vincit,
Et lenire solet duros patientia casus.
Sylvestrem assiduo qui terram aggressus aratro est
Vincere, et incultis committere semina sulcis,
Ingratum tentavit opus, sudavit et alsit.
Ast optata seges plenis ubi crevit aristis,
Solatur curas et tædia longa laborum.
  Quem juvat abrupti loca per declivia montis
Exercere solum, et longis disponere vites
Ordinibus, brumæ patiens et solis iniqui
Multa tulit, rigido dùm dextra armata ligone
Horrida purgaret saxis et sentibus arva.
At postquàm in multos se se induit uva racemos,
Et largis hinc indè fluit vindemia rivis,
Longorum oblitus, quos senserat antè, laborum,
Cantat io Bacche, et dulci se proluit haustu.
  Haud secùs, insomnes quisquis traducere noctes
Et doctas gaudes, annosa volumina, Chartas
Assiduâ versare manu; perge omine læto
Difficiles superare aditus et longa viarum
Tædia, nec virtus ægro sub corde fatiscat.
Namque ubi perfecto dabitur contingere metam
Curriculo, meritumque caput tibi laurea cinget,
Juverit hæc meminisse, graves nec deindè pigebit
Exanthlasse animis pulchrâ pro laude labores.

UNDE NATA VULTUUM DISSIMILITUDO.

Æthereas ausus cœlo subducere flammas
Iapeto satus, humanam cui fingere gentem
Mens erat, Æolias supplex accessit ad oras
Vulcani, poscitque Typum, quo fingere vultus
Consimiles hominum simili sub imagine posset.
  Nec mora: seu blandis potuit mansuescere verbis
Vulcanus, seu consilium novitate placeret,
Audiit orantem facilis; donatque Prometheum
Archetypo, mirâ quod fecerat arte Pyracmon.

Ille Dei donis, tantoque superbus honore
Urget opus, pulchro juvat insudare labori
Insuetum per iter. Multo jam fonte subacta
Mollior, atque omnis patiens argilla figuræ
Circum aderat; non illa manus invita moratur
Artificis, cunctas sequitur cupidissima formas.
At nunc artis opus, toto ut porrecta metallo
Induere Archetypum, tenues intrare meatus,
Depressosve subire cavos argilla laboret.
Ecce autem jam multa hominum tibi corpora surgunt
Frontem, oculos, vultusque simillima! Fervidus instat
Iapetides in opus, successuque acrior ipso
Totum aliis implere parat mortalibus orbem.
Non tulit intereà malesani furta Promethei
Jupiter, atque animo dignas Jove concipit iras.
Mercurium vocat ad se se, dein talia fatur:
Perge, age, rumpe moras; cæci instrumenta laboris
Subduc Archetypum; meritas pro talibus ausis
Ille mihi pœnas olim dabit. Ocyor Euro
Mercurius ruit in terras et jussa Tonantis
Exsequitur. Doluit, victusque dolore Prometheus
Sæpiùs ingratum voluit finire laborem.
Attamen incœpto puduit desistere victum;
Ergò novum molitur opus, primasque figuras
Attentis relegens oculis, quas finxerat antè
Nititur humanas imitando effingere formas.
Ac licèt haud studio labor evanescat inani,
Non usquàm primas ullâ tamen arte Prometheus
Tunc potis est hominum facies attingere; quotquot
Mortales crevere novi, non jam omnibus unus
Vultus ut antè, fuit, non est frons una, nec oris
Idem habitus, primæve manent vestigia formæ.

CUPIDO DELUSUS.

Cum fidens animis per florea rura sopori
Indulgeret Amor, pharetram nil tale timenti
Longiùs observans furtim subduxit Amyntas.
Mox ubi pulsa quies oculis, subreptaque sensit

Tela puer, largo lacrymarum flumine vultus
Irrigat, atque animo sortem indignatur acerbam.
 Intereà pastor directo constitit arcu:
Et miserum Pueri confixit arundine pectus.
Protinùs ille gemens rapido per inane volatu
Advolat ad Venerem, sublataque spicula lugens,
Et largum ostentans formoso in pectore vulnus;
Ecquis, cara parens, alias mihi deindè sagittas
Donet, ait? Puerum genitrix complexa ferocem,
Abstersisque manu lacrymis, ô Nate, dolori
Pone modum, dixit; referet tibi prædo pharetram,
Fatalesque volet nunquàm tetigisse sagittas.

SPES MALORUM OMNIUM CONSOLATIO.

Quò vos, quò sceleris rapuit furor? Ergòne Divos
Criminibus gens usque novis humana lacesset?
At non tarda reos ultrà vindicta sequetur;
Infernos adjuro lacus; nisi crimina cessent,
Nec pœnæ modus ullus erit finisve malorum.
Talia flammato tacitus sub corde volutat
Jupiter, et terras certus punire nocentes.
Pandoram vocat, et stimulis haud mollibus urget.
Hùc ades, ô Virgo ante alias dilecta Tonanti,
Quò mandata vocant, terrisque ultricia defer
Munera. Pixys erat, quâ non præsentior ulla
Pestis, et ira Deûm Stygiis erupit ab antris.
 Scilicet hîc curæque graves, luctusque, dolorque,
Et metus, et tristes ferali examine morbi,
Fatalisque latet duræ inclementia mortis.
Protinùs æthereâ Virgo descendit ab arce
Humanam exiguâ portans in Pyxide sortem.
It Pavor antevolans, lacrymæ comitantur euntem,
Et, quâcumque ferat celeres per inania gressus,
Tristia divini linquit monumenta furoris.
Mutari cœli facies, pallescere Titan
Visus, et influxu terras privare salubri.
Ast ubi funereas, Superûm quæ continet iras,
Arca patet, monstrisque viam laxata reclusit;

Justitiæ vindex patuit Deus! Impete facto,
Quâ data porta, cohors ruit importuna malorum.
Illinc Morbus edax, hinc falce armata minaci
Pallida Mors; indè horrificis Mars impius armis
Incumbunt lacero, furiis communibus, orbi.
Nec longum in medio tempus: namque aëre toto
Tempestas ventorum, et tristibus horrida nimbis
Sævit hyems: terræ immoritur frustrata Coloni
Spes avidas miseranda seges; dulcemque Lyæum
Abnuit arenti sitiens in palmite vitis.
Hinc tristes gemitus populorum, incendia, cædes,
Certatìm erumpunt; hinc bello pejor et hoste,
Prodiit Ambitio: sequitur soror, illa malorum
Tam fœcunda parens, tam diro fœta veneno
Invidia, et sævi nutrix Discordia belli.
Quin et Avarities, et opum vesana libido
Nactæ aditum facilem, camposque impunè patentes,
Arma cient, nexusque sacros et amica perosæ
Vincula, discordes agitant in funera fratres.
Quæ rerum facies enascitur! O ubi mundi
Priscus honos? Nil te miseret, Pater alme, tuorum?
Nil operis te movit amor? Si nulla remansit
Cura hominum, saltem liceat cœlestibus armis
Oppetere, et dextrâ victos cecidisse Tonantis!
Fœmineæ procul este manus; Stygiisque sub umbris
Fœmina lethifero tumuletur proximâ dono!
Quanquàm nec miseris solatia nulla supersunt:
Necdùm absumpta salus omnis; Spes hæsit in imâ
Pixyde, lethiferæ latuit comes optima turbæ.
Eia agite, afflictis meliùs confidite rebus,
Mortales, longi fiducia blanda laboris,
Ærumnis positura modum Spes denique restat.
Hùc ades, ô! meritos uni solvemus honores;
Una eris in votis; quid enim fugitiva colamus
Numina? Jam pridem veteres defecit amicos
Perfidaque hostiles sequitur Victoria turmas.
Jam procùl hinc cessere hilares Risusque Jocique,
Et nostras liquit divina Pecunia terras.
Tu potes iratum nobis placare Tonantem,

Fulminaque in nostras arcere minantia pœnas.
Te præsente, lues cultis fugit arida campis
Pulsa procùl; per te cornu redit alma beato
Copia, tu morbos atque, agmina lurida, febres
Natales Erebi cogis descendere ad umbras.
Per te bella cadunt. Tu Pacis amabile munus
Reddis, et afflicto revehis bona gaudia mundo.
Rumpe moram, et nostris patiens inflectere votis.
Audimur! solito fulsit da nube serena
Dulcior, et vultu Spes aurea fulsit amico,
Augurium felix! veteres dediscite casus,
O Populi, et rebus vosmet servate secundis.

JOCUS IN SOLEM.

Æstate in mediâ dùm sol altissimus orbe
Torreret steriles solito flagrantior agros,
Languebat seges, atque homines sitis ægra premebat;
Ecce autem pingues radiis solaribus actos
Surgere in immensum fluvio è propiore vapores
Videre agricolæ: læto tum pectore turba
Sic fatur; Solemne etiam sitis improba torquet?
Fumantes quid enim longè sibi quærere lymphas
Ardet inexpletum sitiens? Si pergat et amnes
Siccabit, fundumque arescet Pontus ad imum.
Talia jactabant: fluvio vapor actus in imbrem
Solvitur, et læto fœcundat prata liquore.
Tum verò exoritur clamor risusque jocantum;
Multaque certatim convicia dicere Soli.
Nùm fuimus vates, tantùm insatiatus aquarum
Hausit, ut acceptas cogatur reddere lymphas.

TUMULI VANITAS.

Ite procùl, tumuli ductæ super æthera moles;
Quas vario latè decorant candentia luxu
Marmora, et inciso fulgentes ære columnæ.
Namque quid hæc cineres nimis ambitiosa sepultos
Ornamenta juvant? Vitam si sculpta priorem

Æra darent, fulvâ vel Iaspide membra jacerent
Molliùs, haud unquàm me dives Caria vincat;
Splendida nec superent Mausoli busta Tyranni.
Sed quid vana moror? sunt et sua fata sepulchris;
Quæ non irato contortum fulmen Olympo,
Non decertantes adversis flatibus Euri,
Sed steriles vertere solo mala robora ficus.
Ergò vel informi condantur inertia Cippo
Membra, vel exiguæ tumulata sub aggere terræ;
Quid refert, superas animus dùm transvolet arces?

FINIS LIBRI TERTII.

CARMINUM
LIBER QUARTUS.

ELEGIACA ET LYRICA.

ANIMA PŒNITENS.

ELEGIA.

O Deus! humanis patiens mansuescere rebus,
Excipe sollicitas aure favente preces.
Ne scelerum facies vultus avertat amicos!
Tu, quodcumque meum est, vincis amore scelus.
Ablue contractas vitiato in pectore sordes:
Nil superest, tibi quod displicuisse queat.
Pœnituit peccasse, Deus! tibi sisto nocentem,
Nec licet admissum dissimulasse nefas.
Namque reum sceleris noctuque diuque fatigat
Umbra sequens, miseros et facit usque metus.
Inconsultus ego! Te coram admittere crimen,
Atque oculos potui conscelerare tuos.
Quanquam ignosce, Deus! primo scelus hæret ab ortu,
Et cordis grassans intima pestis habet.
Has ego contraxi sordes genitricis ab alvo;
Secretoque mali pectore semen inest.
Ergò ne totum pigeat, Deus alme, lavare;
Nec lavisse semel sit satis; usque lava.
Tùm maculæ cedent, lotoque è corpore sordes;
Tunc mihi, qui certet cum nive, candor erit.

ANIMA INFERIS IGNIBUS DAMNATA

Ad Amicum olim suum adhuc viventem.

ELEGIA.

O Tu funesto quondam mihi junctus amore!
O Tu prima mihi causa, caputque mali!
Accipe, quâ careo, semperque carebo, salutem;
Namque ubi sum, non est, non erit ulla salus.
Quæ tibi Charta venit, Stygios transmissa per ignes,
Usta foret, lacrymis ni foret uda meis.
Væ mihi, quem non tot fecere pericula cautum!
Væ tibi! væ; damno ni sapis ipse meo!
It mihi sulcatos prædatrix flamma per artus;
Nec pœnæ requies ulla, modusve datur.
Quin vires Deus ipse novas amat addere flammis;
Et flatu ardentes suscitat ipse rogos.
O dolor! ô pœnæ genus intolerabile! læsi
Numinis ultricem sustinuisse manum!
Hæc mala tanta mihi peperit damnosa voluptas,
Illecebris heu! me perdidit illa suis.
Imprudens! quò me malè providus abstulit error?
Quanto delicias penso labore breves!
Saltem si qua forent tanti solatia luctûs;
Si quis fortè mali finis adesse queat!
Verùm æterna manent miserum tormenta; nec unquàm
Suppliciis aderunt tempora certa meis.
Ne te infelicis miseratio tangat amici;
Nil tua jam pietas, nil mihi prosit amor.
At cave, ne quandò testis sociusque dolorum
Hùc venias; nostrum cresceret undè malum.
Ergo appone lucro pretiosi temporis horam:
Hæc fugit, et nunquàm post fugitiva redit.

POETÆ LUCTUS, AMISSA CRUMENA.

ELEGIA.

Ite oculi in lacrymas, largosque effundite rivos;
Causa nequit lacrymis æquior esse meis.
Disperii! incauto malefidus prædo Crumenam,
Et me..cum nummis gaudia cuncta tulit.
Quò sequar, aut quâ te latitantem parte requiram,
Improbe? te quis habet, blanda Crumena, locus?
Carminibus plus heu! misero dilecta Poëtæ!
Carior et cunctis una Crumena libris!
Ah! sine te valeat, quid enim mihi prosit, Apollo!
Majus Appollineo Numine, Numen eras.
Ducebam facili tecum bona carmina plectro;
Carmina jam sine te reddere plectra negant.
Ah! male sit! nam quid voveam tibi, pessime furum?
Quæ te pœna manet crimine digna satis?
Adsit Tisiphone, diroque armata flagello,
Nuda per insultans ilia triste sonet!
Adsit Tartareis Alecto excita tenebris;
Vindice furaces ustulet igne manus!
Sed quid ego hæc? fruitur raptâ malè prædo Crumenâ,
Et surdâ ridet perfidus aure minas.
Te saltem afflicti tangat miseratio vatis,
Phœbe pater; misero, quam potes, affer opem.
Intactis per te revolet, precor, integra nummis,
Et notos repetat salva Crumena lares!
Ni tamen ad justas intendis, Phœbe, querelas;
Ni bonus ablatas illicò reddis opes;
Nulla mora est, tibi solus habe tua carmina; nummi
Dùm pereunt, vatem quid juvet esse tuum?

PAULINÆ DESIDERIUM

Cum Maritus ipsius Seneca morte damnatus esset.

ELEGIA.

Quid moror infelix? periit pars optima nostri;
Jam mihi quod miseræ vita levamen habet?
Quælibet ah! simili mihi mors minùs aspera vita est!
Si vixisse tamen, te sine, vita fuit.
Quid priùs incusem? Superosne, an dira Neronis
Imperia? an nostras fata perosa vices?
Ingeniis num tanta fuit concordia nostris,
Acrior avulsis ut dolor indè foret?
Si reus et conjux, nec sum quoque criminis expers.
Nobis idem animus, mens eademque fuit.
Si tamen admissi videor tibi criminis insons,
Barbare; cur plector duriùs ipsa reo?
Mors rapit Annæum; finis tamen ipsa malorum est:
Sed me dura magis funere vita manet.
Siccine dividimur? nescis, ah! perfide, nescis,
In nostro quantus pectore regnet amor!
Me miseram! an tantum merui perferre dolorem,
Ut pereat conjux, nec comes ire queam?
Crudelis pietas! Tecum si vivere, conjux,
Haud potis est, cur non, te moriente, mori?
Si tibi sacrilegi mortem parat ira Tyranni,
Mortem noster amor, quod negat ira, dabit.
Ibimus; adverso patuerunt pectora ferro,
Hîc ubi casta priùs vulnera fecit amor.
Si tibi fundendus largo de vulnere sanguis,
Est mihi, qui fosso pectore, sanguis eat.
Haud ego lethales paveam muliebriter ictus;
Fortior hic vires sanguis amoris habet.
Una, Tyranne, cadat poscis tibi victima ferro;
Altera, spes ultrà, victima sponte cadet.
Sic benè inexpletum satiet mors nostra furorem;
Sic benè servetur jus sociale tori!

Sic benè qui quondam sacro nos fœdere junxit,
Jam simili meliùs funere jungat amor!

FILIUS AD PATREM

Cùm exulare jussus inconsultò Patre revertisset.

ELEGIA.

Hæc patere irato succedat Epistola vultu;
Dicere quæ timuit, scribere jussit amor.
O utinam aspicias quæ sit scribentis imago,
Quantus et ingenuo spiret in ore dolor!
Sic igitur Natum nequicquam multa precantem
Abjicis, et nullum sic habet ira modum?
Quò fugiam? miserum nam quò, Pater optime, mittis
Undè mihi, qui me sic amet, alter erit.
Erravi; causas habuit tamen error honestas;
Invidiam noxæ detrahit ille meæ.
Externas quid enim in terras invisaque regna
Ire jubes? Sine te, quæ mihi vita foret?
Parueram tamen, et sortem indignatus iniquam,
Ibam quò patris lex inimica jubet.
Obstitit unus amor, gressum quin comprime, dixit;
Iratum flectes, quâ potes arte, Patrem.
Crede mihi; posito mitescent corda furore;
In te crudelis nec queat esse diù.
Obsequor, imperioque Dei vestigia torquens,
Deferor ad notos, lætus ut antè, lares.
Eheu! qualis eras! quantum mutatus! ut omnis
Tunc aberat vultu, qui solet esse, lepos!
Ut vidi, ut stupui! subitus tremor occupat artus,
Et toto gelidus corpore sudor iit.
Quin etiam conata loqui ter inutilis hæsit
Lingua, ter incœpto destitit illa sono.
Fulmineo simul ore tonas; metuenda minaris;
Ingentique paras clade piare scelus.
Quod scelus ah! scelus est, quòd non sapienter amavi:

Unus amor nostri causa caputque mali.
Da culpæ veniam; decepit idoneus auctor,
Si culpa est, tanto sub duce culpa levis.
Iræ pone modum; mea te suspiria tangant;
Te largo moveat vultus ab imbre madens.
Non sat pœnarum exhaustum est? quid plura reposcis?
Ultus es offensas, ut decet, ipse tuas.
Exilium crudele fero; quæ durior unquàm
Exilio veniat pœna dolenda mihi?
Ah! potiùs quodcumque jube; nil deprecor, ultrò
Perpetiar; vultus sed mihi redde tuos.

IN SYMPATHIAM.

IAMBUS.

Amo Melissum; sentit hoc animus; tamen
Mihi causa, cur amem, latet.
Non amo Menalcam; si rogas, cur non amem?
Unum hoc scio, quòd non amo.
Uterque nusquam visus, ignotus mihi
Uterque vixit hactenùs.
Vidi Melissum; pectus exarsit mihi;
Deliberandum nec fuit.
Vidi Menalcam, pectus immotum stetit,
Et amoris haud sensit faces.
Par est utrique gratia, et forsan quoque
Virtute sunt ambo pares.
Nihil habet alter, alterum ut vincat; tamen
Cur vincit alter alterum?
Causam rogare parce; cor novit satis,
Quod lingua non possit loqui.

SANCTÆ GENOVEFÆ

PARISIORUM PATRONÆ

Votum ipso ejus Festivitatis die persolutum.

ODE.

NAM quæ micanti prodit ab æthere,
Subvecta nimbis Diva curulibus;
Cui casta cœlestem coruscat
Dextra facem rutilante flammâ?

Proh! quandò fulsit pompa decentior?
Hinc indè certant Aligerum chori,
Stipare solennem triumphum, et
Unanimi decorare cœtu.

Pedum Puellæ pars rapit æmula;
Coluque ludit pars pueriliter;
Pars gaudet adducto retortos
Pollice deproperare fusos.

Agnosco Nostræ insignia Virginis;
Quam ritè votis alma Lutetia
Ambit Patronam; Te sinistris
Præsidium, GENOVEFA, rebus

Agnosco. Festi scilicet annui
Recurrit orbis; lux oritur sacra;
Et jam repercussas per auras
Æra sonis crepuere lætis.

Jam fervet omnis semita, quà frequens
Se turba sanctis ædibus inserit:
Ubi verendas, dulce pignus,
Relliquias Loculus recondit.

Quin ipse vulgo mixtus amabili,
O Diva, festis accino plausibus
Impunè; quem dudùm remordet
Conscia mens, neque dùm soluti

Reum sacramenti usque redarguit.
Ast obligatam non tamen impius,
(Rursùm tremendas testor aras)
Deseruisse fidem videbor.

En adsum, amicàm qui toties manum,
Opemque certam rebus in anxiis
Expertus, aggestis Sepulchrum
Debueram cumulasse donis.

Quanquam nec adsunt divitis Indiæ,
Nec quas beatus volvit opes Tagus;
Lux undè major, vel Feretro
Ditior adveniat supellex.

Saltem fidelis Tu, precor, obsequî
Dignare munus; quosque vovet Cliens
Juratus ultrò, ne repelle
Promeritos, mea Diva, cultus.

An lingua nomen prætereat tuum
Ingrata? Franci Tu decus Imperî
Dicere; Tu spes blanda, et Urbis
Certa salus, GENOVEFA, nostræ.

Depulsa per te longiùs hinc lues
Invisa cultis frugibus exulat:
Per te benigno larga cornu
Copia luxuriat per agros.

Tu dira, morbos, agmina, Tu Febres,
Malam cohortem, pellis: et impigri
Vis dura lethi, Te jubente,
Continuit superata gressum.

Nunc ergò donis adde prioribus,
Votis quod omnes omnibus ambiunt:
Quod fusi ad aras Te precantur
Solliciti, tua cura, Galli.

Nam cur tot annis arma ferox quatit
In orbe Mavors? Non satis est adhuc
Laboris impensum et cruoris?
Da veteris cadat ira belli:

Da litigantes mutua Principes
Nexu perenni fœdera sanciant:
Dudùm exulantem redde Pacem;
Pacis opes, Genovefa, redde.

FAMA AD PICTURAM

Ut pingat ad vivum PHILLIPPI *V, Hispaniarum Regis imaginem, per universas Hispaniæ urbes, antequàm adveniat ipse, deportandam.*

ODE.

Rerum Parentis nobilis æmula,
Sincera vivis ora coloribus,
Et arte spirantes sagaci,
Diva potens, animare vultus.

Seu læta sertis prata virentibus,
Seu blandientes pingere Gratias,
Doctamve Musarum catervam
Artifici properas tabellâ.

Quod penicillo cumque pares opus,
Cœptos labores desine persequi:
Se major offert, pulchriorque
Materies tibi, Diva, surgit.

Ergo magistras expedias manus;
Nunc artis, usus nunc opis est tuæ;
Dignum Nepotem Ludovici
Pingere deproperes Philippum.

Regale vivâ spiret imagine,
Dignumque multis imperiis caput:
Vox una desit, sed loquatur,
Si qua fides oculis, Tabella.

Augusta vultu gratia fulgeat;
Micent ocelli ceu geminæ faces;
Lumenque formosum juventæ
Purpureis natet in labellis.

Flexu decoro colla per ardua
Errare flavam cæsariem dabis:
Felixque circumdet capillos
Augurium populis, Oliva.

Tum finge corpus, quod Phaëton tulit,
Proles paterni muneris æmula;
Exæstuantes cùm per auras
Egit equos, celeresque currus.

Vel qualis audax Æsonides fuit;
Cùm vectus Argo vela dedit rate;
Colchosque Phryxææ bidentis
Quæsiit ambitiosus aurum.

Ast ô peritæ dexteritas manûs,
Artisque virtus non imitabilis!
Agnosco spirantem PHILIPPUM!
Quantus Avus Genitorque in unâ

Spirat Tabellâ! Nil ego jam moror;
Nimbo curuli per liquidum ferar,
Blandasque gentis spes Iberæ, et
Læta nimis celebrabo fata.

Ibo per omnes Hesperiæ plagas,
Mentisque dotes egregias canam;
Et, dicta si fors quis refellat,
Ista fidem faciet Tabella.

GALLIA AD PACEM

Cùm gravissimis Bellorum motibus concuteretur.

ODE.

Quibus te requiram longiùs ex[illegible],
Pax alma, terris? quòve feram[illegible]ces
Audita nondùm per tot annos,
Et miseræ patiens repulsæ?

Quò curiosos cumque oculos agam,
Orbisque vastas sollicitem plagas;
Frustrà beatæ jacto Pacis
Dulce nimis placidumque nomen.

Vox una ripis redditur omnibus,
Vox una sylvas saxaque personat;
Absiste; quid Pacem fatigas?
Æthereas revolavit arces

Pax alma terris pulsa nocentibus.
Impunè toto bella ciet ferox
In orbe Mavors, et tremendos
Flectit equos, agitatque currus.

Illum citato ponè subit gradu
Bellona tortis anguibus effera:
Cædisque fatalem et cruoris
Insinuat populis amorem.

Ergo-ne, dixi, nulla manet super
Pacis fruendæ copia? Tun' colis
Sedes beatas, Diva, nunquam
In miseras reditura terras?

Fœcunda culpæ secula si graves
Pœnas reposcunt, num satis hactenùs
Delicta mortales piare
Debuimus, mala quos iniqua

Dudùm fatigant? vidimus aridos
Latè per agros horrificam luem
Frustrare lætas spes colonûm,
Et steriles generare culmos.

Proh! dira quantùm sæviit hinc fames!
Quos illa luctus gentibus intulit!
Quot misit [illegible]! quot sepulchri
Perpetuis [illegible]ulavit umbris!

Non plura Martis sustulit alea,
Ferus vel ensis corpora messuit.
Nec dùm furentis causa belli
Cesset adhuc; nisi Tu benigno,

Nostros labores lumine respicis;
Ni celsa Divûm deseris atria,
Promptum laboranti parata
Auxilium dare, Diva, mundo.

Quod si nocentes ulteriùs placet
Urgere pœnis; si pia respuis,
Quæ vota mœsti supplicesque
Deferimus, vitiis iniqua;

An non querelis Te Pietas suis,
Longâque flectat Relligio prece
Dudùm morantem? cerne quantos,
Dùm procul es, patiatur æstus!

Insomnis Error scilicet excubans
Aris nefandas insidias struit;
Interque bellorum fragores
Mille vias reperit nocendi.

Audimur! alto fulsit ab æthere
Pax alma risus inter amabiles;
Cœlum relinquit, Gallicasque
Visa gradum properare in oras.

Hùc ergo cursus, hùc, Dea, dirige:
Nam quid morárum est? Ne pigeat graves
Finire luctus, et priorem
Lætitiam revocare terris.

Tu plaude tandem: tu melioribus
Assuesce fatis, Relligio; quies
Te, post tot insanos tumultus,
Certa manet; furialis Error

Malè occupatas destituet plagas;
Nodisque centum vinctus aheneis,
Natalia umbrarum reviset
Regna, nihil nociturus aris.

RELLIGIONIS CLASSICUM.

ODE.

Nam me quis alto clangor ab æthere
Inusitato murmure perculit?
Vel cur amantes pacis urget,
Exstimulatque animos ad arma.

An non cruento jam satis est datum
Marti? quid ultrà profuerit novos
Tentare bellorum tumultus,
Et rigidas iterare pugnas?

Quanquam vocantem quid moror, aut sacram
Iners repugnem militiam sequi;
Magnosque tentanti labores
Addere me socium catervæ?

En ipsa cunctis munia dividens
Turmas in hostem Relligio movet;
Nec falsa vates, futilisve
Augurium cecinit triumphi!

Nam quanta curru fulget in aureo!
Quàm vivus ardor luminibus micat!
Proh! quale gestat, quàm tremendum
Dextra parat jaculare fulmen!

Quotquot dolosis pestifer artibus
Seduxit Error tramite devios,
Cœcosque per flexus viarum
Usque rapit malè pertinaces;

Timete: frustrà Tartareas juvat
Artes malignis nectere fraudibus;
Corpusve letho destinatum
Ictibus eripuisse certis.

Nequicquam Avernis faucibus exerens
Infestus Anguis terrificum caput,
Eructat immanes favillas,
Tabificumque vomit venenum.

Contra trisulcam Relligio facem
Dextrâ coruscans desuper adstitit;
Imasque depastum medullas
Lethiferum celeravit ignem.

Nunc fortè si quis restat adhuc super
Monstri in cruento corpore spiritus;
Vos ô, Sacrorum quos remordet
Cura, citi properate ferrum.

Devota vestræ victima dexteræ
Frustrà reluctans funereum volet
Vitasse vulnus, vel decoro
Surripuisse caput triumpho.

Quin et nefandæ, quas ciet Hæresis,
Fato cohortes dispereant pari;
Pulsis et Errorum catervis,
Relligio dominetur una.

IN EPOMIDEM MAGISTERII INSIGNIA.

ODE.

O ter beatum cujus ex humeris fluit
Cultus nitentis velleris!
Epomis alma, specimen eximium sacri
Pudoris, et felix nota!
Nam prima quæ te corpore in casto tulit
Intaminata bellua;
Hæc inquinari metuit, et malit mori
Quàm ferre labis dedecus.
Pretiose candor! vivide antè alios color,
Animæ innocentis prima laus!
Qualis mihi dicere? tu canas nives
Nitore vincis æmulo.
Tibi cuncta cedunt lilia, et tecum abnuant
Certare, tam pulchrè nites!
Non alba quoties æthere in puro micat,
Tibi comparabo Cynthiam.
Aut ipsa, sparso lacte quæ fulget polo,
Æquare te possit Via.
Epomis alma, quot tuî cupidos paris!
Quos una stimulas æmulos!
Quisquis decorum vellus induerit semel,
Dignum labore præmium;
Illò beatus, Principum æquabit vicem,
Nec invidebit purpuræ.

EMINENTISSIMO CARDINALI

DE POLIGNAC,

A Christianissimo Rege nuper Ultrajecti paci componendæ cum ampla potestate Legato.

ODE.

IMPLEXA Regum jura, dissidium vetus,
Causasque bellorum graves

Dùm lance pensas arbitrâ, et pacis bonæ
Sequester abscindis moras:
Præsul verende, num tibi tantùm otii est,
Res inter immensas, super;
Ut, si quid olim lusimus, nostris ames
Momenta nugis addere? (1)
Quin et probari, Fama si verum refert,
Josephus hic visus Tibi;
Quem livor atrox, ira quem fratrum impia
Damnavit insontem specû.
Non spissa plausu si theatra personent,
Frontemve laurus implicet:
Hac tàm beatus sorte sim, quàm si tuo
Placere merui calculo.
Nam delicati laude quis tecum ingenî,
Blandâve certet gratiâ?
Non ille veteres qui sono testudinis
Struxisse Thebas creditur;
Nec qui cruentas leniit cantu feras,
Dixitque leges Inferis:
Non ipse summo qui sedens Pindi jugo
Vatum catervam temperat;
Sic eruditâ Barbiton pulsant manû;
Vel tam canoros dant modos;
Quàm Tu, (2) sonantem fortè si tangis Lyram,
Et ora solvis in melos:
Seu Conditori vindices orbem suo,
Dextramque solertem canas;
Per quam repens enata lux fulsit polo,
Noctemque secrevit die:
Terramve memores molis oblitam suæ,
Jubentis ad vocem Dei,
Medio natantem in aëre, immotam situ,
Sed axe geminò pendulam;
Seu temperatas sortis humanæ vices,
Certisque vinctas legibus;

(1) Editam Josephi à fratribus venditi fabulam legebat Ultrajecti et probabat.

(2) Scripsit Poema, quod nondùm edidit Eminentissimus Cardinalis, quo errores Lucretii de creatione mundi confutat.

Quas ortu ab ipso docilis et dictu audiens,
Natura constanter subit.
Sensit canentem Stygis ab infernæ lacu
Mundi inficetus artifex, (1)
Humana cœco qui docet casu regi,
Orbique numen invidet:
Qui fingit animas corporum fato pares,
Ævi perennis indigas.
Sensit, nec audet aleam certaminis
Tecum ingredi Lucretius.
Non clara titulis quod tibi fulget domus,
Et nomen antiquum sonas;
Sed genere quod mens est tibi sublimior,
Et nomen ingenio subest.
Hinc Laurus aret quæ comam vatis premit;
Et pristinum amittit decus:
Hinc plectra manibus decidunt, jussos Chelys
Dùm pulsa non reddit sonos.
Ipse, ipse, quem pudore permixtus pavor
Erroris incusat reum,
Per cœca Ditis antra, flammæ pabulum,
Victoris aspectum fugit.
Quid ergo cessas, flos sacri et splendor chori,
Priscisque major vatibus?
Quid nocte condi tandiù obscurâ jubes
Versus timendos impiis?
Vix lætiore cœperint aurâ frui,
Virûmque in ora venerint,
Cùm ludere animos sueta, vanescent Sophi
Insanientis somnia.
Et si quis alto providum Numen polo
Adesse deceptus neget;
Hic sana discet, opere dedoctus tuo,
Sentire, et absolvet Deum.
Exurge dignus ultor, et fatalia
Contorque in hostem spicula;
Feralis Error queis ineluctabili

(1) Errores Lucretii.

Prostratus ictu concidat.
Sic Gallicanis mox redonatus plagis,
Pacto perenni fœdere,
Dulcis reportes læta pacis otia,
Cornuque pleno copiam.
Sic Roma meritis æqua redeunti annuat,
Quam destinavit purpuram.
(1) Fallor? secundat vota, spes ratas jubet,
Jam purpuratus advolas;
Orbemque dùm spe pacis haud vanâ beas,
Primam ipse mercedem refers.

BEATO JOANNI FRANCISCO

REGIS SOTERIA.

ODE.

Quid me querelis, Dive, cessantem increpas,
Poscisque juratam fidem?
Quin et severus ultor intentas graves,
Ni deindè resipiscam, minas.
Ah! parce; frustrà crimen admissum velim
Negare votorum reus.
Blandæ saluti, Te precante, redditum
Et sanitati pristinæ,
An premere longo fas erat silentio
Amicam opitulantis manum?
At non iniquo dulce munus pectore
Nec tanta pietas excidit.
Hærent medullis ossium fixa intimis,
Et, conscium attestor Deum,
Labris supremus donec erret spiritus,
Hærere nunquàm desinent.
Erumpat ergo de sinu; et sese palàm
Vel sera prodat gratia.

(1) Dùm hæc scriberentur venit Nuntius qui relatum à Summo Pontifice inter Cardinales fuisse illustrissimum Abbatem reportavit.

Nec sera veniet; nec benignus creditor
  Damnabit exiles moras.
Quanquam, ecce gemina jam prope æstas præterît,
  Hyemsque fluxit altera;
Ex quo obliga[illegible]um tibi, et nomen datum
  Procrastin[illegible]dissolvere.
Heu! dùm jacerem flebili affixus toro,
  Morboque tentatus gravi;
Dùm virus atrum, bilis æstus fervidæ
  Per ima serpens viscera,
Ægros et artus usque et usque lancinans
  Bellum cieret horridum!
Composne mentis dicar? an me fecerat
  Stimulus doloris impotem?
Rotare falcem visa Mors, rescindere
  Parata devotum caput!
Expavit animus, membra trepidarunt metu,
  Et ire sanguis desiit.
Oculis in ipsâ luce caligantibus,
  Et, quò ferantur, nesciis,
Appensa propiùs, Dive, quæ tuos refert
  Imago vultus, sistitur.
Hîc inter ægros medius optatam dabas
  In rebus extremis opem.
Animis parumper pulsus attonitis pavor,
  Et lapsa spes renascitur.
Et mihi medelam, exclamo, Tu pariter feres,
  Tu recreabis perditum!
O Dive, si fors supplici victus prece
  Annueris esse sospitem;
Oblivioni dextra detur, hæreat
  Lingua impedita faucibus,
Si benè merentis immemor sileam manum,
  Laudesque prætercam tuas!
Audis precantem; protinùs cedit dolor,
  Dolore major et metus.
Exsurgo, qualis naufrago ereptus mari,
  Per te superstes et valens.
Agnosco Cœli munus; ulteriùs piget

Differre facti gratiam.
Adeste, per vos si quid olim lusimus;
Si ludere etiamnum licet,
Meæ Camœnæ; nulla se vestro obtulit
Seges labore dignior.
Quem canitis, Ille nuper adscriptus Polo,
Novumque Divis est decus.
Gemino verendus nomine in terris fuit (1);
Et grandius quidquid sonat
Utrumque nomen, inclytis virtutibus,
Factis et æquavit suis.
Agite ergo; sacer est, vestra qui jam pectora
Et ora complebit furor.
Aptate cantus tam pio dignos Viro,
Studiisque paribus dicite;
Quos Ille casus, quas et ærumnas tulit,
Tibi, Christe, dùm se devovet:
Dùm Sacra revehit, dùm suus templis honos
Et cultus aris redditur:
Per quot labores, per quot et pericula,
Mortalis ævi prodigus,
Cœlestum inanes, frugis expertes bonæ
Salutis edocuit viam.
Memorate gentes inferis de sedibus
Raptas et assertas Polo.
Hunc tremit Avernus hostis, et Stygia agmina
Verentur aspectum pati.
Sentit minantem dira morborum lues,
Mors ipsa falcem continet.
Ite, ô Camœnæ præpetes; versu levi
Quod audiistis spargite.
Hæc totus orbis noverit miracula;
Nec esse me ingratum sciat.

(1) Joannes Franciscus vocabatur.

LUDOVICO MAGNO EPICEDIUM.

ODE.

Pias-ne semper, Mors inexorabilis,
Mortalium illudas preces?
Imos et æquo proteris Summos pede,
Ipsis tremenda Regibus?
Saltem ah! vereri decuit augustum caput,
Et Ludovico parcere!
Parum-ne diris est datum furoribus?
Pœnasve tibi luimus leves;
Dùm planctu acerbo regiam misces domum,
Et funus addens funeri,
Suos amores, unicam sobolem Patri,
Regnisque Delphinum invides?
Dùm falce eâdem Conjugum par nobile,
Neptem et Nepotem demetis;
Natumque in uno, per novum condis nefas,
Et Patris et Matris rogo?
Priora nondùm coaluere vulnera,
Oculisque fletus aruit;
Ades, et cruentâ rursùs insultans manu
Sævis Nepotem in alterum!
Restabat unus Proavus, Avus idem et Pater,
Sortis levamen asperæ;
Dùm blanda avitæ gentis et spes ultima
Parvus adolescit Abnepos.
Tanti est dedisse perbreves inducias,
Ut surgat ætas plenior,
Francique discat Patriis virtutibus
Moderari habenas Imperî?
Lugete, Galli; nam quibus magè flebilis
Lodoicus ingens occidit?
Versate priscos sedulâ Annales manu,
Fumosa tot volumina:
Queis exarata Gallici laus nominis,
Et facta Regnantum inclyta.
Quisquam-ne major Ludovico sistitur?

Par-ve aut secundus exstitit ?
Non ille vacuum gessit ad pompam decus,
Magni vel umbram nominis.
Adeste testes, quotquot armis terruit,
Regnis et adjecit plagas.
Sensit Mosella Magnum, et Ister sanguine
Toties suorum decolor.
Sensit subactis Rhenus admissum intuens,
Et imperantem fluctibus.
An ille visus pace, quàm bello minor ?
Timendus, an amandus magis;
Seu liberalis munerator Artium
Aulam Camœnis panderet;
Seu juris æqui cultor ac vindex, bonis
Scelus vetaret legibus ?
Fugêre regnis longiùs pestes malæ,
Et dira vitiorum agmina.
Linguam insolentem pressit, et silentio
Agnovit Impietas Deum.
Asserta Themidi jura, pulsa fraus Foro,
Vicitque nuda Veritas.
Et quæ caleno perimit insanabili,
Nocere Furia desiit.
Neque post duellis fas fuit nocentibus
Rixas dirimere civicas;
Quibus et perire decuit hostes, Patriæ
In funus enses vertere.
Lugete, Gentes; nec pias pudeat dare
Jam Ludovico lacrymas.
Fulgore quamvis ille, dùm vixit, suo
Vos prægravarit æmulos;
Meritum-ne amorem mortuo negabitis,
Quem ferre vivus debuit ?
Fallor : nec hostes passus est, clementiâ
Quos facere amicos noverat.
Non ille rerum dominus, Europæ arbiter,
Utriusque fortunæ potens,
Despexit hostem; lege vel iniquâ obtulit
Redimenda pacis otia.

Felix! quieti publicæ dùm devovet
    Partam triumphis gloriam!
Vos, Africæ deserta, vos, Indi, et Sinæ
    Orbem colentes ultimum,
Lugete! vestris, nocte depulsâ, plagis
    Amica si fulsit dies:
Si victus Error abdidit Stygium caput,
    Si lapsa Cœlo Veritas:
Accipite, vobis undè parta sit salus,
    Lacrymasque memores pendite.
Tu, sancta Pietas, tu, verenda Numinis
    Relligio, quæ Polo sata,
Æterna soboles, generis unicum inclyti
    Agnoscis auctorem Deum;
An erubescas flere, dùm mortem oppetit
    Tua cura, Lodoix, maxima?
Nam te ille regnis colere potiorem suis;
    Vindexque Sacrorum impiger
Paratus ultrò, quidquid ingrueret, tuum
    Subire discrimen suo.
Verenda læto templa quòd cultu nitent;
    Suus quòd aris est honos;
Quòd dira scelerum pestis, Errorum cohors,
    Pietatis hostes exulant;
Hoc Ludovici munus est: vixit tuus;
    Et qui Abnepotem parvulum
Pietatis esse voluit hæredem suæ,
    Tuus nec esse desinit.
At quanta nobis, quàm ferax luctûs seges
    In omne tempus incidit!
O amor, medullis ossium altis insitus,
    Præscribe lugendi modum!
Doloris esse si tamen possit modus,
    Ubi modum excedit dolor!
Qualis trisulco si quis ictus fulmine
    Metu repenti sternitur:
Vis nulla membris, nullus est vultu color,
    Hæretque lingua faucibus.
Nos fata versant talia, ex quo te abstulit,

LODOICE, lethi dura vis!
Pastorem, amicum, quodque deflendum est magis,
In te requirimus patrem!
Nam dulce nobis quandò præsidium abfuit?
Constansve non patuit fides?
Quàm certa pietas! levibus ut nunquàm stetit
Paternus indiciis amor!
Nostras Camœnas bonus et exiguos Lares
Tuo beasti nomine.
Animi recessus intimi, et cordis pios
Nobis recludebas sinus.
Ac ne qua amori finis, ut vitæ foret,
Tu Cor dedisti prodigus.
Pignus verendum! mentis augustæ domus,
Animique magni Regia!
Hîc invicem fixere sedem propriam
Fœcunda virtutum cohors;
Hîc semper æquâ lance verum ponderans
Austera regnavit Themis;
Hîc comes Honoris grata Majestas, Fides
Et cana, Sacrorum metus,
Sortisque patiens arduæ, haud secùs ac bonæ
Constantia elegit locum,
Regale munus, Principis pars optima,
Totique Regi penè par!
At quid vicissìm dabimus? aut dare quid decet
Tanto superbos munere?
Tu fons bonorum prime, qui solus potes
Æquare meritis præmia,
Deus ô, rependе, quas memor pietas velit
Referre, nec possit, vices!
Tamen an feremus debitam marcescere
Sub corde facti gratiam?
Sunt vota nobis, sunt preces: Si quid valent;
Qui Jura Gallis dat Puer,
LODOICE, tua per se feret vestigia,
Dignus tot Heroum Nepos.
Sed quid vovere non licet, dùm te vadem,
PHILIPPE, votorum exhibes?

Nam tu Puelli Regis erudies manus:
    Regnique habenas Gallici
Dùm discat habiles, Te Magistro, flectere,
    Exempla sufficies tua.
Hinc crescet ingens pectore in tenero vigor,
    Magnæque laudis æmulus.
Hinc et salutis publicæ, populorum amor,
    Et cura crescet provida;
Rectique cultûs atque sententis bonæ
    Vim promovebunt insitam;
Rex ô Puelle, sorte felicem tuâ!
    Feliciorem Galliam!
Tibi juventæ contigit Tutor sagax;
    Sibi illa gratatur Patrem.

PHILIPPO AURELIANENSIUM DUCI,

Tutori Regis, et Regni Moderatori

ODE.

Insigne Francis præsidium ac decus,
Blandum et levamen rebus in asperis;
    Audi precantes, et benignam
        Quam potis es, fer opem, Philippe.

Sacrum fideles Depositum in manus,
Auctoribus Diis, Gallia credidit;
    Spes undè Regni certa pendet,
        Statque salus populi quiesque.

Tutor Puelli Regis, et Imperî
Rector, supremis carus et infimis,
    Nil jam relictum est; quo ferantur
        Latiùs ambitiosa vota.

Ast hæc avito debita sanguini;
Hæc nota virtus præmia vindicat;
    Nullusque delatos honores
        Invideat meritamque laudem.

Ergo receptas Principis et Patris
Imple secundis ominibus vices;
Et concitatam vince famam,
Spesque bonas meliore fato.

Errore lusus Gallus amabili
Fletus amaros, quos Lodoix ciet,
Compescat ultrò, Patruumque
Vivere adhuc putet in Nepote.

Regis tenellas erudias manus;
Orbisque habenas flectere Gallici
Discant; et artem, Te magistro,
Perficiant operosiorem.

Tu prima solers divitis ingenî,
Rectique cultûs semina promove:
Exempla quòd si fors requirat,
Tu Proavum Patruumque siste.

Quò vota tendant ulteriùs? Fera
Fac bella Francis finibus exulent.
Nec empta per tot Pax labores
Pulsa iterùm procùl in remotas

Pertæsa nostri deficiat plagas.
Da fœneratam visere copiam;
Terrâque defossas avarâ
In manibus rutilare gazas.

SERENISSIMO PRINCIPI LUDOVICO

CARNUTENSIUM DUCI,

Ducis Aurelianensis Filio, pro recuperatâ feliciter valetudine, dùm sedulam vocatus è Clario monte Medicus curam impertit.

ODE.

An nulla gravibus adsit ærumnis quies,
    Nullusve lamentis modus!
Vix tergere oculos licuit, exsurgit nova
    Repentè lugendi seges!
Heu! dùm Camœnis vertice in toto facit
    Dulces Apollo ferias;
Dùm læta passim per dies solidos vacat
    Bonis Juventus otiis!
Pindo sinister ecce rumor diditur,
    Et blanda turbat gaudia.
Prolem Philippi, grande Borbonidum decus,
    Et spem parentis unicam
Invasit atra tale nil meritam lues,
    Artusque per teneros furit!
Vos Dii salutis præsides! vos Gallicis
    Amica rebus Numina,
Arcete dirum facinus, et nostras opes,
    Vestrasque sospites date.
Augusta nam quòd gratia et decens pudor
    In ore fulget Principis;
Quòd spirat oculis ardor et vis martia,
    Virtutis index insitæ:
Olli benigna quòd salit vena ingenî,
    Doctarum et artium capax;
Segnes quòd annos anteit Prudentia,
    Tardas et incusat moras;
Et quòd paternæ laudis et avitæ æmulus
    Æquare Majores amat;

Vestra illa, Superi, dona sunt; unum est super,
Diuturna sint hæc, addite.
Audimur! Ipso veniet è Pindo salus,
Confide, Princeps inclyte.
Usquam ne tellus ulla, quæ plantas alat
Succosque vitales magis?
Hîc mite Amomum spirat; hîc feliciùs
Odora sudant Balsama.
Quin ipse medicas Phœbus accingit manus,
Dulcemque famulatum invidet.
Nam Te ille colere Principem ante alios Deus,
Tibi mancipatus et Patri.
Nihil morarum est; ægra pestis aufugit;
Phœbique reveretur manum.
Facesse luctus; cedat immitis dolor,
Tristesque cessent næniæ.
Sat usque curis gravibus, et præpostero
Parnassus indulsit metu.
Adeste, adeste fida Musarum cohors;
Clariique montis incolæ;
Proles Philippi providis Phœbi artibus
Servata vivit, et valet.
Resumite ergo plectra, planctus flebiles
Mutate lætis cantibus.
Io, Triumphe, Pindus omnis consonet,
Et cuncta responsent loca:
Proles Philippi providis Phœbi artibus
Servata vivit, et valet.

VOTUM PRO INCOLUMITATE PUERI REGII, LUDOVICI XV.

ODE.

At ô Deorum quisquis imperio regis,
Et res tueris Gallicas;
Seu qui sonantes regna per currus agis,
Gradive, bellorum Pater;

Seu Pacis arbor cui suum refert decus,
    Magni Tonantis filia;
Seu qui perenni luce collustras polum,
    Vitamque das mortalibus;
Audi sub alto corde conceptas preces,
    Ac, si quid indulges, fave!
Nil hîc iniquum poscimus, nil quod pios
    Dedisse pœniteat Deos.
Nos unus angit Rege pro Puero labor;
    Hic dulce votorum est caput.
Vivat! Salutis nactus in te sedulum
    Fidumque custodem suæ,
Duris solutos sospes annos exigat
    Periculorum casibus.
Benè est. Rogare plura quid Divos juvet?
    Vel undè plus veniat boni?
Rex ô Puelle, nil ope alienâ indigus,
    Tibi ipse sufficies satis.
Ah! vive tantùm! qui tibi in venas iit
    Sanguis tot Heroum ferax!
Munusque Cœli grande, quo melius nihil
    Dedêre Superi, nec dabunt.
Hic læta spondet fata sanguis, publicæ
    Felicitatis artifex.
Sperate, Galli! surget hinc læto agmine
    Fœcunda virtutum cohors,
Magnæque mentis hospites, cùm ætas feret,
    Regale adornabunt decus.
Hinc sancta Pietas, hinc Fides, rerum et sagax
    Prudentia adsistet comes.
Hinc bellicosæ laudis ardor æmulus,
    Virtusque vinci nescia,
Stimulis virile pectus acrioribus
    Ad facta pellent fortia.
Jam sanguis ille corpore in parvo micat,
    Segnes et incusat moras.
Jam vis ocellis martia, et vultu coli
    Jam digna majestas sedet.
Timete, gentes; Regis et primos licèt

Annos vereri discite.
Quos fecit orbi Proavus attonito metus,
Faciet eosdem et Abnepos.
Ergo tenelli fata quisquis Principis
Moderaris è Cœlo, Deus;
Docilem PHILIPPUS dùm juventutem erudit,
Artemque regnandi docet,
Ades, et fideli creditum pignus manu,
Orbi tuere Gallico.

RELIGIO AD CHRISTIANISSIMUM

REGEM LUDOVICUM XV,

Regni habenas capessentem.

PROLES Tonantis, alma Cœlicolum parens;
Orbi verenda Gallico,
Adsum Polo delapsa: dùm festis sonat
Regalis aula plausibus;
Dùm quisquis ambit junioris Principis
Mollem aucupari gratiam,
Ades; measque, si quid indulges, precor
LODOICE, voces excipe.
Regnas, gravesque magni habenas Imperî
Jam flectis haud rudi manu.
Animum virilem scilicet curam et geris
Puer, nec annis indiges.
Servare lingua didicit arcani fidem,
Ars magna regnandi benè.
Quin et decorâ fronte Majestas sedet
Tam digna amari, quàm coli.
His fruere: faustum lætor omen te dare
Felicitatis publicæ.
At dùm sub æquis legibus populos reges,
Utriusque sortis arbiter;
Dùm blanda Pacis commoda et amicam bonus
Tranquillitatem divides,
Et nos tuere propiùs; en Tibi se et suas

Relligio commendat vices.
Heu! quot labores, quas et ærumnas tuli,
Cùm fureret Error impius;
Cùm fas et æquum, mihimet insultans, pede
Injurioso verteret!
Quanquam quid ultrà verear? aut ego cur vetem
Prodire, quas spes injicis?
Vidi, quod omnes deindè compescat metus,
Quod vota transcendat mea.
Vidi superbos, Magne Rex, vidi; tuos
Dicam triumphos, an meos?
Gemmis micabas Tu quidem atque auro gravis,
Et solis instar lucidus.
Velabat humeros Trabea, longo defluens
Humumque lambens syrmate.
Imposta teneræ regium fronti decus
Corona cingebat comas:
Aurata dextram sceptra decorabant manum,
Fulgebat in lævâ Themis.
Circumvolutans indè sacros ad pedes
Numerosa famulantum cohors
Certabat animis paribus, obsequio pari
Ad astra Regem tollere.
Hæc inter unum pompa dùm Te respicit;
Tuumque nomen personat;
Affusus aris ipse supplicitor meis,
Et dignitatis immemor,
Humili colebas præpotens Numen prece,
Tantò minorem Te gerens,
Quantò præire cæteris mortalibus
Et imperare dignior.
Plausêre ab alto Cœlites, festum et novis
Diem extulêre plausibus
Nunc ire demùm vertice elato licet,
Et esse securam metûs.
Quid noceat Error? Fremuit, et, vel regium
Indocilis aspectum pati,
Ad Stygia fugit ostia, et natalibus
Se se tenebris abdidit.

Absolve : tetri magna pars monstri jacet ;
Leve est, quod instat ; imperas.
Ignem doloso cinere suppositum time ;
Restingue fomitem ocyùs.
Flammas favilla tenuis immensas fovet,
Et magna parit incendia.
Sic Proavus olim, dulce præsidium et decus,
Animæque pars melior meæ,
Fatalis Hydræ semen extinxit malum,
Sibi tam timendum, quàm mihi.
Hunc sequere : magnum habes et auctorem et ducem,
Quo res tot annos Gallicæ
Stetere : Pronepos grande miretur decus,
Et æmulari gestiat.
Abscedo ; repeto Cœlitum æthereas domos :
Tu, sis memor nostrî, et vale.

PAUPERIBUS INPRIMIS

Aditum ad Christi Cunas patere.

Duro in stramine dùm tenellus Infans
Jacet multa gemens, et undequaque
Certatim ruit ad sacros Penates,
Pastorum manus innocens, suisque,
Quâ fas est, opibus levamen affert.
Dùmque partibus ultimis Eoi,
Novi syderis ad jubar vocati
Reges approperant, pioque cultu,
Et gazis Arabum atque olente Thure,
Tellus quod gremio Sabæa fundit,
Agnoscuntque Deum, et fatentur ultrò,
Quæ te segnities moratur, aut quid
Cessas, ocyùs advolare Christo ?
Illùc me rapit impetus volentem ;
Nil ego magis ambiam ; sed eheu !
Cuncta Pauperies tulit, pudetque
Ad Christi vacuum accidisse Cunas.
Ne sit Pauperies tibi pudori.

Talem te decet accidisse Christo.
Tales Christus amat; severiorem
Ipse Pauperiem colit fovetque.
En præsepia cernis obsoleta,
Et stratum paleâ torum rigenti,
Et pannos, quibus induuntur artus,
Clamant omnia Pauperes beatos.
Ergo pone metus morasque rumpe.
Advola citò, neve sit pudori
Ad Christi vacuum accidisse Cunas.

AD CHARITES ET JOCOS, etc.

Pro Regio Infante.

Vos ô deliciæ suaviores,
Formosæ Charites, Joci, Camœnæ,
Risus, blanditiæ, elegantiæque.
Et vos, omne genus facetiarum,
Et vos omne, precor, genus leporum,
Lætis agminibus venite, adeste,
Læto carmine Pupulum fovete.
  Namque flosculus ille Populorum,
Non horum modò, sed quot, aut fuerunt,
Aut deinceps aliis erunt in annis,
In vestras datur educandus ulnas.
Cantus dulcisoni placent Puello,
Ludos molliculos amat Puellus;
Ergo dulcisonos parate cantus,
Molles ocyùs apparate ludos.
  Vos hinc este procul mali dolores,
Vos hinc solliciti migrate luctus,
Puppi incommoda delicatioris.
Ah! ne turgidulis amariores,
Ah! ne lacrymulæ fluant ocellis.
Tota mellea, quid venusta tota,
(Ut mellita magis nec ipsa mella,
Nec venustior ipsa sit venustas),
Tota mellea, quid venusta tota,

Ora commeruisse, vel patrasse
Possint, lacrymulis ut immadescant,
Et fletu crucientur acriore?
Quas diras tibi, Tussis inquieta,
Quas diras, mala Febris, imprecabor!
Si tu candidulos tenellulosque,
Artus lacteolos et immerentes
Audebis rabido appetisse morsu!
Quas optabo tibi beatitates,
Favoni optime, blande, mollicelle,
Humores nocuos, maligna morbi
Irritamina, si levis flabelli
Humores nocuos fugabis aurâ.
At tu somne, veni, beate somne;
Affer quidquid habes bonæ quietis;
Mollem si quis habet dolor Puellum,
Somne, inter placidos Deos colende,
Da soporiferâ manu levamen,
Et fove tenerum quiete corpus.

AD AMICUM POETAM

Suavissimi hospitis Desiderium versibus explicantem.

Ruris delicias amœnioris,
Et mores Domini elegantiores,
Dilecte ante alios mihi sodalis,
Dùm paras lepido beare versu;
Dùm longas agis anxius querelas;
Ocyùs tibi rure tam beato,
Tam blando hospite quod fuit carendum,
Et meam quoque suscitas Camœnam;
Pertinaxque mei indices doloris
Postulas lacrymabiles Phaleucos.
Quid luctus acuis? rogare cessa;
Tibi ludere si vacat, dolori
Hoc unum licuit meo, dolere.

AD AMICUM IPSO NUPTIARUM DIE.

Ergo lætus Hymen tibi jugales
Et tædas parat, et parat corollas?
Nec est, ut solet esse, fama mendax?
O lætam nimis! ô diem beatam!
Huc vos undique, quotquot estis omnes,
Blandi, molliculi, venite, adeste,
Citi ferte pedem, mei Phaleuci.
  Erastum ad veterem meum sodalem,
Quò nullus magè candidus, bonusve
Amicus fuit, aut fuit sodalis,
Ite, ferte, precor, bonam salutem.
Nec vos dedeceat diem beatam,
Et dignam niveo diem lapillo
Ad cœlum lepido vocare versu.
Quanquam nec satis est, mei Phaleuci;
Qualem, dicite, tam bono Marito
Qualem, dicite, conjugem precabor?
  Olli virgineo natans in ore
Mixtus ingenuo pudore candor,
Index fallere nescius, latentis
Dotes explicet indolis beatas.
Sint mores nivei, prioribusque
Virtus fulgeat invidenda seclis.
Sponsum plus oculis amet, nec usquàm
Posse vivere se putet beatam,
Ni plus sponsam oculis amet Maritus.
  Sed quid vos moror, ô mei Phaleuci?
Ite, ite ocyùs ad meum sodalem,
Et quæ vota suus facit sodalis,
Quò nullus magè candidus bonusve
Amicus fuit, aut fuit sodalis,
Verbo dicere jam potestis uno:
Sponsa sit similis tibi; precari
Plura desino, jam sat es beatus.

SPECULUM AMICITIÆ SYMBOLUM.

Terris dic quibus est, quibusve in oris
Amicis magis obsequens Amicus?
Si tuis dolor intimus medullis
Vultum contrahit, asperatque frontem,
Effusosve ciet per ora fletus;
Dolores Speculum tuos dolebit,
Nec siccis poterit videre ocellis
Fletu turgidulos tuos ocellos.
Vultus lætior induis serenos?
Et laxas tenero labella risu?
Vultus et speculum induit serenos,
Et laxat tenero labella risu.
Is, accedis, abis, modò huc modò illuc?
It, accedit, abit modò huc modò illuc.
Si fugis, fugiet; manes? manebit.
Terris dic quibus est, quibusve in oris,
Amicis magis obsequens Amicus?
Placet simplicitas? amicus olli
Mixtus ingenuo pudore candor.
Nitent aureoli tibi capilli,
Et vultu igneoli micant ocelli?
Nitebit Speculum aureis capillis,
Micabit Speculum igneis ocellis.
Non sunt aureoli tibi capilli,
Nec vultu igneoli micant ocelli?
Non dabit Speculum aureos capillos,
Non dabit Speculum igneos ocellos.
Adstas barbifero nigellus ore,
Et pexis malè sordidus capillis?
Te reddet Speculum hispidum, nigellum,
Et pexis malè sordidum capillis.
Sincerus magis, aut magis fidelis,
Dic, quæso, quibus est amicus oris?

FINIS LIBRI QUARTI.

CARMINUM
LIBER QUINTUS.

FABULÆ.

LEO ET EQUUS.

Confectus annis et longâ pressus fame
Equum in patenti vidit pascentem Leo.
Hic senium incusans; ô si vires pristinæ
Adessent, inquit, ista jejunium benè
Placaret stomachum præda! sed agamus dolo,
Ubi nullus esse possit virtuti locus.
Hæc fatus, lento propiùs accedit gradu,
Equumque blandis sic compellat vocibus.
A capite ad calcem tu quidem sanus mihi
Prorsùm videris; et Deos omnes precor,
Amice, præstent sospitem et sanum diù.
At si quis ægrum fortè tentaret dolor,
Novi salubres succos, ut quisquam, optimè.
Nec morbus ullus, tam desperatus fiet,
Qui non medentis protinùs admittat manum.
Næ fortunato te mihi advectum alite,
Subjecit sonipes! qui fraudem sensit malam.
Nam nuper hæsit spina fatalis pedi,
Quæ miserum mittet orco, ni feras opem;
Pedemque Medico porrigit. Quem callidus
Dùm curiosis oculis inspectat Leo,
Simul et rimatur parte quâ prædam occupet,
Impactâ calce fortiter in feri caput,
Evertit hostem sonipes, et capiens fugam,
Medico relinquit artem exercendi locum.

Dulce implicare est in suis hostem plagis.

LUPUS PASTORIS HABITU DISSIMULATUS.

Impastus ovium frustrà lustrabat greges,
Et spem captandæ prædæ perdebat Lupus.
Pastores adeò, et vigiles excubiæ canum
Secura latè præstabant ovilia!
Quid faciat? acuit ingenium necessitas;
Et, quod vi nequeat assequi, tentat dolo.
Placet Pastoris habitum et larvam sumere:
Nec institutæ defuit fraudi modus.
Sagum aptat humeris, ornat pileolo caput,
Peramque lateri, et collo appendit fistulam;
Baculoque nitens, qui vices supplet pedi,
Sic personatus tacitum pergit ad gregem.
Cœptis favebant cuncta, namque altus sopor
Custodes ovium, et ipsos urgebat canes.
Quid multa? Solus defuit vocis sonus,
Quem dùm æmulari nititur, horrendùm rudit.
Excutitur somno Pastor, accurrunt canes.
Frustrà obluctari, capere vel fugam Lupus.
Suis implexus phaleris occumbit neci.

Nequit diù latere qui nectit dolos;
Se prodit ipsa, vel serò, fallacia.

LIGNATOR ET MORS.

Fractus labore Rusticus atque annis gravis
Sub nocte serâ se se referebat domum:
Exsportans humeris magnam lignorum struem.
At mox succumbens oneri fasciculum abjicit;
Superque sidens, et graves molestias
Animo revolvens, eheu me! infelix ait,
Quid longiorem vitam in ærumnis traho,
Æger, rebusque destitutus omnibus?
O Mors, ô bona Mors, hùc ades, et longo modum
Tandem labori pone. Quæ dùm diceret,

Vocata se Mors obtulit, qualis solet
Videri, faciem lurida et dextram horridâ
Armata falce; quæ compellans Rusticum;
En, inquit, adsum; quid vis? nil ego te morer;
Eloquere. Amicam, Mors bona, respondit senex,
Si commodare velles tantisper manum,
Et hujus aliquam ferre partem sarcinæ,
Non te labor hic gravabit, nec longa est via.

Multi mortem optant; pauci, cum advenit, ferunt.

VULPES ET FELIS.

Maligna Felis et subdola Vulpecula
Certabant, utra melior versandis dolis;
Et fertilioris laudem ferret ingenî.
Mihi fœcundo sunt mille artes in sinu,
Vulpes aiebat, mille sunt fallaciæ.
Tibi mille retulit Felis, esse artes ais?
Ego unam novi, mille quæ vincat tuas.
Super his, inter se dùm contendunt acriùs
Crebro latratu pulsus aër personat;
Canumque numerus ingens accelerat gradum.
Tum Felis: agedùm; pectus fœcundum excute,
Amica Vulpes, teque hinc, si potes, expedi.
Ego salutis unicum hunc novi modum:
Levique saltu celsam scandit arborem.
Tum cursitare Vulpes hinc et hinc; vias
Relegere easdem sæpiùs, perque salebras
Cuniculosque ludere instantes canes.
Lassatur illa denique; et vi cedere
Coacta nullum reperit effugio locum.
Suâ quam Felis despectans ab arbore,

Hoc disce moriens, inquit: artes plurimæ
Sæpè obsunt; una sufficit, si sit bona.

LEO PODAGRA LABORANS.

CONFECTUS annis et gravi Leo æstuans
Podagræ dolore, jussit acciri feras;
Fors si qua longo ferret medicinam malo,
Aut mitigare posset ægritudinem.
Studio obsequendi turba convenit frequens.
Astuta vulpes, subolens nescio quid mali,
Domi remansit; cui dudùm infensus Lupus
Occasionem captat maledicentiæ;
Vulpisque vocat in invidiam absentis fidem.
Continuò ut adsit Vulpes edicit Leo.
Quæ cùm adstitisset, et malum ingenium Lupi
Sensisset; equidem, ô Rex, ne me incuses, ait:
Namque indè in oras peregrinata dissitas,
Concepta pro te vota reddebam Deis.
Quin sciscitanti quæ morbo foret tuo
Salubrior medela, responsum hoc fuit.
Nativus in Leone defecit calor,
Quem suscitare si volet, pellem Lupo
Vivo revellat, et adhuc fumantem induat.
Nil contra humores frigidos præsentius.
Applausit cœtus omnis, in Lupum involant;
Et reclamanti frustrà diripiunt cutem.
Detracta pellis endromis algenti fuit;
Nudata impasto membra struxerunt dapes.

Sic improbis plerumque sua improbitas nocet.

LIGNATOR ET MERCURIUS.

DUM ligna cædit pauper Lignator, suas
Opes, securim, spemque vitæ perdidit.
Namque hac parabat natis et victum sibi.
Quid agat infelix isto rerum in cardine;
Aut undè quærat gravibus ærumnis modum?
Frustrà querelas integrat, frustrà gemit.
Ergò, quod unum miseris est solatium,
Multâ fatigat Superos et Jovem prece.

O Rex Deorum, si nec insanas opes,
Nec inanes unquàm, sorte contentus meâ,
Ambivi titulos, da malo ereptam dolo
Reddat securim prædo, quisquis abstulit:
Vitamque, per te quâ fruor, rursùm dabis.
Audiit orantem Jupiter, et mittens Polo
Mercurium, facere compotem voti jubet.
Tum Maiâ genitus blandè compellans virum.
Omitte fletus, inquit; non est perdita,
Ut reris, et adhuc te tua securis manet.
Agnoscis illam? simul et auream porrigit.
At ille: non est hæc mea, ô Divum optime.
Cui Superûm Interpres porrigens argenteam,
Et ista, dixit? Hanc negat pariter suam.
Monstrata demùm est lignea. Hæc porrò mea est,
Lignator, inquit, quam tu si dederis bonus,
Nil restat ultrà, quod te, vel Superos rogem.
Tuam ergo recipe, retulit Athlantis Nepos.
Sed auream insuper atque argenteam feres,
Sinceritatis dignam mercedem tuæ.
Vulgata res est; et securim mox suam
Lignator quisque perdit, et iniquis Jovem
Votis fatigat. Rursùm in terras mittitur
Mercurius, qui securim cunctis auream
Dùm monstrat, illam nemo non repetit suam.
Hâc dignus ultor in caput mendacium
Impactâ, medios findit, et absolvit Jovem.

Parvo beatus quisquis est, verum colit;
Mendacium una parturit cupiditas.

QUERCUS ET ARUNDO.

DEPRESSUS sæpè præstat excelso locus.

Quercus superbum cœlo condens verticem,
Terræque fixa penitùs, Eurorum minas,
Boreæque rabiem, et furias ridebat Noti.
Arundo contrà Zephirorum ludibrium

Leves ad auras humile ponebat caput.
Vidit procera Quercus, et amaros sales
Jactans; Arundo, me tuî miseret, ait.
Quam flatus usque tenuis huc illuc rotat,
Nullam quietis vel brevem indulgens moram.
Ego procellas inter Austrorum graves,
Irasque fulminantis ultrices Poli,
Immota stare didici, nec periculi
Securam, turbat ulla tempestas metu;
Tu saltem nobis propior si consisteres,
Ramorum in umbrâ tuta sentires opem.
Ast innatantem limosis paludibus
Præstare quis te salvam et incolumen queat?
Ad hæc Arundo subrigens paulùm caput,
Næ grates inquit refero permultas tibi,
Quam tanta nostrî cepit commiseratio.
Tamen depone quam pro me curam geris:
Neque me procellis sic natam iratis putes.
Equidem tempestas quoties vesana ingruit,
Cedo, et modestum patiens submitto caput.
At cedere ultrò malim quam frangi: Deos
Preçor, tuas ut vires fortunent tibi.
Super his, ab Arcto Boreas immanis fremit;
Eoâ pariter Eurus exsurgit plagâ;
Bacchatur Auster, et tremendas invicem
Luctati toto suscitant rixas Polo.
Tum cedere Arundo solita eludit impetum:
Inflecti Quercus nescia, et frontem arduam
Contra procellam obnixa miserè frangitur.
Quæ cùm jaceret, hæc Arundo subjicit:

Nil prodest robur si desit prudentia.

LUPUS ET PASTORES.

Ferocitatis olim pœnituit Lupum;
Et cogitasse dicitur frugem bonam.
An illa vita est, inquit, quam nos vivimus;
Exosi, abominandi, detestabiles?

Hinc mihi perennes Pastor insidias struit;
Ferox Molossus indè venientem allatrat.
Nec ipse, vix à lacte depulsus puer,
Diris vovere parcit immeritum Lupum.
Tamen quid egi? vel quod plector ob scelus?
Agnellus magno scilicet ereptus gregi,
Jejuno vel ovis macra quæ pastum dedit,
Aut missus Orco fortè scabiosus canis,
Tot in me turbas, tot tumultus excitant.
Et ista me me tam gravem in invidiam vocent?
Si tanto redimi debuit factum malo;
Præstat deinceps abstinere carnibus;
Mihi mollis herba facilem sufficiet cibum,
Vesanâ vel si fuerit pereundum fame,
Esto, moriamur: adeòne est miserum mori,
Vita ut sit miserâ potior letho nobili?
Dùm versat ista corde sub tacito Lupus;
Vidit Pastores eminùs; queis commodè
Tostus parabat agnus egregias dapes.
Ad se reversus oh! oh, indignans ait,
Custodes ovium nec suo parcunt gregi:
Religio memet interim et inanis metus
Servare longa suadeant jejunia?
Non patiar, cœlum testor atque omnes Deos.
Grex ille totus mihi debetur victima;
Ovis nec ulla dentes effugiet meos.

Ferocitatis arguunt multi Lupum;
Ferociores esse quos Lupo haud piget.

VULPES CAUDAM MUTILA.

Vulpes opertìs intercepta cassibus
Periculosam sic evaserat aleam,
Ut tristem faceret caudæ jacturam suæ.
Quam cùm puderet decurtatam incedere,
Suæque gentis metueret ludibrium;
Celare, quâ fas, probrum prudens nititur,
Dùm quis modus medendi succurrat malo.

Versanti secum multa nil visum est priùs,
Quàm proprium in omnes dedecus refundere.
Quare suorum nacta concilium frequens,
Quid inane, dixit, caudæ nos pondus juvat
Post tergum trahere? nempè ut verramus solum,
Et demus hosti facilem lædendi locum.
Hoc ipsa sensi damno tantùm non meo;
Molesta mortem cauda cui pœnè intulit.
Si sapimus ergo, caudam sibi quisque amputet.
Hæc illa. Causam cùm perorasset suam,
Næ bellè sentis, una, quæ rem noverat,
Respondit; at tu verte terga, ni grave est,
Et quàm, quod suades, deceat, exemplo doce.
Quæ dùm se prodit decurtatam turpiter,
Ridendum de se contulit spectaculum.
Nec morem induxit vulpinam in gentem novum.

Communia esse cupimus, quæ patimur mala.

ANIMALIA PESTE LABORANTIA.

FURENS per agros perque sylvarum abdita
Contagiosa Pestis urgebat Feras.
Non avida quemquam prædæ suadebat fames
Prodire nemorum latebris. Crudeli lue
Peresa passìm corpora jacebant solo,
Tristique cuncta planctu resonabant loca.
Timuit extremam populis perniciem suis,
Malique arcendi cupidus regnator Leo,
Cœtum ferarum consilî in partem vocat.
Venere, morbi quos sivit vis effera
Languentes artus trahere. Queis fausta omnia
Leo apprecatus; nostræ quo res sunt loco,
Videtis, inquit: patimur iratos Deos.
Debetur illis pro peccato victima;
Ergo litetur animâ, quæ magis nocens
Vestro fuisse calculo censebitur.
Nil ipse dubitem primus ante alios palàm
Fateri, quæ mens conscia fecisse arguit.

Memini mactatas non semel immeritas oves,
Nec ipsis esse parcitum pastoribus.
Pro quo si videor vobis promeritus necem,
Offensi nostro sanguine placentur Dei.
At nemo vestrûm, si quod admisit, scelus
Ultrò accusare dubitet. Nam quis te malus,
Rex magne, vexat scrupulus? vulpes ait;
Næ fortunatas sorte oves illas suâ,
Quotquot palato sapere meruerunt tuo.
Nec tibi Pastorum gravior religio incidat:
Sua illi meriti fata, qui nostrum genus
Odere, totque nobis procudunt mala.
Applausit omnis Aulicorum natio;
Suoque Regem calculo culpâ eximunt.
Tygris absolutus pariter, Ursus et Lupus,
Acres Molossi, nobiliumque quidquid est
Ferarum, quibus ignovit assentatio.
Venit et Asellus, cujus in vultu pudor,
Index doloris, vox et flebiliter sonans:
Heu memini, dixit, olim dùm essem junior,
Urgente rabidâ jam diù impastum fame,
Aut, quod lubenter suspicor infelix, malo
Me, me instigante Dæmone, paulùm graminis
Prato ex virenti carpere; hoc furtum quidem
Leve, ut videtis, sed tamen furtum fuit.
Continuò facinus omnes execrabile
Conclamant, et cruentâ plectendum nece:
Sic asperatos posse placari Deos.
Nec plura, in unum facto insurgunt impete;
Et immerentem pro cunctis Asinum enecant.

Plectuntur fures, parcitur Latronibus.

LUPOS INTER
ET OVES INITA PAX.

Oves inter Luposque certis legibus
Cassatum ab armis, pax et inita dicitur.

Utramque gentem nempè belli tædium
Cepit, turpisque visa potior est quies.
Nam gregibus ovium si Lupi inferrent necem,
Acres Molossi multos mactabant Lupos.
At ne libido belli mala resurgeret;
Utrinque placuit obsides pacis dare:
Oves Molossos, Catulos miserunt Lupi.
Exin iræ quierunt, et pacis bonæ
Uterque populus placidæ sensit gaudia.
Verùm ubi Luporum catuli creverunt semel,
Terribilesque esse timido cœperunt gregi;
Lupi Molossos obsides furtìm enecant.
Tùm suscitari denuò bellum acriùs,
Ovium cruentâ hùc usque funestum nece.

Pax nulla fieri certa cum improbis potest.

ASINUS ET CATELLUS.

Dum blandientis inter amplexus heri
Ludit Catellus; Asino livor æmulus
Duros sub ægro corde stimulos suscitat,
Fortunâ quod non ipse gauderet pari.
Nem[illegible]nquiebat, solus secum murmurans,
Beat[illegible]ille Domini dormit in sinu;
Herili mensæ dulcis conviva assidet,
Mille insupèr, cùm placuit, captat oscula.
Ego dùm olentis stabuli vilis incola,
Miserisque pastus nec satur unquàm carduis,
Obscuram latebris abditus vitam traho.
Aut duriorem dorso ferre sarcinam
Coactus, crebris ad pistrinum fustibus
Agor, infelicem scilicet ut versem molam.
At undè meruit ille blanditias heri?
An quòd vicissim Domino blanditias refert?
Quòd amica reddit oscula? quòd dulce allatrat?
Quòd imperantis tendit ad vocem manum?
His gratiosus si Catellus artibus
Potuit videri, eandem tentemus viam;

Fors nobis ea res haud minùs bellè cadet.
Dùm quærit igitur aptum consiliis locum,
Occurrit Dominus, quàm solebat, lætior;
Occasionem commodam Asellus occupat;
Et blandiendi cupidus, surgens in pedes
Utrâque calce Domini pectus impetit,
Mentumque et ipsas duriter fricat genas.
Ac ne quis desit blandis illecebris modus,
Intempestivo rudere non dubitat sono.
Pecudis protervæ Dominus impudentiam
Miratus, dextrâ fustem extemplò corripit,
Simul et dolatum lumbos liberaliter,
Olentes agit ad latebras Arcadicum pecus.

Paucorum est garrire et blandiri comiter.

EQUUS, VULPES, AC LUPUS.

Pascebat phaleris liber excussis Equus.
Vidit dolosa Vulpes, et Lupum admonens,
Ades hùc, et istam, dixit, cerne belluam.
Pol! illa ventrem placet iratum benè,
Tam tereti tota corpore et pingui nitet!
Nostra est, solerti si modò ingenio vales.
Cui retulit alter; qui simus, noris brevi.
Dùm curis ambo paribus accelerant gradum,
Sensit malignas artes, quas struerent, Equus:
Cœpitque retrò cedere, ad quem sic Lupus:
Subsiste paulùm, Amice, nam cur nos fugis?
Dic undè in istas hospes accesti plagas?
Et ede nomen. Patria et nomen latent,
Subjecit Sonipes; si tamen nosse id placet,
Utrumque calci mater inscripsit probè;
Perlegite simul, et porrigit dextrum pedem.
Hîc se se incusans Vulpes callida; Dii malè,
Exclamat! nullas quòd ego novi Litteras.
Tunc eruditi famam captans ingenî,
Accedit, istud, quidquid est, Lupus ut legat.
Quem Sonipes, calce fortiter impactâ in caput,

Conspersum sanie plurimâ affigit solo.
Cui Vulpes; næ quid fecisses consultiùs,
Si sapere tu, quàm legere, didicisses priùs.

Stultitiâ graviùs hoc ferunt stulti malum
Plerumque, quòd videri sapientes volunt.

FELIS SENIOR ET JUNIOR MUS.

Impastum in Felem Musculus quondam incidit,
Qui nullum cùm videret effugio locum,
Hostem timendum sic est aggressus prece:
Heu me! quid egi, dixit, ô Felum optime,
Vel undè merui, quam mihi paras, necem?
Tantillus an nocere quid possum tibi?
Aut perdere istam, quam vigil servas domum;
Cui modica vitam grana sustentent benè,
Quem nux rotundum reddere ac teretem queat?
Saltem si dignum haberes in me ferculum.
At cerne; tenuis ossa vix operit cutis.
Jejuna cui tùm Felis: hæc aliis canes.
Iratam verba, Muscule, haud satiant famem.

Quisquis nocere statuit, non audit preces.

AMICI DUO.

Vixisse narrant par Amicorùm inclytum,
Quales nec ætas tulerat in terris prior,
Quales nec ætas, credo, posterior feret.
Communia utrique fecerat amor omnia;
Divitias, luctus, gaudia, et spes et metus;
Ac lætum si quid, triste si quid alteri
Sors contulisset, idem fiebat, invicem
Communicando, gratius, vel mitius.
Dùm nocte quâdam terras per cunctas sopor
Regnaret, stratis alter amborum exilit,
Suâque tacitus se se proripiens domo,
Amici ad ædes celeri divertit gradu.
Ictuque crebro fortiter pulsans fores,

Mersam sopore suscitat totam domum.
Loculos et ensem protinùs alter corripit,
Foribusque, quâ fit strepitus, accensâ face
Accedens, quid rei sit, quærit anxius.
Videns Amicum, nam cur hâc horâ, precor,
Tamque intempestâ nocte, dixit? an tibi
Iniqua cecidit alea? En loculos cape:
Tui sunt. Vim-ne vel probrum quisquam intulit?
Hic ensis crimen expiabit, aut mihi
Scelestus ille, quisquis est, vitam auferet.
Ten' vacuâ solum vivere tædet in domo?
Hîc gratus hospes habita, quàm voles, diu,
Et me meisque sodes utere prò tuis.
Cui retulit alter, nil velim rerum omnium.
At tristior tu visus in somnis mihi:
Ingrata species movit sollicitos metus;
Id viso, numquid ars mea efficiat tibi.

Uter videri debuit Amicus magis?
Amicus, res ô blanda, gazisque omnibus
Potior! Amicus quisquis est, sentit satis,
Levatque Amici non lacessitus malum.

DIVES ET SUTOR PAUPER.

PROPTER superbas ædes hominis Divitis
Pauper locarât Sutor angustos lares.
Illâ beatus sorte quam dederant Dei,
Noctem trahebat somno, quàm longa est, gravi,
Laboriosam cantu fallebat diem.
Insomnis contrà Dives noctes integras;
Molli nequicquàm membra versabat toro:
Aut manè summo si fors obrepens sopor
Clausisset oculos, Pauperis cantu excitus
Nullum quieti norat tranquillæ locum.
Is evocatum quâdam Sutorem die,
Sic allocutus fertur: dic precor, ô bone;
Quæ te beatum causa tamque hilarem facit?
An ampla tibi res et tuis nitet domi?

Ars illa, quam tu tractas, an quæstum parit?
Cui retulit alter; parce; nil rerum omnium,
Quas suspicaris; tam malè nunquàm viximus;
Res hodie pejor, olim quàm fuit; lucrum
Cessavit omne, vix et assiduus labor,
Quò victitare liceat, fructum sufficit.
Quid facias? nihilò vivimus læti minùs;
Et quoniam nobis esse meliùs non potest,
Quodcumque cecidit, illo contenti sumus.
Dives miratus hominis mores candidos,
Atqui beatis unus è mortalibus
Mo[illegible]ies, inquit; en cape hos centum aureos,
Et faustis avibus repete quos habitas lares.
Reversus ille, sortem et gratatus bonam,
Defodere partas sedulò imprudens opes,
Et tanquàm sacris parcere. At curæ simul
Crevere; crevit mentis anxietas, pavor,
Defossum ne quis fortè thesaurum auferat.
Ire et redire centies noctu et diu,
Repostos quo latere norat aureos.
Mox exulare gaudia, atque altum domi
Regnare solidos per dies silentium.
Agnovit ille causam turbatum ac caput;
Malum nec ultrà passus ingravescere,
Divitis in ædes revolat, et centum aureos
Restituens, reddo, dixit, quas dederas, opes;
Tu nostra pariter redde nobis gaudia.

Ingentes curas pariunt ingentes opes.

CANIS ET ASINUS.

CARPEBANT pariter Asinus et Canis viam,
Agente utrumque proximam in urbem Rustico.
Hic dùm labore fessus et vino gravis
Obdormit, Asinus herbam nactus roscidam
Bellè prandebat, ad quem conversus Canis,
Latrante multùm stomacho, ni grave est, ait,
[illegible]e, dorsum deprime, inflexo genu,

Meum è canistris ipse ut sumam prandium.
Cui retulit alter, rebus attentus suis,
Et otiari metuens, nè te macera;
Paulùm opperire, mox somnum excutiens herus
Te portione non defraudabit tuâ.
Hæc inter denso properat è saltu Lupus;
Quem conspicatus Asinus, occidimus, ait,
Amice, utrique præsens mi avertas malum.
Cui vicissìm placidè respondens Canis,
Confide sodes, mox somnum abrumpens herus,
Procùl hinc invisum nobis arcebit Lupum.
Si quid vereris interim, mecum fuge;
Aut si te cursu melior valeat assequi,
Impinge calces fortiter in feri caput.
Recens paratis ut es instructus calcibus,
Diffindes medium, teque sic salvum dabis.
Plenum salutis consilium: hic porrò labor
Perficere factis dicta; nam Lupus interim
Deliberantem frustrà mactat belluam.

Hujus Fabellæ, quisquis es, fructum hunc cape;
Officiis quisque mutuis, ut se adjuvet.

MEMBRORUM

IN STOMACHUM CONJURATIO.

Quod machinantur Regibus Populi malum,
Ipsos idem plerumque in auctores cadit.

Exarsit olim, Vatibus si qua est fides,
Membrorum gravis in Stomachum conjuratio.
Cur ille cesset, et fruatur otio,
Aiunt, assiduus dùm nos exercet labor?
Nimirùm vigilent oculi, discurrant pedes,
Avidam latrantis Stomachi ut exsatient famem?
Sit illa cura manibus, ut parent cibos;
Dentes molant eosdem, lingua molliat,
Ne crudiores veniant delicatulo;
Quiescat unus corpore in toto interim

Laboris expers atque sollicitudinis?
Bellè; otiemur pariter, et curæ exulent;
Mox ille discet esse laborandum sibi,
Jejunio nisi longo delectabitur.
Quid multa? stultum cunctis consilium placet;
Et feriari dulce est. At dùm cibo
Vacuus inopsque Stomachus sensim dèficit:
En languor idem corpus in totum meat,
Et membra tentat omnia; gravatur caput;
Hebescunt oculi, languidæ torpent manus,
Pedesque molem corporis ferre abnuunt.
Tùm conjurati damnant errorem suum,
Et solitas operum singuli repetunt vices;
Tam visus ille desidis expers otii,
Suus undè cunctis advenit membris vigor!

Negotiosa qui carpunt Regum otia
Hinc illi capiant grande documentum sibi.

VILLICUS, CANIS, ET VULPES.

Repertam Altilibus ditis chortem Villici
Jejuna Vulpes frustrà perlustraverat;
Nec, quâ subiret, se se monstrabat via.
Tùm questa graviter et sortem incusans suam;
Men' usque ludat, inquit, hominum pessimus?
Nimirùm pullos hic alat multos sibi;
Mihi nulla præda veniat? adjuro Stygis
Superis verendum Numen, ulciscar probrum.
Nondùm exhaustæ artes penitùs, aut nullus super
Restat malignus corde sub tacito dolus.
Hæc dùm silenti nocte secum diceret,
Mentemque dubiam varias in partes trahunt
Consilia, vidit fortè posticum patens.
Continuò, quâ fit aditus, illac insilit,
Et somnolentum hinc indè repperiens gregem
Miseras ubique dentibus strages ciet.
Non tam cruentus sævît in miseras oves,
Olim cùm fureret Ajax, et Ulyssem neci

Proceresque Graios posceret. Agnovit malum
Exsuscitatus dulci somno Villicus;
Servosque et ipsum graviter increpat Canem,
Sævum Latronem qui non allatraverat.
Ad quem Latrator retulit, ignosces, Here;
Ego dormiebam. Dormiebas furcifer,
Reponit ille? Tene his pasco legibus,
Ut comedas per diem, et per noctem dormias?
Ades hùc, et quas mereris pœnas accipe.
Cur vapulem insons, placidus adjecit Canis?
Tu cujus hæc sunt, si tam custodis malè,
Foribus apertis ut securus dormias;
An me privari somno mancipium interim,
Tuaque tueri, quàm tu diligentiùs?

PARASITUS DIVITIS

AD MENSAM SEDENS.

Mensæ assidebat Divitis non sordidi
Ex illis unus, quos Parasitos nuncupant,
Dabatque lepidos de se Convivis jocos.
Is placidos nactus mores et bonam indolem;
Angusta quam perfecerat necessitas,
Turbæ procacis ultrò spernebat sales,
Et delicatis se se pascebat cibis.
Quidam insolentem miratus patientiam;
Non sentis, inquit, quibus hi te stimulis petant?
Subridens alter hanc narravit Fabulam.
Pascens Asellus dùm voraret carduos,
Risu procaci stupidum illudebant ferum,
Quæ pastum eòdem Belluæ convenerant.
Quas inter Simia insultans maligniùs;
O te palati felicem inprimis, ait,
Amice; qui tot non sentis aculeos.
Risit vicissim Belluæ fastidium
Asinus, et aures quatiens, ac jactans caput;
Nulla mora est, pungant, inquit, dùm saturent famem.

Conviciantes tùm Parasitus intuens
Hac lege vestros, dixit, ego ludos feram.

Dicacitatis ille culmen attigit,
Quisquis jocum retundit meliori joco.

MORS MEDICI HABITU DISSIMULATA.

NULLUM est salubre contra Mortem Pharmacum.

Dùm terras habitat sociis cum fidelibus,
Suas et artes impendit feliciter
Satus Phæbeo sanguine Æsculapius;
Mors numerum minui vidit Umbrarum in dies,
Et esse vacuas Ditis inferni domos.
Ergòne, dixit, vile, mortales, genus
Mihi meisque regnis illudant palàm?
Devota nempè, jam depontani senes,
Eudùm Orco capita nostras effugiant manus?
Tamen quis esse possit vindictæ modus?
Nam dira febrium atque morborum cohors,
Comitatus Mortis lætifer, salubribus
Exacta succis ferre jam nequeunt opem.
Ergo versare fraudes, et, quod publicæ
Prodest saluti, vertere exitio parat.
Quid multa? statuit ipsa Medicum fingere,
Habitusque et ora ferre quæ Medici solent.
Mora nulla, falcem ponit infestam manu.
Nudumque fictis ornat calvitium comis.
Dein pulchrâ maciem lividam larvâ tegens
Dissimulat pullâ veste compagem osseam,
Et curtum denique in mulum levis insilit.
Hoc personata pacto per vicos subit,
Per et plateas, febricitantium et domos;
Et apertis ultrò dùm portis admittitur,
Contagiosos afflat cunctis spiritus,
Et prædâ potitur. Placuit hoc fraudis genus;
Hinc mors eandem retinens hodieque indolem,
Aut Medicum simulat, aut post equitantem sedet.

RIVULUS.

Pauperculorum non est liberalitas.

Rivulus ab alto montis lapsus vertice
Celeres agebat terris è patriis aquas.
Urgebat illum scilicet studium haud leve,
Ut vectigales ferret Oceano patri,
Quas se debere norat acceptas opes.
Dùm tentat ergo varios per flexus iter;
Et circum abrupta saxis decurrit loca;
Molli susurro lentas increpitans moras,
Quas festinanti mille nectunt objices.
Ecce è propinquo Naias assurgens stetit,
Et sic amicè compellavit Rivulum.
Nam te quis urget patrio extorrem solo?
Vel quò defers anhelus præcipites aquas?
Sic illa; pauca Rivulus contra refert.
Quodcumque aquarum tenuis volvit alveus,
O Diva, totum dedit hoc Oceanus pater.
Nos ergo ferimur illùc, quo pietas, amor,
Quo gratus animus haud reluctantes rapit.
Obsequii si fors nostri vectigal leve
Oceanus ultrò genitor delatum probet.
Benè est: hunc animum laudo, subjecit Dea,
Qui nescit in re tenui parsimoniam.
At crède nobis; sit magnorum fluminum
Ingentem aquarum multo fastu copiam
Oceano ferre, tantulus tu quid juves?

Modulo se quemque oportet metiri suo.

PSITTACUS LAUDATOR.

Dies redibat avibus ex longo sacer
Cultu per sylvas annuo suetus coli.
Hoc nempè Fasti volucrum memorabant die,
Grandi servatum clade pennatum genus.

Ergo solenni dùm fiunt ritu Sacra,
Et inter omnes studio certatur pari,
De more grates Divis Immortalibus
Oratione quis rèpendat publicâ?
Mendare visum est Psittaco hanc provinciam.
Ille obsecutus ultrò frondosam insilit
Protinùs in ulmum; multaque in honorem Deûm
Præfatus gentis labitur in laudem suæ;
Et quas in unum quemque, non parcâ manu,
Natura dotes fuderat, solers canit.
Luscinia palmam vocis ante alias aves
Tulisse fertur. Candidi laudem ingent
Habuit Columbus; Turturis blandam indolem,
Studium inquietum Passeris, Prognes fidem,
Meritis Orator prædicavit cantibus.
Nec pigris avibus certâ pernicies Merops;
Nec qui morantem Gallus Auroram solet
Cantu increpare, laude caruerunt suâ.
Quin et senectæ, quâ præibat cæteris,
Insigne Corvus rettulit præconium.
Tibique, Bubo, virtutis loco datum est,
Quò vitæ cum sis et rerum commercio
Cuilibet ineptus, te prudenter subtrahas,
Solusque cæcis vivere in latebris ames.
Sic demum ad omnes pars laudis venit suæ,
Ut esse quivis sorte contentus queat.
Tamen malignus Corvum livor exedit;
Sibique mœrens vocis ereptum decus,
Diras precatur immerenti Psittaco.
Dùm multa secum crocitat, occurrit ferox,
Cristam superbo fastu Gallus arrigens;
Ergo canendi, Psittaco si creditur,
Jus solam, dixit, omne Lusciniam est penes,
Longumque nobis dicitur silentium.
Tales ab antro Bubo voces audiit;
Secum et revolvens tacitus, num pariter sibi
Sit aliquid, undè Psittaco succenseat;
Non digna solitudo laus visa est satis;
Et vindicandum credit inustum dedecus.

At ne qua sanis desit consiliis mora,
Tacito volatu repit vicinam in specum,
Ubi fidus hospes habitat Vespertilio.
Is improbato facinore iras concipit:
Et jam pericli factus ex illo comes
Ad vindicandum semet accingit probrum.
Ergo animis paribus illa conjurat cohors,
Et immerenti Psittaco insidias struit.
At non aperto marte hostem lacessere,
Sed per latebras quærere nocendi locum.
Nil tamen inanis profuit prudentia.
Nam reliquis avibus tota fraus innotuit:
Quæ tam impudentem detestatæ audaciam,
Malam hanc catervam statuunt conjurantium
Arcere deinceps avium honestis cœtibus.
Gallus jubetur solus annos exigat,
Corvusque pariter; Bubo cum fido hospite,
Non invidendo gaudeat consortio.

Alienis non est invidendum laudibus.

UNDE APES REFUGIUNT

A LOCIS RESONANTIBUS.

FABULA.

Fusus per herbam fortè dùm rosas legit,
    Et mixta violis lilia,
Mitesque succos exprimit blandus puer
    Melissus in dapes Deûm.
Iniqua mollem spina lancinat manum,
    Et acre vulnus incutit.
Dolore victus flebile ingemuit puer:
    Lectosque flores abjicit;
Opemque matris invocans, totum suis
    Implet querelis æthera.
At ecce questus matris et nomen refert
    Echò propinquì littoris.
Stupet Melissus, seque derisum ratus

Rursùs querelas integrat;
Scurramque diris devovet : diras quoque
Remittit Echo pertinax.
Crudescit ardor; et furoris impotens
Ad ultionem convolat.
Et littus, hostem quo latere credidit,
Petit citatis passibus.
At quo Melissus littori accedit magis,
Et clamitans valentiùs
Hostem probris lacessit; hoc valentiùs
Echo remittit et probra.
Fremit puer, minatur; hæc pariter fremit,
Easdem et intentat minas.
Quid multa; littori puer jam advenerat;
Et vidit esse neminem.
Putat latere; corpus inclinat; sed heu!
Melissus in flumen cadit.
Flevit cadendo; flevit Echo similiter,
Puerique lusit in vices.
Motus Melissi sorte Jupiter, jubet
Apem puellus induat.
Et quod Melissus ante, nunc Apis facit;
Et, cura quæ fuit, manet.
Per prata flores carpit in dapes Deûm;
Fugitque resonantes locos.

SELECTÆ QUÆDAM

È FABULIS C. LE BEAU.

LIGNATOR ET MERCURIUS.

PERDIDERAT, vitæ spem subsidiumque, securim
Lignator, quam perque vias perque avia quærens,
Ibat luctisono turbans nemora alta boatu.
Quid faciat? Jam torpet iners, jam pendet inermis
Dextera; jam nulla est, heu! quæ fuit una, securis.
Ergo per invisos saltus jejunus et expes
Reptabat, rugas fletu humectante seniles.
« O mea, clamabat! redde hanc, ô summe Deorum,
» Redde, vel ipse tuo caput hoc nunc dejice telo. »
Audiit Omnipotens. Cœlo Cyllenius ales
Devolat. « Illa tibi non occidit, ô bone; vultus
» Terge tuos. Poteris-ne memor gaudere repertâ?
» Fallimur aut mediâ splendentem vidimus herbâ.. »
Et simul hæc, simul una, Deo signante, refulsit
Aurea. « Fortunæ non sunt hæc munera nostræ »,
Alter ait. Dein argento nitet altera. Tristis
Abnegat. È noto monstratur tertia ligno.
Exilit hic; « Nostra est, animæ pars maxima, clamat,
» Nostra veni. — Reliquas etiam, Deus inquit, habeto,
» Præmia sinceræ mentis. » Capit ille renidens.
Fama simul totis volat undiquè garrula silvis.
Omnis Lignator certatim perdere ferrum
Sponte fluens; cœlumque avidis incendere votis;
Non habet attonitas quò vertat Jupiter aures.
Mercurium sibi quisque vocat. Mora nulla, vocanti
Missus adest, monstratque auro radiante securim.
Protinùs, « hæc nostra est » clamat, ridente metallo,
Callida gens. At non incallidus alter, aventes

Frustratus dextras, mentitam ut quisque bipennem
Captat hians, caput impacto gravis increpat auro.

GLANS ET CUCURBITA.

Cur prono jaceat demissa Cucurbita ventre,
Inque humili tantum pondus radice recumbat,
Multo versabat mentis molimine secum
Rusticus, impexos digitis de more capillos
Sollicitans : « certè rerum magna illa creatrix,
» Quam, benè si memini, naturam nomine dicunt,
» Somniat, et jam consilio delirat anili.
» Repere nam quid humi molem hanc jubet, atq; ita vasto
» Orbe laborantem, digitali insistere caule;
» Dùm Glans, tantulum onus, quercu sublimis ab altâ
» Eminet, audacique assurgit ad æthera nisu?
» Imò debuerat robustâ ex ilice, tanti
» Crescere majestas fructûs; et, caule modesto
» Contenta, in summâ Glans parvula serpere terrâ.
» Sedes cuique sua est. Ego si natura fuissem,
» Quæque suâ videas pendere ex arbore poma. »
Æstuat, hæc secum volvens iterùmque revolvens,
Quòque mágis versat, minùs explicat; ipse sagacem
Se stupet, et tanto sibi plaudit acumine mentis.
Cùm tamen illabens tentaret lumina somnus,
(Proxima quercus erat) quercum projectus ad imam
Deponit caput, et languentes porrigit artus.
Dùmque jacet lecto viridi, dùm, nare supinâ,
Securos proflat sublimi pectore rhonchos;
Decidit, et summo decussa cacumine quercûs
Insonuit naso Glans, atque illisa resultat.
Ringitur excussus somno, læsasque ruinâ
Explorat trepidus nares, Dextrâque pererrat.
Ecce manum admotam sequitur de vulnere fusus
Sanguis : in hirsutâ Glans hæserat improba barbâ.
Tùm palmâ nasum admulcens : « Proh, Jupiter! Inquit,
» Quantum vulnus erat, si fortè in totius oris
» Exitium, gravior venisset ab ilice moles,
» Læsissetque meos pro Glande Cucurbita vultus. »

ASINUS PELLE LEONIS INDUTUS.

Ibat magnanimi vestitus pelle Leonis,
Ingentes glomerans gressus; multâque jubarum
Majestate ferox, capita alta ferebat asellus.
Horrendæ quòcumque tulit mendacia formæ,
It subitus latè terror; fugêre coloni,
Matresque et pavidi linquunt magalia nati.
Arduus insequitur, falsosque per arva triumphos
Victor agit; sævo, nova bellua, gaudet amictu.
Ecce autem, compressa diù, tandem emicat auris
Indignata moras, et in altum prosilit, index
Perfida, et Arcadicum prodens manifesta Leonem.
Aspiciunt, rident; concurritur; exuit ille
Regalem pompam; formidatosque colonis
Cogitur infelix, jam non Leo, ponere vultus;
Et miseri tergum noto jam fuste dolatur.

CANIS ET LUPUS.

Ossa cuti malè tecta trahens, et languidus alvo
Jejunâ, Lupus errabat. Venit obvius olli
Perpastus Canis, et tereti benè pinguis omaso.
Ardet raptor hians; in opimam irrumpere prædam
Suadet longa fames; verùm exsudanda videtur
Lucta; trucésque minas secum gerit improba moles.
Ergo salutato curvâ cervice molosso,
Adrepit pronus, vultusque effingit amicos;
Melque merum blæso ore loquens: « Dulcissime rerum,
» Salve, ait arridens; ô blanda cuticula, salve;
» Te fovet ipsa salus. Quæ mensa, beatule, tantum
» Corporis, egregium quænam dedit esca nitorem?
» At nos, martia gens, inopi tabescimus ævo.
» Quæ nos fecundo beat ubere, te quoque nutrix
» Villa beare potest, retulit latrator; inertes
» Desere jam silvas, jejuna atque arida tesqua,
» Desere; per strages sceleratum quærere victum
» Quid juvat, et vitæ semper cœnare periclo?
» Imbre mades, torpes heu! frigore, solibus ardes,

» Nudus, inops, alvo quoties impransus inani!
» Carpe viam; amplexu te villa fovebit amico
» Ah! melior silvis, et mensâ divite inunget. -
» At mihi pro tantâ quid erit mercede laboris?»
Sic Lupus. Ille Lupo : « vitæ hoc contingit inerti:
» Quis labor est fures latratu arcere fideli,
» Fustigeros terrere minis, morsuque procaci
» Mendicos petere, et pannos vexare fluentes?
» Excipere ignotos inimico murmure; notos
» Blanditiis, vernas saltu oblectare jocoso,
» Nati sordidulos vultus allambere herilis,
» Et tremulâ domino palpanti alludere caudâ?
» Pro quo larga tibi rerum prædivite cornu
» Copia manabit : fumanti jure tepentes
» Ille dabit crustas, hic pulmentaria, et alter
» Lactea molliculi, proh! Jupiter! ossa columbi,
» Ossa bovis, thesaurnm adipum fontemque medullæ.
» Mitto blanditias. Quanto tibi secula luxu,
» Jam mihi crede, fluent! Comes optime, Regulus ibis.»
His dictis avidum pertentant gaudia ventrem.
Emicat; illecto spes humida gutture sudat.
Dùmque gradu celeri peragunt iter, ecce molossi
Colla videt populata comis, ambesaque circùm.
« Quid morbi est, -nihil est-dic sodes, ô bone. Nugæ-
» Dic tamen. Hunc etenim duxerunt vincula sulcum-
» Scilicet, alter hians! hem vincula! non tibi, amice,
» Copia, dixit, adest quoquò libet usque vagari? -
» Non planè, inquit, adest; sed nil moror. Ast ego (crustas
» Jam tibi solus habe, jam pulmentaria) nolim
» Libertatem inopem regno quocumque pacisci.»

ARUNDO ET QUERCUS.

Canna palustris erat; Cannæ vicina palustri
Celsum attollebat Quercus caput : illa superbo
Alta supercilio, gracilenti caule trementem
Despiciens Cannam, « miseret me, parvula, dixit,
» Sortis, Arundo, tuæ; quid enim? Si, tantulus ales,
» Regulus insideat, gravis est tibi tantula moles.

» Innocuam quoties crispata per æquora Tethym
» Sollicitant animæ tenues, defessa subactum
» Demittis caput, et tremulâ cervice recumbis.
» Qui mihi blanditur Zephyrus, te concutit Auster.
» Saltem si patulâ nostræ ditionis in umbrâ,
» Me latè Dominam propiùs complexa teneres,
» Sub tanti hospitio nemoris secura lateres;
» At nunc infestas, Aquilonia regna, paludes
» Deplorata colis, ventorum obnoxia sævo
» Imperio, effrenisque jaces data præda procellis. »
Stridula Canna refert : « nemorum ô Regina, piarum
» Desine curarum, tibi tantos ipsa timores
» Indue : nam flecti facilis, sed nescia frangi,
» Possum ego pugnaces cedendo eludere ventos.
» At tu obluctantes vasto excipis obvia nisu;
» Hactenùs insanos adversâ fronte furores
» Fregit Majestas victrix, sed maxima restant
» Prælia : nunc quoque dùm simulatâ pace quiescunt,
» Agglomerant vires, ruptisque in bella resurgent.
» Cum rapidis pax nulla Notis. » Vix dixerat; ecce
Volvitur ad sylvas, belli prænuncius, ingens
Mugitus; Boreasque simùl, simùl effera campis
Incubuit Boreæ soboles, vastoque tumultu
Sævit, et attonitos rabido quatit impete montes.
Tùm mergit caput, et docili cervice residens
Obsequio fallit venientes Cannula ventos.
At conjuratos obnixo stipite fratres
Indignata manet Quercus, totque æmula contra
Ventorum furias immanè remurmurat. Olli
Ingemitant vires; jam culmina summa vacillant
Depopulata comis, jam saucia brachia crebro
Vulnere franguntur; raptas rotat undiquè ventus
Exuvias : totis strages dispergitur Agris.
Ipsa tremit, nutatque minans; et victa supremùm
Congemuit. Campis latè protenditur arbor,
Quæ quantùm audaci surgebat ad æthera nisu
Ardua, Tartareas tantùm penetrabat ad umbras.

SCYTICUS ORATOR.

Tandem defessas longo luctamine Gentes
Straverat Herculeis bellatrix Roma lacertis,
Et spolia eripiens, Orbi incumbebat anhelo.
Non avidas artere manus juga montibus altis
Abdita, non æstus poterat, neque inhospitus axis
Frigore brumali: trans æquora, transque paludes,
Ibat inexpletum prædandi dira cupido.
Ergo quà domitas sub jura aliena trahebat
Ister aquas, Scyticâ venit de gente gementûm
Barbarus Orator populorum Martis ad arces.
Hirta refert ursum facies; barba hispida totum
Efferat os; acies oculorum obtecta minaci
Torva supercilio; malè turgida labra, repandis
Naribus; è collo pellis de tegmine capræ
Defluit, et lento præcingunt vimine junci.
Convenère Patres; totoque inhiante Senatu
Ingreditur, talesque expromit Bellua voces.
« Romulidæ, ô nostro pendens ex ore Senatus,
» Numina sancta Deûm precor aspirare loquenti,
» Hoc primùm: nostræ dî flectant vocis habenas,
» Ne pravis infrena ruat vaga lingua loquelis.
» Nam præter scelerum errorem insanosque tumultus,
» Quid venit in cœcas, Divûm sine numine, mentes,
» Quid venit humanis, nisi clades ultima, rebus?
» Testes nos miseri, merito quos vestra flagello
» Quassat avarities: nostris, ô Roma, triumphos
» Debes flagitiis; Divûm tu fulmine victrix;
» Tu quoque vim fati atque vices horresce superbas.
» Fortè erit, alternis rerum refluentibus undis,
» Fortè erit ut Superi dirum hæc in mœnia vertant
» Exitium, et nostro glomeratas axe procellas;
» Duraque tela Deûm, manibus jam credita nostris,
» In vos versa cadant, et Tibris serviat Istro.
» Istro cur etenim Tiberis dat jura? Quis autor?
» Cur Deus Italiæ captivum tradidit Orbem?
» Quid juvat innocuæ turbare silentia vitæ?

» Ecce colebamus felices ubere glebas;
» Artesque et Terram simul exercere Parentem
» Docta manus: quæ vestra Scytas solertia juvit?
» Sunt animi nobis, nec abest industria; mores,
» Hoc unum, desunt vestri. Qui turbine cæco
» Vos agit in populos, idem si nostra teneret
» Corda furor, Scytico gentes quoque vincere Marte
» Fas erat, et victis non incubuisse juvaret.
» At nos Prætorum manus importuna nefandis
» Exercet sine fine modis; quin ipsa Deorum
» Horret Majestas; etenim nos æthere Divi
» Credite, respectant, oculis nos usque sequuntur.
» Heu! quot fœda vident! spernuntur Numina: templis
» Nullus honos; aras populatur cæca cupido.
» Nec tibi, Roma, satis: nequicquàm prodiga tellus
» Fundere certat opes; nequicquàm insudat, avaras
» Si possit complere manus, incurvus arator:
» Nil satis est. Valeant Prætores: arva Tyrannis
» Sollicitare piget. Miseras jam linquimus urbes;
» Avia silvarum petimus; mutare pudicos
» Fert animus lustris thalamos; spelæa ferarum
» Sola placent; inter meliores volvimur ursos.
» Nec juvat ærumnis devotam gignere prolem,
» Et trucibus Dominis perituras addere gentes;
» At natos, nondùm miseros, immunibus annis,
» Primo flore (pios Prætorum dedocet esse
» Impia gens), primo succidi flore precamur.
» Prætores valeant: sceleris genus omne docebunt,
» Omne nefas: auri sceleratus dura Scytarum
» Corda subibit amor, rabiesque insana rapinæ.
» His me Roma malis venientem excepit, hianti
» Fauce rapax. Benè nummatâ si munera zonâ
» Abfuerint, divesque, manus qui perpluat, imber,
» Purpura si abfuerit, nequicquàm jura vocantur;
» Surda silent; nummi niteant, en jura loquuntur.
» At quàm sera tamen! tardo molimine reptat
» Ipse favor, stimulis ni sæpè impellitur aureis.
» Quid moror, insuetas vis veri scilicet aures

SCYTICUS ORAT...

...das, »
...us
...olli,
Tandem defessas longo ... ...opia fandi.
Straverat Herculeis bella... ...nis honore,
Et spolia eripiens, Orbi ... ...ubi Curia pœnam,
Non avidas artere mari ... ...nullâ creantur
Abdita, non æstus p... ...verba Catoni
Frigore brumali: ... ...inscripta referri,
Ibat inexpletum p... ...jubeat facundia seclis.
Ergo quà domito ... ...fuco adrepente, lacertos
Ister aquas, S... ...cunque emarcuit ævo.
Barbarus O...
Hirta refer...
Efferat os...
Torva s...
Naribu...
Deflu...
Con...
Ins...

ASINUS ET CATELLUS.

...Catellus erat, mel totus, gemmula, nectar,
...domini, domini decus, una voluptas.
...Venus, hunc Charites, lepidis hunc mille Cupido
Instruxere jocis: Gremio consuetus herili,
Læto gannitu, trepidoque alludere saltu
Gaudebat circumvolitans, modò ferre loquaci
Blanditias caudâ, modò lambere pendulus ora.
Quin etiam domino gratus conviva, decenti
Molliter accumbens carpebat edulia morsu.
Et quoties dominum recrearet lectulus, ulnis
Compositum teneris recreabat lectulus idem.
Vitæ delicias, felicis gaudia vitæ
Vidit et invidit, stabuli incola, tristis Asellus.
Ergò rubos paleamque ingrato dente fatigans,
Talia dejectâ secum cervice volutat:
« Me miserum! Cur me genitrix sub luminis auras
» Edidit? An me me quisquam infelicior uno est?
» Victus vilis, inops; at copia multa laborum,
» Copia plagarum, quàm divite prodiga cornu!
» Semper fustis adest oculis; aut ille minatur
» Prævius, aut tergo lumbisque pedisequus hærens
» Insonat; extremisque damus ludibria servis.
» At nostrum quàm pulchra beat fortuna sodalem!

itet aureolo benè pasta cuticula luxu!
tur gremio; dextrâ mulcetur; Adonis
; oscula dat, domino ridente; sedenti
acclinis recubanti pusio dormit;
onvehitur curru. Quid corpore in isto
ium est? Quibus illecebris, pipere et nuce cassâ
t plumâ levior, tantos venatur amores?
scilicet adrepit? Collo suspensus herili
» Hæret? Adulatur? Sonituque obgannit amico?
» Tandem age, quis labor est? Cur non accingimur? Eia,
» Est operæ pretium: Domino palpare necesse est,
» Ut simile obsequium similis fortuna sequatur. »
Dixit; et ad Catulum sese novus histrio fingit
Cereus, et dociles tentando interrogat artus:
Dejicit auriculas; pedibus vestigia discit
Figere postremis, arrecto pectore; caudam
In lituum rotat, et varios levis explicat orbes.
Dein modulis pleno nova carmina gutture pangens,
Vocem hinnitu explorat hians benè matutino.
Jamque satis placet ipse sibi; jam factus ad unguem
Aulicus incedit; sub cratem pectoris omnes
Concepit veneres; et mollia tempora captat.
Ut dominum aspexit, totas movet obvius artes,
Teque vocans, Deus Arcadiæ, cervice recurvâ
Adrepit, placido alternans vestigia gressu.
Utque stetit contrà, diducit amabilis ulnas
Hinc atque hinc, et mole gravi, similisque ruinæ
Totus in amplexum dat se improvisus, et hæret
Incumbens: collo circumjicit hispida crura;
Tùm refugas aures benè tritâ calce remulcet,
Tritâ calce genas; patuloque volumine linguæ
Allambit totum os, impingitque oscula rostro.
Quin etiam liquidæ volvens modulamina vocis,
Explicat Arcadicam festivo gutture musam.
Scilicet obstupuit dominus, dirumque refugit
Obsequium, raucumque melos: « Te, pulcher Aselle,
» Te non parva manet jucundi gratia facti. »
Et famulos vocat: Apparent mora nulla, vocanti

Fustigerum examen; costis glomerata minatur
Insurgens nubes, et crebro detonat ictu.
Has sibi blanditias humili miser aure reportat.

MUSCÆ ET LEONIS CERTAMEN.

« Fœda luti soboles, hinc aufuge. » Talibus olim
Reppulit opprobriis Muscam Leo. Musca Leonem
Bella parat contrà. « Me ne, ô fortissime, fastus
» Formidare tuos et nomen inutile credis?
» Scilicet indomito Regem te robore vincit
» Taurus, et indomiti cedunt mihi robora Tauri. »
Dixit, et in pugnam levis emicat; addidit ausus
Ira novos; raucoque tubas imitata canore
Sollicitat grave Martis opus; simùl expedit arma
Bellatrix; varios simùl explicat orbibus orbes
Præpetibus pennis; corpusque hostile pererrans,
Opportuna sui meditatur vulnera teli.
Tandem ubi fortunam est oculis sortita, Leonis
Evolat in collum, repetitisque ictibus urget.
Ille furit, caput atque jubas cervice comantes
Excutiens; spumas immani eructat hiatu,
Flammatosque oculorum orbes huc versat et illuc
Dentibus infrendens, mugituque æthera complet
Horribili; fugêre feræ, fugêre coloni,
Et pavidam sobolem pressêre ad pectora matres.
Tantos Musca metus latè incutit. Imminet hostis
Parvulus, ingentesque artus sine more fatigat.
Spicula nunc collo, nunc fronti infigit inhærens,
Mox nasum petit, et castris immissus apertis
Sævit et infestâ populatur cuspide nares;
Dilacerat venas, uritque domestica pestis.
Tùm verò rabies propriori accensa dolore
Crevit in immensum. Securo ex aggere ridet
Exiguus miles Regem in sua membra furentem,
Et morsus vacuos, et aratos unguibus artus.
Bacchatur Ferus impatiens, trepidatque, ruitque;
Ingeminans costis insanæ verbera caudæ.

Ipse suâ donec vi victus pondere vasto
Ad terram procumbit, et ilia pulsat anhelans.
Evolat illa ferox; et ovanti murmure, pulchri
Nuncia successûs, victricibus emicat alis.
Dùm temerè exultans raucum pæana susurrat,
Hæsit in insidiis; excepit namque triumphos,
Textilibusque dolis oppressit Aranea Muscam.

ANIMALIA PESTE LABORANTIA.

Stagna per, et campos, et opacas fronde latebras,
Funera dira ferens ægris animalibus, ibat,
Ira Deum, clades terrarum, Acherontis avari
Quæstus, Echidneæ vapor exitiabilis auræ;
Horresco memorans! metuendo nomine, Pestis.
Alituum siluêre lares; afflataque letho,
Tristi ululant gemitu nemora; et squalentibus arvis
Confertìm expirant animas pecudesque feræque,
Immemores herbarum. Heu! Jam cura omnibus una est.
Tabida languentes inter Lupa deficit Agnos;
Fallere dedidicit Vulpes; Leo quærere Cervam,
Cerva fugam; teneros, nunc effera, Turtur amores
Non meminit: mœrens alio depascitur igne.
Nulla venus silvis, ergò non ulla voluptas.
Tùm Leo, collecto variâ de gente Senatu,
« Conscripti, pia turba, Patres, jam cernitis, inquit,
» Omnia quàm fœdâ jaceant perculsa ruinâ.
» Scilicet Altitonans nostras hoc verbere culpas
» Increpat: è cœlo clades demittitur alto.
» Eia, agite, inter vos quem plurima cura remordet,
» Ultrò devoveat caput, et cœlestia tela
» Ipse volens subeat, multis è millibus unum
» Si fortè accipiant Superi, pœnamque remittant.
» Sæpè hæc iratis placuêre piacula Divis.
» Nunc, censor sibi quisque, suæ penetralia mentis
» Rimetur, penitùsque in se descendat, amicam
» Fraudibus objiciat nubem ne subdolus error.
» En ego, confiteor, demersi hâc improbus alvo
» Agnorum, Agnarum, haud memini quot millia, matresque;

» Insontes, suadente gulâ. Quin et (mihi namque
» Sit tacuisse nefas, quanquàm fecisse pudori est),
» Appendix pecoris, descendit in ilia Pastor.
» Ergo, si mereor, stat læsi Numinis iras
» Hoc capite excipere, atque obnoxia subdere colla.
» Sed simili nunc quemque fide commissa fateri,
» Et quicumque alios malefactis vicerit, æquum est
» Illius totam defungi funere gentem. »
Tùm blandùm arridens Vulpecula : « Te tua, dixit,
» O bone Rex, pietas, tua te clementia fallit.
» Arguit ista quidem tenerum, nimis anxia, pectus
» Relligio; quid enim? Si fortè comederis Agnos,
» Fœcem, quisquilias, ignobile, inutile vulgus,
» Ingens peccatum est? Titulus fuit ille sepultis
» Quorum carne sinas pinguescere regia membra.
» Nec tibi conclusus regali abdomine Pastor
» Crimen habet : fuerat pejori carcere dignus,
» Cùm foret ex hominum grege bellua, quæ fera nobis
» Bella movet, Regnoque tumens incedit inani. »
Dixerat hæc Vulpes. Blando certamine turba
Plaudit adulatrix. Nec torvæ Tigridis, Ursive,
Aut populi primorum, audet fœdissima quisquam
Scrutari peccata : leve est quodcumque fatentur;
Quidquid rixosum est (ipsi de plebe Molossi)
Unanimi fremitu sanctum ac venerabile habetur.
Tandem Asinus veniens : « Peccavimus; et mihi mentem,
» Prisca revolventi, fraus non nihil una remordet :
» Me quondàm in prato Monachorum fortè vagantem
» (Suasit enim esuries, furtique licentia, odorque
» Optimus, et vafri pellacia Dæmonis) herbæ,
» Quantùm hæc lingua patet, tantùm arripuisse recordor.
» Nec mea mancipio fuit hæc tamen herba, nec usu. »
Haud mora conclamant; justas luat improbus iras.
Tùm Lupus ad populum legem tulit, ipse forensi
Jure madens : « Magnis hæc cæditor hostia Divis,
» Morsibus impetitor, discerpitor unguibus, excors,
» Dira lues, scabiosum animal, mastigia, sordes. »
Cuncti condemnant, nutu, pede, voce, tabellâ.
Ilicet incurrunt. Alieno gramine pasci!

Flagitii quantum est! Nec simplice morte piandum
Tam deforme nefas! Age, scinditur impete facto;
Exuit auriculas; tenui pro gramine, latro
Horribilis, lanianda piæ dat viscera genti.

PHŒBUS ET BOREAS.

Mensibus incertis Autumni, fortè viator
Ibat, ubi dubio natat aëre pendulus imber,
Et radios inter pallentes discolor Iris
Ambiguum pictâ discriminat æthera zonâ.
Ergo, dolos cœli contra subitosque tumultus,
Tempora sanctonico defenderat ille cucullo,
Et duplici panno totos incluserat artus.
Et summo Boreas hunc contemplatus Olympo,
Aggreditur Phœbum dictis et jurgia quærens:
« Experiamur uter magè polleat, inquit, et armis
» Exuat hunc victor; quovis ego pignore certo. »
Risit ad hæc, pulchrosque movens in vertice crines,
« En, ait, accipio; tu, quantùm viribus audes,
» Incipe. » Sic Phœbus; radiosque in nube supinus
Abdidit, et campum Boreæ pugnamque reliquit.
Ille gravem vastis glomerat pulmonibus iram,
Turgentique truces eructat ab ore procellas,
Remigium alarum quatiens, sævitque, sonatque
Sibilus, et trepido verrit loca cuncta tumultu.
Antra petunt pavidæ Dryades; bellumque cucullo
Illatum penitùs silvæ ingemuêre profundæ.
Intereà obluctans rigidâ cervice viator,
Obnixusque humeris, stridentes dividit auras,
Et premit adducens pugnaci pallia dextrâ,
Urgentemque arcet variis assultibus hostem.
Indignans Boreas iterùmque iterùmque crepantes
Sollicitare sinus, si quâ se immittere possit.
Incassùm furit, et rabidis conatibus æger
Deficit, effœtoque resedit pectore anhelans.

Tunc, oriens inter candentia nubila, sacrum
Exerit os Phœbus, nitidâque in luce refulsit
Aureus, et lætos radiorum suscitat ignes,
Atque viatorem placido bonus irrigat æstu.
Diditur in venas, et vi sublapsus amicâ
Insinuat calor, et tepefacta per ossa cucurrit.
Ille gravem ex humeris tandem deponit amictum
Ponderis impatiens; et blanda potentia Solis
Quem non, ô Borea, potuisti vincere, vicit.

FINIS LIBRI QUINTI.

CARMINUM
LIBER SEXTUS.

EPIGRAMMATA.

AD AMICUM,

Cùm in die ipsius Festo Flores acu pictos illi mitteret.

DUM sertis latè redolent fragrantibus horti,
Atque suas tellus prodiga fundit opes;
Cur pictos dederim serum subtegmine Flores,
Mirari subeat forsan, Ariste, tibi.
Anne meum Flores referant benè, credis, amorem,
Quos videt una dies vivere, et una mori?
Non ego crediderim. Quos bruma nec æstus aduret;
Queis aderit vivus, qui micat, usque color.
Este mei specimen, Flores, et pignus amoris,
Cui nec finis erit, nec modus esse queat.

In Statuam Beatæ Virginis Studiorum in Palæstrâ collocatam.

Præsidium Studiorum ingens, pigniusque salutis
En isto erigitur Diva Maria Tholo.
Hæc duo quisquis amas, ad Numina fida Mariæ
Confuge, doctus eris, confuge, salvus eris.

In istas voces: *Miseremini, miseremini saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.*

Carcere ab obscuro semperque flagrantibus antris,
Si quod apud Superos vox mea rumpit iter;
Si quis et in vivis nostri memor, auribus æquis
Exaudi gemitus, quisquis es ille, meos.

Exaudi gemitus, miseroque impende sodali,
Quam te de mediis ignibus orat, opem.
Me cruciat flammis ultor Deus! ô dolor ingens!
O pœna! ultorem sustinuisse Deum!

In Effigiem ceream Dominici Buhursi è Societate JESU, *in Bibliothecâ Collegii Parisiensis appositam.*

Cùm morbi sensim exederet mora longa BUHURSUM,
Hi vultus olli, cùm moreretur, erant.
Vis oculis si nulla super, si gratia fronte;
Si non ore nitet, qui fuit ante, lepos,
Compositos hinc indè Viri pervolve libellos,
Gratia in his meliùs, visque leposque nitent.

In Bacchi Statuam medio in Fonte positam.

Assurgit mediâ sublimis Bacchus in undâ;
At Deus, ut credo, saxeus ille fuit.
Namque illic Bacchi effigies si vera fuisset,
Ingratas fugeret non rediturus aquas.

In Verrem insignem furem et helluonem.

Privatis laribus fertur bona multa rapaci,
Et sacris Verres eripuisse manu.
At fures veritus raperent ne rapta vicissim,
Maluit hæc ventri credere cuncta suo.

In eundem cùm Ciceronem in ipsum orantem arguisset, quod latrâret.

Undè latras, Tulli? Verres dicebat, amaris
Cùm Verrem impeteret Tullius usque probris.
Cur, latro, retulit? vigilantem affare molossum;
Et pete, cùm furem perspicit, undè latret?

In Filiam quæ Patrem in carcere detentum proprio lacte quotidiè alebat.

Parcite, custodes, si quid fero filia patri;
Deprehendi hoc vestrâ sedulitate nequit.

Parcite, custodes, nostro si munere vivit;
Non nutrit patrem filia, mater alit.

In Avarum morti proximum et recusantem accipere pharmacum, quòd pretio vel levi redimendum illud proponeretur.

Affixus lecto vicinâ in morte jacebat,
Quo non in toto ditior orbe senex.
Fidus adest medicus; medico præsentior omni
Porrigitur longo certa medela malo.
At nummis redimenda tribus: secedite, dixit;
Deterior letho tanta medela foret.
Diis inimice senex! Proserpina non eget auro;
Nescit et, oblato munere Pluto capi.

In Hominem deformem qui speculo delectabatur.

Quid tibi cum speculo? Speculum fuge, Nævole; numquid
Tristia Narcissi nil tibi fata times?
Namque suî quondam ut periit Narcissus amore;
Ni caveas, odio sic moriere Tuî.

In potorem egregium aquis sepultum.

Quam benè conveniant cùm primis ultima vitæ
Tempora, Bebriaci tristia fata docent.
Exosus liquidas semper, dùm viveret, undas,
Nulla bibit præter pocula plena mero.
Par in morte fuit; nam flumine prehensus in alto,
Ne potaret aquas, maluit ille mori.

Inscriptio Horologio solari apponenda.

Felix, si tibi sunt, quales stylus indicat, horæ;
Tempora sunt vitæ nubila nulla tuæ.

ALIA.

Quam tibi præsentem cuspis denunciat horam;
Ultima quid vitæ si foret illa tuæ?

ALIA.

Dùm fugit umbra, tuæ metitur tempora vitæ;
Quod fugiendo notat, tot rapit illa dies.

ALIA.

Non omnes qui manè micant, sub vespere lucent.

In Herculem tractantem Colum.

Monstrorum, Alcide, domitor, cur otia quæris;
Monstra quasi terris omnia pulsa forent?
Non sunt, crede mihi; licet Hydra Anguesque Gigantesque
Innumeri telis succubuere tuis.
Tetrius est monstrum; qui te nunc victor inermem
Molli fila manu carpere cogit, Amor.

In Puros Beatæ Virginis Deiparæ Conceptus.

Primævâ immunis peccati labe, parentis
Fingitur in Casto Virgo Maria sinu.
Ne tu mireris factum; caruisse tenebris
Debuerat, solem quæ paritura fuit.

ALIUD.

Proh! quàm bellè oculum refert Maria!
Proh! quàm bellè oculum refert Mariam
Si quas fors oculo tulisse sordes,
Auram contigerit malè auspicatam;
Sentias oculum illicò dolere,
Sentias oculum madere fletu.
Ut sordes oculus fugit timetque;
Sic quasvis refugit Maria sordes.

In Lothi Conjugem in statuam salis conversam.

Quam benè compositam miraris stare columnam;
Quod mirere magis, vixerat illa priùs.
At spirare licet cessârit fœmina fallax,
Non mordere tamen desiit illa; cave.

ALIUD.

Cùm Deus invisam vellet disperdere gentem
Cedere pollutâ jussit ab urbe Lothum.
Jussa sequi, retrò sed cernere sponsa vetatur
Mœnia in ardentes mox abitura rogos.
Non tulit impatiens tam duræ incommoda legis;
Respicit, inque salem versa repentè fuit.
Si sol mox fierent vitio hoc quæcumque laborant,
Nil sale jam toto vilius orbe foret.

In Thalem Milesium, qui dùm cœlum attentiùs contemplatur, in puteum cecidit.

Astrologus quondam tacito labentia cœlo
Dùm fixis oculis sydera cuncta notat:
Decidit in puteum; factum benè! noscis Olympum
Imprudens, patrium noscere disce solum.

In Parasitum inter Convivarum jocos ac sales modestum aç patientem.

Quid tam crebra in me convicia, Pontice, jactas?
Invenio, noceam quâ ratione tibi.
Non in te irascar, non verbis verba refellam;
Sed veniam ad mensas, Pontice, sæpè tuas.

In Eundem.

Cœnes, Pontice, cum foris libenter,
Et famem dapibus tibi haud paratis
Ames pascere, si proterva Te, te
Probris turba petat jocisque mille.
Deponas animos truces, monemus,
Liber non potes, et gulosus esse.

In Christi Circumcisionem.

Dive Puer, quantos dabis olim sanguinis imbres!
Vitæ aurora tuæ si modò prima rubet.

In sacrum Jesu *Nomen in Circumcisione Christo impositum.*

Quisque suum à factis Nomen sortitur; Iesus
Diceris; et populi vita salusque tui es.

In Munera à Regibus Magis Christo oblata.

Aurum, Christe, ferunt, Thus, Myrrham munera Reges:
Ni simul offerrent cor tibi, plura darem.

ALIUD.

I. REX.

Adsumus, excitos patriis quos sydus ab oris
Impulit huc Cunas quærere, Christe, tuas.
Aurea dona fero; debetur Regibus aurum:
Te Regem tellus si neget, astra probant.

II. REX.

Ipse etiam ambrosios Panchæi thuris odores
Ecce fero; obsequii sint monimenta mei.
En erit ut statuam tibi quondam altaria, summum
Scilicet ara Deum, sacraque thura decent.

III. REX.

Et tu muneribus pariter celebrabere nostris;
Myrrhea dona fero, Myrrhea dona cape.
Myrrha quidem non digna Deo, sed Myrrha puello;
Myrrha tibi, quondam qui moriere, datur.

In Fluvium Secium, qui, dùm ferveret Bellum in Italiâ, exundans Germanorum castra Gallici exercitus in præsentiâ submersit.

Omine plaude tibi, felix Germania, tanto.
Tu verò, infelix Gallia, fata dole.
Teutonicis visa est rebus Fortuna favere:
Vina nocent populis; provida mittit aquas.

In Artemisiam Mausoli Conjugis cineres haurientem.

PANEGYRICUM.

Mors animam rapuit, rapuerunt corpora flammæ;
Nil præter cineres conjugis estque super.
Hæc quoque sola mihi ne pignora tollat amoris,
Invida sors, imò condita corde geram.

SATIRICUM.

Mausoli cineres alto dùm pectore condit
Artemis, occultos disce, dolosque cave.
Nempè quòd Aonii quondam cecinere Poëtæ,
Credidit huc Manes sæpè redire pios.
Ergò ne redeat post tristia fata maritus,
Ipsa sui cineres ebibit ore viri.

In erectam Ludovico Magno *Equestrem Statuam in Plateâ, quæ Vindocinensis olim dicta, nunc à partis felici marte rebus nuncupatur vulgò* LA PLACE DES CONQUÊTES.

Ecce tuis servit nomen, Lodoice, trophæis,
Vindocinense domi, Vindocinense foris.
Vindocinensis habet Statuam Area; Dux quoque victor
Signa tua in Latio Vindocinensis agit.

In eandem Statuam et in eam quæ posita cernitur in Plateâ à Victoriis nuncupatâ LA PLACE DES VICTOIRES.

Hinc Eques, Indè pedes Lodoicus spirat in ære;
Idem cur Heros hinc stat et indè sedet?
Stat pedes, ut meliùs possit Victoria Regem
Usque sequi, et lauro cingere justa comas.
Insidet acer equo? rapido sic impete vincit;
Vincentemque valet fama nec ipsa sequi.

In Midam asininis auribus instructum.

Utra sonat meliùs? Phœbi testudo Lycæi
Panos an agrestis fistula? Fare, Mida.

Infandum mihi parce, precor, renovare dolorem;
Judicium at tacitus respice in aure meum.

ALIUD.

O qui cuncta vales, quæ vis, Mida tangere, in aurum
Vertere! quin tangis protinùs auriculas?
Si tangas, stolidæ de te ludibria plebi
Nulla dabunt aures; has sibi quisque volet.

In Domitianum muscas capientem et captas acu acutâ figentem.

Hic Princeps, tibi quem notare vellem,
Nescit Carminis in locum venire.
Hunc si noscere vis, tamen docebo,
Et certis hominem notabo signis.
Illum Flavia gens dedit Tyrannum,
Sævum, terrificum, ferum, cruentum.
Verùm quid queror, aut voco cruentum?
Solis bella ferebat ille muscis.

ALIUD.

Arma movet Cæsar, muscamque in prælia poscit.
Est hæc, est armis victima digna tuis.
Scilicet imperium bellis vocat, otia ne quis
Objiciat, Cæsar ludicra bella gerit.

In Diogenem cùm mediâ de luce hominem accensâ face quæreret.

Undè facem præfers dùm sol altissimus? aut quid
Diogenes, certas quærere? Quæro hominem.
Nempe tuî similem? Scrutari desine; solus
Tu vacuum, reliqui Dolia plena colunt.

ALIUD.

Urbem dùm peragras nullus sapit, inquis in urbe:
Erras, Diogenes; unus in urbe sapit.

Sed cùm discedis prudens, strepitumque perosus
Turbam hominum vitas, nullus in urbe sapit.

In Fulviam Antonii uxorem Ciceronis perempti linguam acu pungentem.

Cuspide transadigis Ciceronis, Fulvia, linguam;
Ne solitis meritam te petat usque probris?
Parce metu; non illa feret maledicta, sed omnes
Te meritis lædent pro Cicerone probris.

ALIUD.

Cæsum vidit ubi Tullî caput, ulta maritum
Ultrici linguam Fulvia pungit acu.
Rarum est exemplar; nam perfida, sæpè maritum
Qui petat, huic ultrò fœmina præbet acum.

In varios Terræ motus quibus concussa Roma est anno 1703.

Succusso dùm Roma solo tremit omnis, et ingens
Insoliti motûs pectora terror habet;
Hæc inter Clemens stat vultu immotus eodem;
Clementem firmam quis neget esse Petram?

ALIUD.

Itala multiplici tellus discedit hiatu;
Ipsa etiam motu concita Roma tremit.
Quanquam, ô Roma! licèt justum, depone timorem:
Certa tibi, Clemens perstat in urbe, salus.
Nam si Romanos vellet punire nocentes,
Cedere Clementem jusserit Urbe Deus.

In inconsultos aurifici lapidis indagatores.

O pretiosam artem! ô nostri miracula secli!
Protinùs est Irus, qui modò Crœsus erat.

ALIUD.

Heu! quid agis, delire senex? ne perde laborem;
Infelix studiis immoriere tuis.
Aurificum quæris lapidem noctesque diesque!
Nil præter lapidem, qui tegat ossa, feres.

In Laudatores acti Temporis.

Laudas quæ juvenis vidisti tempora: damnas
Nostro quæ senior more vigere vides.
Si maneant priscæ juvenili in corpore vires;
Quæ toties carpis, tempora grata forent.

ALIUD.

Quòd malè præteritis ætas nova congruat annis,
Culpas, nec mores temporis hujus amas.
Fac veteres mores, fac tempora prisca reducat
Jupiter, et terris aurea secla ferat.
Uno congruerent: non posset, Nævole, mores
Præteritum, aut præsens tempus amare tuos.

In Tabulam in quâ Virtus et Fortuna amicas invicem manus jungebant.

Hostem quam pingunt alii, Virtutis amicam
Fortunam hæc meliùs picta Tabella docet.
Fortunam incusas, tibi quòd minùs æqua negârit
Munera, Virtutem si colis, illa dabit.

ALIUD.

Nam cur Fortunam socias tibi, candida Virtus?
Crede mihi mores dedecet illa tuos.
Vertitur inconstans Fortunæ vultus, et illa,
Quæ tibi nunc dextram, mox tibi terga dabit.

In invidum obtrectatorem Picti Fœderis.

Fortuna et Virtus concinno in Dramate (1) concors
Visa est, et cunctis Fabula grata fuit.
Quin etiam in Tabulâ depingitur utraque concors;
Grata etiam multis rara Tabella fuit.
Si cui fors faveant studiis communibus ambæ,
Nam cur sincerum fœdus id esse neges?

RESPONSIO.

Fortuna et Virtus concinno in Dramate concors
Visa quidem, et cunctis Fabula grata fuit.
Quin etiam in Tabulâ depingitur utraque concors;
Grata etiam, fateor, rara Tabella fuit.
Cætera, si quæras, reprobem cur fœdera, dicam:
Nempè hæc pictura est, Fabula et illa fuit.

Aliud omnia concilians.

Fortuna et Virtus Tabulâ cernuntur eâdem
Mutua per placidas consociare manus.
Inconstans Fortuna tamen, mox perfida fœdus
Rumpet, et à nexu retrahet illa manum.
Concordem potis es, Lodoice, utramque tenere:
Vive diù! longum, te vade, fœdus erit.

In Galliæ Desiderium Philippo in Hispaniam abeunte.

Dùm parat Hesperiam, sua regna, intrare Philippus,
Cur velut amisso Gallia mœsta dolet?
Tres etenim claro Lodoici è sanguine natos
Almo servat adhuc Gallia læta sinu.
Tanti est Borbonii pars sanguinis, ut malè tanto
Gallica gens regnum pignore credat emi.

(1) Quòd Tabulæ, idem fuerat exhibiti eodem tempore Dramatis argumentum.

In communes Galliæ et Hispaniæ Plausus, cùm Philippus in Hispaniam pergeret.

Plaude tuo, felix Hispania, Plaude Philippo:
Tu, tibi, dùm rapitur, Gallia, fata dole.
Fallor; utramque decent communia gaudia gentem,
Tu gaude, accepto Principe; Tuque dato.

In Pias Principum Fratrum lacrymas cùm ab invicem divellerentur.

Nec lacrymas damnasse velim, quas fundere fratres
Fratrum in discessu mutuus urget amor.
Quanquam, ô Borbonidæ justos compescite fletus,
Nec dolor ingenuas deterat imbre genas.
Borbonidum est totus, quam latè extenditur, orbis:
Seque velit vestris legibus ille regi.
Vos hæc fata manent; mundo date jura volenti:
Vestra tripartitus sub juga mundus eat.
Ergo à fraterno divelli assuescite collo,
Et dulci amplexu posse carere diù.

ALIUD.

Parcite, Borbonidæ, lacrymis: consulta resistunt
Fata; tot Heroas terra nec una capit.

Ludovicus Burgundionum Dux ad Philippum Fratrem Regem Hispaniarum.

Frater abis, regnare paras; perge omine læto;
Fataque, quam pandunt prospera, carpe viam.
Quò res cumque cadant, nil me cessisse minori
Pœniteat, Fratrem si modò semper amas.

Responsio Philippi Hispaniorum Regis.

O Frater, si regna feram, possitque videri,
Qui te ponè sequi debuit, ire prior:
Ne doleas: olim patrio regnabis in orbe:
Et te tarda quidem, sed meliora manent.

Idem Ludovicus Burgundionum Dux ad Philippum Fratrem Regem Hispaniarum.

Ergò vale, Frater : veniunt tibi Sceptra minori :
Majorem obsequii laus manet una sui.
Non equidem invideo ; felicibus utere regnis :
Dùm parere diù me bona fata sinant.

Responsio Philippi Hispaniarum Regis.

Majorem regnare decet, parere minorem ;
Hoc natura docet, jus ratioque probant.
At dulce est parere tamen, parere decorum est,
Frater, Avus regnum dùm tenet atque Pater.

LUDOVICO MAGNO, *quòd rerum Hispanicarum Rector ab ipsis Hispanis sit expetitus.*

Quàm benè conveniunt LODOIX et Phœbus ! uterque
Pluribus haud impar lucet utrique Polo.
In varias Phœbus diffundit lumina terras ;
Et nitet Eois, et nitet Hesperiis.
Lumine dùm lustrat LODOIX sua regna benigno,
Hesperiam radiis lustrat et ipse suis.

In præposterum Matrum in Filios amorem.

Simia dùm teneros stringit complexibus arctis,
Imprudens natos strangulat ipsa suos :
Parce ah ! blanditiis quæcunque es mater : amori
Parce, odium prosit forsan et ira magis.

In Simiam, natos amplexu suffocantem.

Prolis in amplexu dùm se probat esse parentem
Simia, quis credat, desinit esse parens.

A L I U D.

Dulces dùm natos collo nimis arctiùs urget,
Prolem infelici Simia morte necat.

In communes Galliæ et Hispaniæ Plausus, ...
Philippus in Hispaniam pergeret.

Plaude tuo, felix Hispania, Plaude Phili...
Tu, tibi, dùm rapitur, Gallia, ...
Fallor; utramque decent communia ...
Tu gaude, accepto Principe; ...

In Pias Principum Fratrum lacry...
divellerentur.

Nec lacrymas damnasse veli...
Fratrum in discessu ...
Quanquam, ô Borboni... ... negat.
Nec dolor ingenu... ...mina vivus,
Borbonidum est totu... ...a rogus.
Seque velit ve... ...riptum ferebat: furum
Vos hæc fata mar... ...um Deus.
Vestra trip...
Ergo à fratern... ...ue Deus Vatumque vocatur:
Et dulci ...amen idem quàm bene juncta decent!
...pariter rapto scit vivere; Furum
...Deus est, Vatum dicitur indè Deus.

Parcite
F

A L I U D.

...Mercurium stantem de marmore Vates;
Lu... Fur vidit, visum poscit uterque sibi.
...rcite, Sculptor ait, contendere; dignus utroque
Est Deus, inscriptum nomen utrumque feret.
Quam benè jure pari gaudent. Fur atque Poëta,
Quos par ingenium fecerat ante pares.
Utraque gens rapto vivit; sed dispare fato:
Hæc mortem furtis invenit, illa decus.

In interceptas à Gallis Ficus quas Batavi refertas auro in Delphinatum mittebant ad fovendam Fanaticorum Rebellionem.

Impia quo foveat sociorum bella Batavus,
Submittit Ficus callidus ære graves.

...usit vigiles ars subdola Gallos :
...um cupidas incidit arca manus.
...vus sic miscuit utile dulci ;
...unctum providus omne tulit.

...LIUD.

...tas Hollandia dives,
...ea poma tuis.
...s aurea mala;
...bus intùs inest.

...LIUD.

...i scelerato marte rebelles
...s Ficus, munera læta, ferunt.
...s Gallus versutior exsecat unam ;
...urum pro nucleo, res nova, Ficus habet.
...elices, inquit, Batavi, queis terra profundit
Poma, quibus succo dulcior est nucleus.

ALIUD.

Dùm sperant Batavi Ficu deludere Gallos;
Callida gens capitur fraudibus ipsa suis.
Quando volent Batavi Ficu nos ludere, Ficus
Sit matura magis, sit pretiosa minùs.

In Muscam in lacte Naufragam.

Dùm niveos demens avido bibit ore liquores
Heu! lacte in medio naufraga Musca perit.
Hinc mala quanta ferat nimiùm mellita voluptas,
Discite; blanditiis enecat illa suis.

In Larvas.

Qui Bacchum simulat, ne sit pater ipse Lyæus;
Quæ Venerem, vereor ne sit et ipsa Venus.

Ad Gellium deformem utentem larvâ.

Non opus est, Gelli, externam tibi sumere larvam:
Nativam proprio semper in ore geris.

In Venerem Cupidinis oculos Fasciâ velantem.

Lumina velavit nati Venus ipsa; caveto;
Quanquam incerti ictus, vulnera certa tamen.

In Mortem Medici habitu dissimulatam.

Mortem aiunt nigrâ Medici sub veste latere.
Ægrotas? Medicum tu fuge; salvus eris.

ALIUD.

Ut genus incautum meliùs Mors perfida fallat,
Mors habitu Medici dissimulata latet.
Quisquis es, invisæ capiunt quem tædia vitæ,
Certa tibi medicâ fertur ab arte salus.

In aquam mutatam à Christo in vinum, dùm adesset Nuptiis in Canâ Galilleæ.

Mirum! si Christus vino mutaverit undam!
An poterat vinum non dare? Vitis erat.

Ad Puellam Catellæ mortem acerbiùs lugentem.

Pone modum lacrymis; è cœlo Jupiter alto
Excepit querulas ore favente preces.
Quæ vixisse modò tibi visa Canicula, vivit
Astra inter, Dominæ parcet et illa suæ.

In Janum bifrontem.

Veridicum Veteres Janum dixere bifrontem:
Non ego: Si bifrons, Jane, bilinguis eris.

Pauperculi ad Virum Divitem Xenia.

Sunt tibi divitiæ, sunt, quæ des munera: at ipse
Nil nisi vota habeo, nil nisi vota feram.

Divitias tibi mitto meas, vota omnia mitto:
Divitias pariter tu mihi mitte tuas.

In Puerum, qui, Novercæ tumulum dùm floribus spargeret, ejusdem ruentis mole oppressus est.

Dùm Puer exornat sertis monumenta Novercæ,
Ecce ruit moles, opprimiturque Puer.
Quis neget ingenium posthac crudele Novercæ?
Viva nocet; moritur, mortua sævit adhuc.

In Pygmæos Herculi dormienti illudentes.

Prostratum somno Alcidem Pygmæa propago
Ridet, et ingeminat turba proterva jocos.
Cur non evigilas, tua si tibi gloria cordi,
Ulturus validâ probra jocosque manu?
Sed fallor, cordi est; dùm vili gloria turbæ
Non datur, Herculeâ posse perire manu.

In Tabulam, in quâ pingitur Dementia cæcum Amorem ducens.

Pontice, quid rides? an quòd Dementia Amoris
Dirigit incertos officiosa pedes?
Ridendi causa est. Verum quò callida cæcum
Illa velit puerum ducere, fortè latet.
Limina picta vides extremâ in parte Tabellæ;
Stultitiæ domus est; hùc regit illa Deum.

ALIUD.

Quàm bene sortitur Fratrem Dementia Amorem;
Captus hic est oculis, captaque mente soror.

ALIUD.

Usque est fida comes cæci Dementia Amoris,
Cæca hinc stultitia est, hinc quoque stultus Amor.

ALIUD.

Cœcus Amor certos ut possit figere gressus,
Ultrò Stultitiâ sub duce carpit iter.
Fortè ducem quæris cur tam selegit iniquam;
In promptu causam est dicere : cœcus erat.

ALIUD.

Discite, mortales, Amens quid distet Amanti;
Perleve discrimen littera parva facit.

Viro disertissimo in Patroni sui Festivitate.

Exoptata diù revoluto sydere venit
Tandem festa dies; quod tibi munus erit?
Ver quoties serum increpitans Zephyrosque morantes,
Dicebam, segnes præcipitate moras.
Eia agite, et dulci terram mulcete flabello,
Ut flores largo det mihi terra sinu.
Det violam; auratas frondes Tulippa recludat.
Dotibus hæ fuerant apta corona tuis.
Illa modesti animi speciem feret, illa benignas
Divitis ingenii significabit opes.
Vana loquor; Boreas namque improbus omnia circum
Vastavit; flores pigra recusat humus.
Quanquam ego quid steriles tibi quæro serta per hortos;
Quid Floræ imprudens dona caduca moror?
Ipse fremat cœlo Boreas, fremat horridus auster;
Tu loquere; en flores fundis ab ore novos.

FINIS LIBRI SEXTI.

CARMINUM LIBER SEPTIMUS, VARIA È VARIIS.

È COMMIRIO.

AD VICTORIAM.

Cùm Turennius fœderatos exercitus multis cladibus attritos ex Alsatiâ expulisset.

Diva non mitis soboles Gradivi;
Quam juvant hostis pavor, et tumultus;
Et fuga, et latè calido natantes
Sanguine campi.

Nunc decet lauro religare crines,
Nunc et aurato volitare currû,
Quò vocat Turenni honor, et decori
Pompa triumphi.

Illi fortunæ comitem secundæ
Te suis dudùm residere castris
Jussit; et verti celeres volenti
Abscidit alas.

Teutonum victor triplici duello,
Te novis auctám celebrat trophæis,
Et sacras Rheni sub utrâque ripâ
Dedicat aras.

IN VICTORIAM STEINKERKENSEM.

PECCAVIT temerarius,
ORANGI calamus: Musaque pœnitens
Vitati malè prœlii,
Et raptæ LODOICO, indecori fugâ,
Palmæ te redimit probro:
Pugnasti, arma prior nostra lacescere
Ausus non timidâ manu.
At, quæ perpetua est sors tua, victus es.
Nil tecti tenebris doli,
Nil juvêre, tibi quæ nimiùm placent,
Fauces et cavâ vallium,
Et saltus equiti non penetrabiles.
Franci acer peditis vigor,
Virtusque exsuperans rebus in arduis,
Et secura periculi,
Suffecit sibi sola: et spatium breve
Extendit gladio. Cadunt
Conjuratæ acies; atque superbiæ
Dant pœnas MOMORANCIO,
Victori Batavûm plus vice simplici.
Sed quò Martius abripit
Heroum juvenes progeniem furor?
Cerno BORBONIUM, graves
Cui subdunt stimulos Rex socer, et Parens
Magno par animis Avo,
Inter mille neces quærere gloriam.
Forti CONTIUS it gradu
Ignes per medios, perque sonantia
Plumbi grandine nubila:
Hostilesque globos proruit; unguibus
Ut præpes Jovis armiger,
Et rostro, volucres exagitat vagas.
Quàm penè ah! lacrymabili
CARNUTEM exitio glans dedit impia,
Anglos dùm premit acriùs,

Nudoque ense ferit terga fugacium.
Dii caro capiti manum
Prætendêre boni, strictaque vulnere
Circum colla levi cutis,
Virtutis memorem vix retinet notam.
Inclementior ingruit,
Turenni, tibi sors. Occidis, occidis,
Æternum Patrui decus
Æquature, animam fata superstitem
Ævo si sinerent frui;
Nec flore in tenero spes meterent datas.
Et solamen habet necis
Ingens. Belligeræ tota Britanniæ
Tecùm Nobilitas perit,
Et funus celebrat clade suâ tuum.
Fumant sanguine Belgico, et
Cimbrorum refluunt arva cruoribus.
Scotorumque cadavera
Valles mole suâ montibus admovent.
Tanti Nassavio stetit
Se præstare virum! Surpuerat fugâ:
Regi denique reddidit
Auctam non modico fœnore lauream.

AD SANTOLIUM VICTORINUM.

Æterna esse præmia pöëtarum qui latinè scribunt.

Non, si carmina Gallicis
Aptè juncta modis, ingenî et artium
Idem cultor et arbiter
Colbertus meritis muneribus fovet;
Romanæ, ut quereris, lyræ
Omnis continuò laus perit et decus,
Santoli. Neque præmia
Illum deficient, Virgilio duce,
Versus persimiles tuis
Quandoque Ausoniâ qui recinet tubâ.

Nescis ut patrio novam
Sermoni faciem quæque ferat dies?
Nam quas nunc miserè anxius
Scriptor quærere amat delicias, brevi,
Usus si volet insolens,
Spretas rejiciet non sine nauseâ.
Ronsardus malè barbaro
Molles auriculas murmure vulnerat,
Dictus Franciacæ pater
Linguæ. Quis modò non unius æstimet
Assis, vendita millibus
Terdenis opici carmina Portei?
Et jam, Perronide, jaces:
Jam, Malherba, tuos Sequana parciùs
Miratur numeros. Fugit
Laudatus populis Veturium lepos:
Festino et nimium pede
Chartas Balzacii deseruit Venus.
Sic mori placitum improbo
Fastidire, semel quod placuit, diù.
At certus Latiis honos,
Et vani haud metuens tædia sæculi,
Perstat gratia Vatibus.
Vivet perpetui Musa Sidronii
Puro flumine purior:
Et qui nunc citharâ provocat æsculis
Auditas Calabris fides;
Acri nunc lituo Mæoniden refert:
Felix ponere Wallius
Incano duplicem vertice lauream.
Rident sole sub aureo
Flores nigrum hyemem, quos facili manu
Inserit meus, et mero
Rapinus nitidos nectare perpluit.
Et te fama, Ruæe, anus
Tradet postgenitis, non humili pede
Persultantem Isalæ vada:
Dùm cantu Batavos exagitas duces;
Et quos Rex gladio ferit,

Æterno calami figis acumine.
Nec te, Frizo, sinet premi
Obscuro indecorem Posteritas situ:
Cui si me ingenio parem
Turennî annuerint dicere prælia, et
Rubros sanguine Belgico
Musæ Borbonidas; non aliis velim,
Obscœni fugiens lucri,
Ornari potiùs carmina præmiis.

IN OBITUM GABR. COSSARTII S. J.

Cossartius admonet amicos ne lugeant.

Ne mihi, ne gemitu indigno turbate quietem:
Tumulumque mœstis irrigare fletibus
Desinite, ô vates. Nec enim, si vestra dolorem
Cohibere pietas renuit et constans amor;
Nostra etiam tristes patitur fortuna querelas,
Planctusque recipit obligatos funeri.
Vivimus; et spolium de corpore mors habet uno,
Quod amastis in me, quod fui Cossartius,
Non rapuit. Manet ingenium post fata superstes;
Animusque veri cupidus et recti tenax.
Quàm juvat immoto gaudentem insistere recto;
Nescire vestræ sortis ingratas vices:
Et dubiam, celeremque humano pectore labi,
Non posse morum perdere innocentiam:
Quàm dulce est sine nube ipsum deprendere verum,
Mundique causas fonte mirari in suo:
Æternamque sitim æterno restinguere potu
Sese fruendum largientis numinis!
Hic legere, inque uno fas omnia discere verbo.
Ei quod librorum tot mihi volumina,
Tot fando nunquam potuere evolvere linguæ:
Sine voce reserat eloquens silentium
Discendi labor omnis abest; infusaque menti
Oblivionem non timet scientia.
Cùmque olim innumeris confuderit ora loquelis

Mortalium audax scandere in cœlum furor;
Sermo unus placuit superis, et fœdere pulchro
Conjungit idem pectora et linguas amor.
Hîc et *Concilia*, et cœtus spectare piorum
Meo adsidentem Labbeo demum licet;
Et conjuratos Christum defendere patres:
Seu voce dimicandum et ardenti stilo;
Sive fides sparso fuit obsignanda cruore.
Hos multiformis error, et fœdam aspici
Hæresis obvelans faciem, gremiumque parentis
Discerpere atrox schisma, pellaci et manu
Jucundum novitas docilis miscere venenum,
Horrent, metuque sub Styga occultant caput.
Me quoque pars tanti spectat nonnulla triumphi:
Calamoque et ore vindicasse cœlites,
Ingens nunc pretium, mercesque refertur olympo.
Vati rependit Vechius grates suo;
Atque immortales dat circum tempora lauros,
Sacro coronam delibutam sanguine.
Auratisque adeò tecum, Francisce, quadrigis,
Memor dicati carminis, solem super
Stellarumque domos lætantem tollis: Averni
Seu cum revisis Japonem eruptum jugo,
Et tandem edoctos Christo succumbere Sinas;
Seu templa crebrâ supplicum excitus prece
Ingrederis, toto quæ plurima condidit orbe
Tuoque pietas consecravit nomini.
Sunt etiam nobis, ut quondam, nunc quoque cordi
Versusque, tibiæque, et argutis fides
In numerum pulsæ digitis. Rapit entheus ardor
Animos volentes: et disertæ carmina,
Inspirante Deo, fundunt ex tempore linguæ:
Queis aula cœli plaudit, et superum chorus
Mirando favet omnis. Et est audire voluptas,
Non fabulosi vana Pindi somnia,
Graiorumque efficta modis mendacia miris:
Non additum aris atque adoratum nefas:
Sed cantus sacros, quibus est Deus argumentum
Ingens, perenne, nescium fastidii,

Usque placens; quod nec cantu exhaurire facultas,
    Cultu nec ullo majus efficere ingeni.
O utinam spreto famæ popularis amore,
    Aulæque nimiùm lubricis favoribus,
Materies vestri posthac sit carminis, unus
    Dignum labori redditurus præmium
Terrarum cœlique pater! cui dextra creatrix
    Cùm promat ultrò quas det immensas opes,
Ipse suis gestit sese superaddere donis.
    Hâc sorte lætus, his bonis circumfluens,
Non merui injusto causam tribuisse dolori.
    Amici amico sicne felici invident?
Gratari potiùs, decorique applaudere nostro
    Fides monebat. Cur inanes lacrymas
Perditis? ah! ne flete paterna in regna receptum:
    Sed flete vestrum tamdiù exilium trahi.

NOBILISSIMO ADOLESCENTI

JOANNI BAPTISTÆ D'ESTAMPES,

EMENSO PHILOSOPHIÆ CURRICULO,

AD LAUREAM ARTIUM ASPIRANTI,

Et sub auspiciis PHILIPPI Regis Fratris Unici Theses in Harcurio propugnanti.

I, quò secundo numine et præsagiis,
    BAPTISTA, non fallentibus,
Cupido honesta laudis, et flore in suo
    Matura virtus te vocat.
Aperitur ingens campus, atque gloriæ
    Illustris offertur seges;
Bellandum: at ista non manûs, sed ingenî
    Vim bella roburque exigunt.
Pulchri nec anceps alea est certaminis,
    Cui certa ratio præsidet.
Juvenique properat lauream Victoria
    Viro triumphos destinans.

Vestræ illa gentis scilicet domesticam
Usu perenni se probat
Lenis Minervæ gaudet ut quisque artibus,
Martisve studiis horridi,
Huic debita venit palma. Stampææ domûs
Fatale sic astrum tulit.
Floret (1) Jacobi nomen, et plausu trium
Celebrata Regum gloria.
Summi aulæ honores, militarisque imperî
Insigne clarum scipio,
Raptum sepulchro, Galliæ immortalibus
Fastis merentem consecrant.
An fabulosi torva proles Pelei
Tuo se (2) Achilli comparet?
Quem Roma sacri jura patrimonii
Victrice tutatum manu,
Inter suos sedere vidit Principes
Latio nitentem murice.
Dùm Christiani Melita propugnaculum
Erit orbis, et gravi minax
Offundet umbrâ Thraciæ Lunæ jubar;
Magni (3) Valencæi memor
Tremet Propontis: barbaræ et toto rates
Fugam capessent æquore.
Tacebo (4) Patrem, cujus invictam haud semel
Sensere dextram Teutones.
Captiva seu cùm Mercii fraude agmina
Forti recepit prœlio:
Seu cùm Turenni lacrymabili nece,
Nostrisque tumidos luctibus,
Ferro coërcens vindice vicissim sua
Plorare jussit funera.
Egregia justo Ludovicus præmio
Fraudare facta nescius,

(1) Jacques d'Estampes, maréchal de France.

(2) Achille d'Estampes de Valencé, cardinal.

(3) Monsieur d'Estampes de Valencé, grand-prieur de France.

(4) Monsieur le marquis d'Estampes.

Quo jura victis Regibus solet dare,
Hoc ore laudavit Patrem.
Clarique testem sanguinis torquem, et decus
Virtutis expertæ addidit,
Sed Marti amicos non creat solum duces
Fecunda laurorum domus.
Et illa placidis sæpè Pacis artibus
Heroas insignes tulit.
Quos æmulere, ferre par Ecclesiæ,
Almæque Themidis infulas.
Offert coronam stemma avitum triplicem,
Tu digniorem selige.
Neque obtinere non erit levis labor;
Auspice Philippo militas:
Philippo, amores quem suos palmæ memor
Cassellianæ Gallia,
Suumque fulmen bis triumphans, hostibus
Solo et salo versis, vocat.

NAMURCUM EXPUGNATUM.

Sic servas populis fidem?
Sic urbem sociam pollicito diù
Præsens auxilio levas?
Nec, Guillelme, fugæ dedecus, æmuli
Nec sævos Bavari jocos,
Desertique times funera Belgii?
Atqui te innumeræ ducem
Circumstant acies: totaque classicis
Mota Europa tuis venit
Promisso obsidium solvere prœlio;
Frustrà: quandò ratum tibi
Damnatam toties defugere aleam.
Felix consilii tamen,
His palmam Ludoico eripis artibus;
Arcisque indomitæ jugo
Contentum esse jubes, Caselii memor.
Credent postera sæcula,
Quæ qui facta videt, credere vix potest!

NAMURCUM, gemini ambitu
Vallatum fluvii, celsaque subrigens
Aspris mœnia rupibus,
Castelloque minax, et duplicis morâ
Arcis non superabili;
Cui tam multa virûm millia, tot duces
Certi vincere vel mori,
Stabant præsidio; cui gravis imbribus
Et denso nigra turbine
Depugnabat hyems, tempore non suo;
MAGNI fulmine concidit,
Et fractum domino supposuit caput.
Tu nunc, oribus et tubis
Centum, hæc per populos, Fama, renuntia;
Queis si non habeant fidem,
Explorasse oculis Nassavium refer.

MACLOVIOPOLIS

AB IGNIBUS ANGLORUM

SINGULARI DEI BENEFICIO SERVATA.

DECEPTA fraus est: et scelus molimine
Tanto paratum, tam gravi,
Quo plus noceret, conditum silentio,
Frustratus Hostis perdidit.
Audite Gentes, perfidus Socero Gener
Quas non honesto fœdere,
Ut sceptra servet rapta, sociabit sibi:
Cœlum tuetur Galliam,
Deique causâ bella dùm Franci gerunt,
Deus ipse Francis militat.
Nervinda testis, quæque tergemini agminis
Marsalia bibit sanguinem;
Captâque Batavûm classe toto nobilis
Nunc orbe Calpe fabula;
Et addita Rosa Liliis; et Caroli
Arx freta Regis nomine

Nequicquam et armis; Mosaque, Rhenusque et Nicer
Fractis gementes cornibus;
Ipsumque, quâ secumque diffundit, mare
Jam Ludovico serviens.
Et tu, Patrono clara Maclovio Insula,
Favoris in nos cœlitûm,
Vel sola, specimen esse et exemplum potes
Ævis stupendum posteris.
Quàm penè medio facta luxisti æquore
Tua triste bustum mœnia!
Cùm capta bello spolia, et amissas rates
Ulturus Anglus adstitit,
Fartosque vivo sulphure et nitro globos,
Vimque æmulantes fulminum,
Cavo ære jaculans, ignibus cœlum horridis
Implevit et terras metu.
Quanquàm furoris hoc leve hostilis fuit
Tentamen et præludium.
Constructa fabri machina inferni manù,
Latoque Vesuvium alveo,
Ætnamque portans, urbis excidio venit
Tamesis ab ora turbidi.
It dira pelago puppis, impellentibus
Flatu atra Furiis lintea
Favent tenebræ noctis, et silentium,
Soporque vel securitas
Malefida civis, militisque incuria,
Heu pace properantis frui
Urgente bello. Jamque portum fluctibus
Moles secundis attigit
Tartarea: jam ferale muris applicat
Verso gubernaclo latus.
Uteroque pestem conditam, et pejus malum,
Sese minatur. Nec mora:
Rapto igne nitri semina horrendùm tonant;
Piceoque vortex lumine
Horrificat umbras. Ardet æther, æstuat
Mare, terra mugiens tremit.
Rupta asserum compage dissultat ratis,

Rotatque tabulas et trabes.
Funesque ponè malus incensos trahens,
Novus cometes fulgurat.
Ah! fugite, Cives, quà licet; vos cladium
Fecunda tempestas petit.
Erebi ministros cerno sulphureis cados,
Ollasque ramentis graves
Flammare facibus, inque delubra impiâ
Domosque moliri manu.
Sed ne metus: defensor in amice Deus
Custodiam urbis excubat,
Ipsumque vertit bonus in auctores dolum
Ejus paratum funeri.
Io triumphe! Liberatori Deo
Servata dicat civitas.
Matrique dicat, dona votiva offerens,
Io triumphi! Virgini.
Innocua Francis fulmina Anglos opprimunt,
Pœnâ furori debita.
Mœstusque tantis ductor incassùm minas
Emisse inanes sumtibus,
Spoliis relictis fugit, in patriam ferens
Fidem ultionis proximæ.

HELIOTROPIUM.

Illustres animæ, quas pulchræ gloria sortis
Induit in florem, et pictis decus addidit hortis
Sidera camporum, terræque parentis amores,
Cedite: formosumque omnes agnoscite pronis
Verticibus regem, parvòque assurgite soli.
Omnia solis habet, nomenque, orbemque, coloremque,
Ardentesque auro radios, ignemque serenum
Crinis et innocuâ fulgentem luce coronam.
Indidit et motum solers natura; suumque
Esse dedit terris, visu mirabile, solem,
Constanti qui lege dies metitur et umbras,
Attonitoque novum deducit tempus olympo.
Quin et sensus inest flori, occultisque movetur

Illecebris : pulchrosque fovet sub cortice duro,
Quos radiis sol ipse suis exsuscitat, ignes.
Ergo ubi purpureo reduces oriente quadrigas,
Auratumque videt dilecti sideris orbem;
Ilicet haud dubiis prodit sua gaudia signis.
Quemque modò exangui moriturum stirpe putares,
Nunc caput attollit nitidum, caliciisque reclusas
Pandit opes, fulvumque comæ diadema superbæ
Explicat, et cupidè tendit formosus haberi.
Mox animas efflat molles, pretiosaque amanti
Nubila : particulasque leves de corpore libat,
Ire omnis cupiens, ni votis gleba repugnet,
Innectatque moras. Sed, quod licet, aspicit illum :
Pallidulo que suos vultu testatur amores :
Est pro voce color. Nec amati gratia solis
Nulla refertur. Et is parili quoque carpitur æstu
Et flammis calet ipse suis : gaudetque tueri
Quos pinxit radios, seque admiratur in illis,
　Ast ubi nulla datur spectandi gloria floris,
Et cæco obtutus dirimit nox invida velo :
Ille moræ impatiens, (quid non amor improbus audet ?)
Permeat obstantes nebulas, radiumque fidelem
Mittit ad absentem, notis impressa figuris
Qui sua verba ferat, multam exoptetque salutem,
Admoneatque suî, responsaque certa reportet.
Ipse autem quanquam præmisso interprete gaudet,
Ni caro tamen aspectu, totâque potiri
Luce datur, lentâ paulatim tabe fatiscit.
Demittit caput, et post aurea lumina solis
Dedignantem oculum quicquam spectare, tenebris
Devovet æternis : nimioque oppressus amore,
Efficit ipse suo sibi dives caule sepulchrum.

UNDE TANTA POETICI SPIRITUS

CARMINUMQUE VARIETAS.

Nescis, care puer, quantas Aganippidos undæ
Esse potestates Pindi regnator Apollo,

Quam varios usus voluit. Fons unus in alveos
Scindit se plures : sed non vis omnibus una.
Nam sacer erumpens variis siphonibus humor
Ora modis vatum fingit potantia miris.
Hâc elegos, illâ molles de parte phaleucos
Continuò ire datum. Tragico volvuntur iambi
Cum sonitu; heroï grandes placido agmine currunt!
Labitur ad numeros modulatis fluctibus ode.
Ipsa loci facies oculos invitat euntem,
Aspectuque suo mulcet. Consurgit in auras
Tectorum in medio geminato vertice rupes
Structa manu : conchâ positisque ex arte lapillis
Naturam simulavit opus. Longo ordine circum
Diversæ effigies stant; et jaculantur aquæ vim
Ritu quæque suo largam. Bicoloribus alis
Fama volans, lauroque caput redimita virenti,
Ære ciet pugnas, regesque hortatur ad arma.
(1) It lituo longè proruptum flumen. At illo
Mæonii sese properant immergere olores,
Cùmque undis numeros et Martia carmina ducunt.
Parte aliâ auratis graditur regina cothurnis,
Scissa comam, laniata genas. Tum cuspide sævâ
Ilia transadigit. Liquor alto vulnere manat
Purpureus; verusque potest cruor ille videri.
(2) Hinc tragici potant, mentesque ad grandia fingunt
Crimina fortunæ cantanda, virûmque labores,
Et magnos rerum fato sub vindice casus.
At Venus in brevibus soccis et simplice amictu,
Sparsaque inornatos crines per eburnea colla,
(3) Neglecto et cultu formosior, improba gaudet
Jurgia et insanas juvenum componere lites;
Furtaque, servilesque dolos, vanumque thrasonem.
Subductosque seni loculos, dùm stertit, avaro.
Dicta deæ ac gestus taciti mirantur amores.
Illa levi feriens terram pede, prolicit amnem :
Undè bibunt, queis aut divini fama Menandri,

(1) Heroïca poëtis.
(2) Tragœdia.
(3) Comœdia.

Aut Libycæ Sirenis honos, præcordia tangit.
(1) Non procùl hinc Satyrum tergo rudentis aselli
Hærentem aspicies. Dependet buxea collo
Fistula, non paribus crescens de more cicutis.
Læva quatit virgam, pigrumque urgere laborat
Quadrupedem. Ridet circum lasciva juventus,
Atque jocis misero, salibusque insultat amaris.
Ipse autem naso rivum, exertoque molari
Eructat duplicem. Naso qui labitur humor,
Innocuos generat risus dulcesque cachinnos,
Et quæ qui patitur convicia, credit amari.
At quæ dente putri saliens micat unda, colorem
Fellis habet, potu et bilem succendit acerbo.
Proritatque animos, lethumque in vulnere linquit.
(2) Amphion fidibus mulcens delphina canoris
Indè mari vehitur. Glomerant se vitrea circum
Numina Tritones, pendentque canentis ab ore
Attoniti. Patulis geminos de naribus efflat
Intereà piscis fontes, pulsatque vicissim
Humenti citharam plectro. Bibit impigra vatum
Gens latices, et fatidico se proluit haustu:
Tùm verò heroum superis exæquat honores.

(1) Satyra.
(2) Lyricum carmen.

SOL ORIENS.

Sol effert rutilum cœlo caput; atque sereno
Aspiciens terras vultu, mortalibus ægris
Optatæ reddit lucis cum munere vitam.
Illum omnis merito venientem gaudet honore
Præverti natura. Feræ, pictæque volucres
Motibus, et lætâ, quà fas est, voce salutant.
Ipsæ etiam fagi, ipsæ etiam sentire videntur
Sideris exortum dura sub cortice pinus:
Ad numerosque movent frondes, et murmure rauco
Gaudia testantur. Nec dispar floribus ardor
Incessit. Gratos properant diffundere odores
Certatim, puris adolentque vaporibus auras,

Inque suâ dominum venerantur imagine numen.
Salve orbis decus, et cœli pulcherrima lampas,
Astrorum dux atque pater, quoque omnia cernunt
Mundi oculus. Tu naturæ certissima vita
Atque animus. Tibi regalem diadema coronat
Auratis frontem radiis. Te flammeus axis
Æterno portat cœli per templa triumpho.
At quocumque pedem felix et lumina torques,
Continuò alma dies oritur, fugit umbra, tenebræ
Sub Styga præcipitant, nigra mergitur oceano nox.
Nec verò flamma sol deficiente laborat,
Aut tristi dolet obductos caligine currus.
Hæc Phœbe, hæc quæcumque alienâ luce coruscant,
Damna pati metuant stellæ. Non deficit ignis
Divinus: cùmque in medio se limite condit,
Invidiâ lunæ, atque objectu corporis atri,
Creditur amisisse diem, tunc ardet olympo
Puriùs, et lunæ tenebras noctemque remittit.

DELIQUIUM LUNÆ.

Olenides Damon Alni frondentis in umbrâ
Iridis infestos Nymphæ cantabat amores
Vicinum retinens cantûs dulcedine flumen:
Quem Chromis admirans simul audiit, et simul imò
Desuetam sensit sub pectore gliscere flammam;
Oestríque impatiens, fas sit mihi munere vestro,
Pierides, inquit, cœlestia viscre templa:
Defectus Lunæ juvat erroresque tueri,
Tantorum et propiùs causam explorare laborum:
Forsitan hoc fuerit sævi quoque crimen Amoris.
Nam neque tortilibus spiris, quod anilia fingunt
Somnia, correptam sorbet Draco; nec maga bigis
Murmure ferali descendere Thessala cogit.
Parcite sollicitæ cava tympana tundere gentes.
Hei mihi! tunsa ferum non mulcent tympana amorem.
Ille onerat gravibus curis mortalia corda:
Astrorum ille etiam cursus et lumina turbat!
Incipiam. Pronas nostris data vocibus aures

Vos arcana quibus vatum mysteria curæ.
 Luna recèns emersa chao et natalibus umbris
Ut primùm solem aspexit, sparsamque decorâ
Luce comam, et rutilas auro gemmisque quadrigas,
Protinùs exarsit: placito nec restitit igni.
Est soror: an quisquam fraterno ardere sororem
Igne vetet, lux materiam cui casta ministrat,
Et pietas vires? Ergo rude pectus amori
Sponte suâ blandis præbet Dea figere telis,
Miratur Phœbum, nec se declinat ab illo,
Sed quò plus inhians cernit, plus cernere gaudet,
Namque placet solus: soli placitura vicissìm
Componit faciem, crinesque et candida colla
Præcingit radiis: soli vult pulchra videri.
Nec nulla intereà est dilecti gratia fratris,
Ipse etiam similem nutrit sub pectore flammam,
Hanc et blanditiis et crebro munere prodit,
Imperii sociam facit, et partitur honores,
Stellatas dat inire domos, dat ducere Olympo
Sydera; cùmque diem nostro aureus invehit orbi,
Illa alium lustrat curru, pellitque tenebras.
Sorte suâ felix, si, tristi cuncta veneno
Qui vitiat, sineret felicem vivere Livor.
Ducenti de more choros sub nocte serenâ
Lampyrie, comitum fidissima, fertur in aurem
Increpitans dixisse: tuos prædatur amores,
Et, te posthabitâ, Phœbum tenet æmula tellus:
Hactenùs, et tacuit telo inter verba relicto.
Palluit audito Telluris nomine Luna,
Et quanqaum genus et formæ fiducia suadent
Spernere rivalem, metuit tamen omnia amantis
Credulitas quidvis damna in sua fingere solers.

TENEBRÆ DISCUSSÆ.

Vix Jovis artifici dextrâ concreverat orbis
Cùm deforme chaos, feralique horrida partu
Nox umbram ut genuit; Stygiis simùl illa cavernis
Emissa est, vidit quàm pulchris sidera cœli

Ignibus arderent, ut purum argentea lumen
Spargeret, atque novo radiaret in æthere luna.
Vidit, et invidiæ stimulis accensa dolorem
Colligit, atque sibi nullius conscia formæ
Cùm foret, æthercam tendit corrumpere lucem.
Ergo atras nubes, densosque immittere fumos
Cœpit, ut astrorum lætam caligine frontem
Inficeret. Jamque obscuro morientia cœlo
Sidera rara micant, pallorque impurus honestos
Suffudit vultus, adeò vis atra veneni
Incumbit, mœretque latens sub nubibus æther.
Non sortita Jovis cognomen stella, neque arctos
Conspicuâ rutilans flammâ, non lucifer ipse est
Intactus, stellisque licèt magis omnibus unus
Splendeat, et nitido lucem pulcherrimus axe
Nunciet, ecce tamen tenebrarum viribus impar
Occuluit frontem languenti pallidus astro.
Ter contrà obniti conata est luna, malignis
Si forsan tenebris sese subducere, et umbræ
Defugere insidias adverso lumine possit;
Ter vanus periit conatus, et ipsa vicissim
Deliquium passa est; nebulisque obsessa perennem
Indè notam, et primæ retinet vestigia labis.
Jam victrix ovat umbra, canitque superba triumphum,
Majoresque animos, cœptis felicibus audax,
Concipit, atque ipsum tenebris involvere solem
Apparat, hinc facilem sperans temeraria palmam,
Continuò fumos humentibus elicit antris,
Et magnum gelidis convallibus excitat agmen
Nimborum, totumque chaos, noctisque nigrantem
Progeniem, et fuscas jubet invigilare cohortes,
Quæ subito properent orientem invadere solem
Turbine, et oppositâ radios extinguere nube.
Ast ille æquoreis frontem vix extulit undis,
Hostiles subitus cùm turmas occupat horror.
Defugiunt aliæ, et sese sub tartara condunt,
Præque pudore latent, ac cætera, si qua supersunt,
Dispergit victor lucentibus agmina telis.
Umbra autem, turbas quas moverat auctor, ab ipso

Deprehensa est fugiens, manibusque ad terga revinctis
Ducitur ad currus, invisasque lumina solis
Jussa sequi, infelix paulatim absumitur igni.

HOROLOGIUM AD VIR. C.

ÆGIDIUM MENAGIUM.

Mortalisne etiam felix audacia dextræ
Æternas simulare domos, et legibus æquis
Sidera constantem cœlo modulantia cursum
Aggreditur, divûmque operi certare laborat?
Ecce brevis moles totum comprendit olympum:
Æmula naturæ moles, quâ prædita tellus
Nil jam solis eget: neque lunæ consulit ignes,
Ipsa suum sibi tempus habens: Namque alite curru
Quot terram circum volitans sol conficit orbes,
Tot gyro breviore imitatrix machina ducit;
Metiturque viæ spatium, et discrimina signat
Ortusque, occasusque: aut mundi vertice summo
Cùm stetit, et radiis fugientes contrahit umbras.
Nec cessare licet, suaque in vestigia ductos
Flectere jam retrò gressus; quin improba voce
Segnitiem incuset crebrâ, tardosque jugales:
Ceu cœlo dicat leges, atque imperet astris.
Sed quis multiplices speret describere motus,
Aut tam magna sequi miracula posse canendo?
Ecce rudis plumbi, contorta è cannabe, massa
Cardine subjecto pendet: vis insita deorsùm
Quam trahit, et sensim nativo prægravis urget
Impete. Eam contra leviori corpore pondus
Funis ad extremum nodo religatur: at illud
Æthereas tantùm se fert sublime sub auras,
Massa suo quantùm descendit plumbea nutu.
Hinc series motûs, et inenarrabilis ordo
Ducitur: hinc totos aptè diffusa per artus
Vis agitat molem, et certò cum fœdere torquet.
Trochlea nam spiris circum labentibus acta,
Tardior ipsa licèt, vicinum concitat orbem:

Atque hic alterius conserto dente vicissim
Urget agens gressus, secumque impellit eundo.
Ergo ambo rapidus curvo ferat agmine vertex;
Alterno ni libra moras versatilis unco
Injiciat, pressisque fugam moderetur habenis.
Ipsa autem justo tempus discrimine pensat
Intereà; secumque putat, quos lubrica fines
Accipiant momenta, quadranti quis modus arcto;
Quantum labentes spatium determinet horas.
Cùmque pererrato jam limite signa ruendi
Certa dedit, frænoque rotas cohibente minores
Admonuit pulso: versis fragor axibus ingens
Exoritur. Velut æstivam cùm Juppiter olim
Increpuit nubem: vel cùm victricibus undis
Oppositas rupere sonanti flumina moles.
Effugiunt orbes, indignatique teneri
Præcipitant, quà quemque suus vocat impetus, et quà
Vis plumbi gravior jubet inclinare sequentes.
Nec mora, turritâ respondet ahenus ab arce
Excubitor, ferroque sonum pulsante per auras
Ingeminat toties, tabula quot in indice tangit
Virga notas; numerumque horarum cantibus æquat.
  Hactenùs informes orsus, et nobilis artis
Pingue rudimentum. Nam posthàc doctior ætas
Expoliit, cultuque novos adjecit honores.
Nunc picturato labentia sidera mundo
Artificem justis deducere motibus annum
Suspicies, Phœbique imitantem lumina flammam
Obliquum per iter bissex percurrere signa;
Errantemque globum lunæ, parvosque planetas,
Alternis dociles modulari lustra choreis.
  Nunc fictas acies mirabere, sævaque in armis
Agmina præbere insontis spectacula belli.
Stat campo tacitus miles, viresque videtur
Colligere ipse suas; donec vi concitus axis
Signa dedit. Fremuere tubæ, et cava tympana pulsu
Horrifico: constringunt enses, et tela coruscant;
Misti equites peditesque; idem omnibus incidit ardor:
Alternosque serunt ictus, et mutua densant

Vulnera : mox factâ concordes pâce quiescunt.
Sæpè etiam heu! tristis suspensus imagine pompæ
Integros memini spectando ducere soles.
Saturnus, similis leges et jura ferenti,
Fronte oculisque minax solio consederat alto.
Sub pedibus rigidæ fatalia pensa sorores
Carpebant. Mors ipsa aderat, cui falce gravatur
Dextera terribili, librataque pendêt in ictum :
Eque viris, fallax quos lactat vita futuri
Immemores, nunc hos oculis, nunc destinat illos.
Supremæ intereà miseris deus arbiter horæ
Metiri momenta, et inevitabile punctum
Ære videbatur pulsato indicere. At illa
Protinùs in medios, quà copia facta, ruebat,
Monstratumque caput telo excutiebat acuto.
Vosne hostes somni dicam, queis cura quietem
Rumpere tinnitu, et lucis revocare labores?
An vos, quæ dominis cælatâ in pyxide clausæ
Gemmantes horas, pretiosaque tempora in auro
Volvitis affixæ lateri, noctuque diuque
Excubiæ vigiles? Nec tu incelebratus abibis
Carminibus nostris, memori dignissime fama
Annule : quem digitis Cæsar regalibus aptum,
Scilicet ingenioque parem gestare solebat
(1) Carolus. Ille brevi palâ, mirabile visu,
Currentesque rotas, implexosque orbibus orbes,
Ponderaque, et justo suspensam examine libram,
Indice cumque suo vocalia ceperat æra.
I nunc, et tenues mirari perge quadrigas
Græcia, quamque suis navem musca obtegat alis :
Archytæ jacta ludos, fictamque volucrem
Cœrula mendaci tranantem nubila pennâ :
Quæque Syracosii solers industria fabri,
Naturæque manus victrix miracula finxit.
Plus quiddam est cœlum potuisse includere gemmâ.
Nunc ego te, ô præses, degendæque arbitra vitæ
Machina (2); sub rigido si te spirare metallo.

(1) Carolus V. Imperator.
(2) Sic machinam viventem appellant.

Non frustrà perhibent, sed habet vis dædala mentem;
Unum oro, et dulci vates pro carmine posco;
Parce meo feralem horam properare Menalcæ.
Sed potiùs relegens tua per vestigia cursum,
Fata redordiri, primæque reducere florem,
Quantùm fata deusque sinent, molire juventæ,
Ceu quondam magnâ populi spectante catervâ,
Per denos sublapsa gradus retrò umbra cucurrit;
Ezechiæque suos ævum revocavit in ortus.

PSITTACUS. AD VIR. CLAR.

ANNAM BIARDUM INCARVILLÆUM.

Tu quoque carminibus quondam celebrabere nostris,
Eoæ viridis regnator Psittace sylvæ:
Quo doctæ gaudent volucres didicisse magistro
Arguto humanas imitari gutture voces.
Undè tuæ tamen ordiri præconia laudis
Incipiam? nam dicta aliis jam vatibus, auro
Circum colla nitens, minioque interlita torquis:
Plumaque nativo superans fulgore lapillos;
Et mille ad solem quæ sparsa coloribus Irin
Cauda refert; coccoque rubentis gloria rostri;
Blanditiæque, jocique, et herilibus oscula labris
Sueta dari, et sævæ in fures convitia linguæ.
Hæc, et plura, quibus justo te, Psittace, tollis
Inter aves fastu, prisci cecinere poëtæ:
Nos versam effigiem mutataque membra canemus.
Parnassi sacras furtìm penetraverat arces
De levium populo lepidissimus unus Amorum.
Nam sorte Idalii nascuntur dispare fratres.
Hos Cytherea parens divino semine leti
Procreat immunes: ast illi humana sequuntur
Fata nothi, patrioque trahunt à sanguine labem.
Haud tamen hic gressu pueris cœlestibus ibat
Inferior: par oris erat, frontisque venustas;
Idem oculis ardor. Non flavis gratia cirris,
Non brevibus deerat formosa superbia pennis.

Nec minùs ille etiam jaculis metuendus et arcu;
Nec rudis ardenti juvenes incessere tæda,
Si libuisset, erat. Sed enim violentia menti
Nulla fuit: ludi, nugarumque una voluptas.
Gaudebat petulante salés aspergere linguâ,
Et grata innocuis incendere prælia dictis.
Ergo ubi se lucis frondentibus intulit audax,
Nunc vitreos propter fontes lascivus oberrat;
Nunc super areolas, et odoriferos pulvillos.
Radit iter liquidum suspensis lubricus alis:
Nunc manibus totos horti populatur honores
Præteriens, sertisque comas innectere gestit.
Sæpè etiam medio libratus in aëre, lauri
Vel ramo insistens, flores jaculatur; et ipsas,
Aut violæ, aut croceo calthæ petit imbre sorores:
Inque caput nimbos, inque ora effundit olentes
Insultans; factisque jocos scurrilibus addit.
Non tulit ulterius puerum regina procacem
Calliope; meritisque pares imponere pœnas
Cogitat. Ecqua autem speret ratione fugacem
Prendere? fidentemne etiam pernicibus alis
Captabit? notos igitur se vertit ad astus:
Et volucrem aucupio, quâ debuit arte fefellit.
Forte fuit curvâ auratus testudine carcer,
Quem distincta ostro virgarum argentea circum
Claudebat series: fulgent capita alta pyropis
Nexilibus; virides prætexunt infima gemmæ.
(1) Hoc quondam abdiderant victas certamine Picas;
Servabantque sui monimentum insigne triumphi
Aonides. Ergo hunc mediis componit in hortis;
Ambiguasque fores, et fallax cardine limen
Occulto insidians filo suspendit. At intùs
Calliope flores et poma reponit, Amori
Incauto illecebras. Quæ summâ ut ab arbore vidit;
Advolat in prædam, caveæque irrumpit apertæ:
Demens, qui luctusque suos, quodque ipse parabat
Exitium sibi, nesciret! Nam pensile limen
Labitur extemplò, et nullâ reserabilis arte

(1) Ovid. lib. 6. Metamorph.

Cardo viam obstruxit. Gemuit Cythereïa proles,
Proque suis serò nimiùm sese increpat ausis.
Nec minùs intereà, si quâ vi claustra revellat,
Nititur. Explorat clathros, et virgea multâ
Septa manu quassans morsuque et dentibus urget
Nequicquam. Simul hinc magnis clamoribus adsunt
Pierides, gaudentque vicissim illudere; et iras
Exstimulant dictis et amaræ verbere linguæ.
Ille truci contrà obtutu respondet; et acres
Plus oculis quàm voce minas, ni vincla resolvant
Protinùs, intentat. Sed scilicet irrita divæ
Verba parùm curant: ipsaque in clade ferocem,
Proque prece et lacrymis arcus et tela parantem,
Aversæ merito captivum in carcere linquunt.

At puer infelix, quandò jam exire facultas
Nulla super, questusque diù jactarat inanes,
Nil responsuræ nomen genitricis opemque
Implorans, statuit crudelem abrumpere vitam.
Utque humeris habilem pharetram de more gerebat,
Telum immite manu (tanta impatientia probri est)
Heu! telum non hos fabricatum promit in usus,
Ferrumque obvertens nil tale merentia contra
Pectora: Tu certè vinclis et carcere fœdo
Eripies, inquit; meque in mea jura repones:
Nec longùm illudi capto patieris Amori.
Has inter voces lethali saucius ictu
Labitur, inque suo moriens se sanguine versat.

Quem simul ac vidit (namque hauserat illa furentis
Clamorem extremum), casu illacrymavit acerbo
Calliope: pectusque manu percussa decorum,
Ungue genas secat; et flavos mœstissima crines
Inferias puero superinjicit, atque ita fatur:
Non ego te, testis dea mater et ipse loquenti
Frater Amor, tantum sperabam haurire dolorem,
Ut velles telo crudele arcessere funus.
Da veniam, ô si quis sensus post fata remansit,
Erroris que animum memorem ne perfer ad umbras;
Dùm queritur, corpus visum est exangue moveri:
Sive fuit lacrymis ea vis, sive oscula crebra,

Instaurare animam membris potuere fovendô.
Nec mora, pro puero volucri novus emicat alis
Psittacus: inque deæ gremium mirantis et ora
Insiliens blandâ solatur voce; manumque,
Et tenero in pignus pacis petit oscula rostro.
Ille quidem nollet caveâ breviore teneri:
Non tamen hanc odit; nam priscum morte furorem
Deposuit: sed par studium, par lusus; et idem
Garrulitatis amor mutato corpore restat.

VELEDÆ BRUCTERORUM

SIBYLLÆ IN ACANTHIDEM METAMORPHOSIS.

Parodia ad Catulli Phasellum.

ACANTHIS illa laureæ comæ insidens
Ait fuisse Virgo plena numinis:
Neque ullius latentis exitum rei
Nequisse prævidere, sive Juppiter
Sinistra fata, sive dextra conderet.
Et hoc negat Visurgis atque Luppiæ
Negare litus. Insulasve mobiles,
Sinumve Flevium, algidosve Frisios,
Sicambriam, memorque Quinctilî nemus:
Ubi ista, post Acanthis, antea fuit
Sibylla. Namque turris è cacumine
Futura sæpè corde præscio edidit.
Vetuste Aliso, fonsque Padderæ sacer,
Tibi hæc fuisse, et esse cognitissima,
Acanthis inquit: ultima ex origine
Tua stetisse dicit in crepidine,
Tuis levasse limpidis aquis sitim,
Ibique, per tot orbis horridas vices,
Superfuisse: sive saxo Bructera
Teneret arva; sive Francus impiger
Suo illa marte vindicans reposceret.
Neque ulla vota funeralibus Deis
Sibi esse facta, quùm maneret in specu

Recondita, hos ad usque proximos dies.
Sed hæc priùs fuere : facta nunc avis
Viget canendo, seque dedicat tibi,
Gemelle Apollo, et gemelle Apollinis.

MUSICI METAMORPHOSIS

IN LUSCINIAM.

Harmoniæ claro Phœbi de semine proles
Unica Luscinius quondàm fuit; omnia patri
Persimilis, roseos vultus, et eburnea colla,
Et flavos crines : vocem de matre ferebat
Seu pharetram, atque humeris habilem suspenderat arcum;
Phœbum arcu, et sumptâ jurasses stare pharetrâ.
Seu nervo impulerat volucres stridente sagittas;
Continuò jussæ feriebant signa sagittæ.
Non tamen hæc tantum, quanquam hæc quoque jure placebant,
Quantùm vox puero placuit sua. Prima voluptas,
Primus amor vocis : nec erat felicior alter
Et canere, et blando moderari pollice chordas.
Harmoniâ scires illum didicisse magistrâ :
Quin adeò, ut perhibent, maternâ lapsus ab alvo,
Impulit in numerum teneris vagitibus auras
Cùmque olim mœsto suspiria corde trahebat;
In numerum gemitus, suspiriaque ægra cadebant.
O quoties cunas circumstetit agmen Amorum
Infantis placidam gaudens turbare quietem,
Et dulces iras et jurgia grata mereri!
O quoties nymphæ violas et cana tulere
Lilia, textilibusque onerârunt poma canistris :
Blandum avidæ risum, lenesque movere cachinnos!
Hinc ubi florentes adolescere cœpit in annos,
Et voci vires, et naturæ addidit artem :
Tùm Phœbo invidiam fecit; potuitque videri
Judicibus Musis Phœbum superare canendo.
Vos, ô aërii montes, vos conscia testor
Flumina, et umbroso nutantes vertice sylvæ;
Carminibus nam sæpè suis parere coëgit

Luscinius, jussitque aliò migrare volentes :
An lyra Threïcii fuit imperiosior Orphei ?
Illo Naïades, illo psallente Napææ
Continuere vagos ripis sine murmure fluctus.
Et multæ optarent juveni placuisse : sed Echo
Hunc sibi præ cunctis meritò deposcit honorem,
Echo Hamadryadum pulcherrima. Viderat illum ;
Et pariter vultu, pariter dulcedine vocis
Arserat : ingenuum nec dissimulabat amorem.
Ergo pedem quocumque tulit, cantantis ab ore
Pendet amans virgo. Sive is vagus errat amœnas
Per valles ; gelido seu frigora captat in antro,
Æstivosque fugit soles ; seu margine fontis
Gramineo recubans nervos impellit et undas :
Echo hæret lateri ; sequiturque audita fideli
Plectra sono, paribusque modis æquare laborat.
Audiit has Faunus vicini è culmine montis
Delicias, magnoque furens excanduit æstu.
Nam sibi præ nymphis Echo sylvestribus unam
Sperabat thalamo Faunus sociare jugali :
Et sæpè huic calamis surdas ludebat ad aures,
Sæpè incomposito referebat carmine curas.
Addiderat precibusque minas, et fletibus iram :
Virgineum si fors posset mollire precando ;
Vel superare metu pectus. Sed nescia flecti
Nympha procum ridet : gemitusque precesque, superbo
Fastidit vultu, furias nec curat inanes.
Mollem quippe animum formosior ignis adurit,
Nec jam alias victo potis est admittere flammas
Pectore. Luscinius placet unus, et unus amatur.
Ah ! quid agis virgo ? deus est quem despicis, asper
Est deus, et frænos docilis laxare furori.
Sed surdus nil audit amor : securaque pœnæ
Mortali præferre deum non sustinet Echo.
Ipse autem impatiens iræ, impatiensque repulsæ :
Ergo nesciò quis Fauno præponitur, inquit,
Speratosque intercipiet fidicen hymenæos ?
Sentiet, ille tamen quem tu sibi, perfida, præfers ;
Sentiet, et durâ fastidia morte piabit,

Contemtusque tuos. Nostri solatia certè
Ista doloris erunt, quòd non potieris amato.
Sunt dryades sylvis aliæ, sunt naïades undis,
Nec formâ indecores. Unam cur millibus amens
Antefero? non est Echo me judice tanti.
Talia flammato secum sub pectore volvens
Ingreditur lucum capripes, ubi fontis ad oram
Gramine sub viridi par lene sedebat amantum,
Demulcens curas cantu, mollesque vicissim
Ad sua suspirare docens suspiria chordas.
Quos simul ac longè ferus aspicit, avia pulsans
Horrendo fremitu juga, convallesque supinas:
Et video, exclamat, vestrum, mea probra, furorem,
Et punire licet. Subitus nil tale timentes
Oppressit pavor, et vocem cum lumine ademit:
Ut verò rediere animi, et vox reddita nymphæ est;
Tela dei et furias contra miserabile pectus
Objiciens, totoque tegens sub corpore amantem:
Si qua, inquit, restat pietas, si gratia nostri
Ulla super, ferro juvenem violare nefando
Immeritum ne tende, vel hanc prius exue vitâ,
Et mea Luscinii per viscera transige pectus.
Una duos virtus concordi fœdere junxit:
Eripiet mors una duos, jungetque sepulchro.
Intereà juvenis furtivo saucius ictu
Labitur, infelix, sequitur quem virgo cadentem.
Qualis pampineis circumdata frondibus ulmus,
Cui multam agricolæ duri impegere bipennim,
Fessa ruit, traxitque maritam pondere vitem.
Haud aliter miseros casus tulit unus amantes:
Sic ambo in mediâ sibi morte suprema dederunt
Oscula; sic animas ambo simul exhalârunt.
At caræ exitium prolis miseratus Apollo
Esse dedit volucrem, maculisque rubentibus alas
Aspersit memores effusi cæde cruoris.
Ille tamen priscum mutato corpore nomen
Servat adhuc, moresque suos. Par gloria cantûs,
Par amor est. Illum sua nunc quoque diligit Echo,
Non jam nympha Echo, et Fauni invidiosa voluptas;

Sed sine mole sonus, sine pondere vocis imago.
Luscinium sequitur sylvis, et reddere gaudet
Nunc etiam teneros parili modulamine questus.

FABULÆ.

TORRENS ET FLUVIUS.

Quæsitæ honestis artibus, raptæque opes,
Fabella paucis edocet quid differant.

Multo imbre tumidus montis è fastigio,
Per confragosa saxa, rupesque asperas,
Torrens ruebat: et rapaci cortice
Secum trahebat arbores, greges, domos,
Non absque magno rusticæ gentis metu.
Is Fluvium conspicatus inter populos,
Glaucasque salices vitreo errantem pede,
Sic ore fertur increpasse turbido.
Dùm tenui lentus alveo ac inglorius,
Ægrè humile mediis tollis è juncis caput,
Quanto per agros agmine decurram, vides.
Mihi cuncta eunti cedunt: et frænos pati
Indoctus, undis æmulor pontum meis.

Cui leni sic respondit Amnis murmure:
Me verò lymphas volvere perennes juvat,
Ingenuo fonte natum. Nulli noxius,
Cunctis beneficus, arbores et gramina
Vitali humore nutrio. Pastoribus,
Fessoque pecori, potum et umbram præbeo.
Hinc ripa utrimque flore perpetuo micat;
Nec canere honores accolæ cessant meos:
Cùm te, ceu cladem detestentur publicam.
Fragore tanto quid enim speras consequi?
Nimbos serenus sol ubi deterserit,
De te supererit nil nisi spuma et lutum.

Utinam ficta quos notat narratio,
Hinc displicere seriò discant sibi!
Cæcæque crimen sortis, ac cœli furor,
Et pœna dici generis humani horreant!
Qui vastitate ruris, et casu urbium,
Mistoque lacrymis sanguine domos extruunt,
Nequaquam hæredi possidendas tertio.

PAPILIO ET APIS.

Alis superbus auro et ostro lucidis
Papilio, necnon mellis artifex Apis,
Sub luce Solis primâ in hortum venerant.
Miratus ille copiam florum et decus,
Quos pulchriores ipsa reddiderat suis
Aurora lacrymis: Quæ voluptatis seges
Ultrò offeratur cernis, inquit, ô soror.
Properemus ergo, dùm sinit dies, frui.

Simul nitentes areolas circumvolans
Temerè vagatur, quà sua libido trahit.
Florem putares nare per liquidum æthera:
Usque adeò par est æmulis coloribus.
Et nunc fragrantem violæ captat halitum:
Nunc semiapertæ libat osculum rosæ,
Motisque blandus ventulum pennis facit.
Tenella calthæ folia jam depascitur;
Jam inebriatur calice narcissi aureo:
Modò in tepente dormit anemones sinu.
Lascivus, importunus, inquies, procax,
Sectatur omnes, mox relinquit; et brevis
Unius amor est alterius fastidium.

Apem per hortum cura exercet interim,
Studiumque melius: quippè non odoribus,
Levique fuco capta, flores obsidet;
Vanoque circùm murmure errans instrepit.
Sed dulce miscens utili, ceram undique,
Mellisque dona roscidi cœlestia
Colligere certat. Sicubi è sudantibus

Expressus astris humor, aut flavas croci,
Aut nigrantes lavit hyacinthi comas;
Argenteumve lilii alabastrum impluit;
Celeribus illò vecta pennis advolat,
Latura castris dulces exuvias suis.
Sed nec ea thymbram, serpyllumque negligit.
Nec sugere humilis flosculos spernit thymi.
Quin stirpe ab omni colligit prudens opes;
Nulloque spolia non refert de gramine.

Et parcere operi jam monebat Hesperus.
Quùm ludo anhelus, atque discursu vago,
Papilio devolanti factus obviàm;
O te, inquit, inclementis et duri ingenî!
Quæ perdidisse tam bonam potes diem.
Haud me laboris, retulit illa, pœnitet.
Ceram votivas præbituram Diis faces,
Gratumque domino condidi nectar meo.
Nec defui, privata quæ necessitas,
Præsensque vitæ poscit usus, exequi.
At tu molestum, frater, habuisti otium;
Ingratiisque nil agendo fessus es.

Ab diligenti studio curiositas
Quid vana distet, quilibet hinc intelligit.

ACUS NAUTICA ET GUBERNACULUM.

Onusta Navis exuviis Peruviæ
Atlantici secabat undas æquoris.
Ridebat æther, et levi Favonius
Crispans flabello maria, cursûs prosperi
Spem certam avaris fecerat Vectoribus.
Et jam licebat Africæ littus procul,
Metasque duplices cernere, tropæa Herculis.
Cùm livor, et cupido dominandi impotens,
Discrimen adduxere res in ultimum.
Acûs marinæ gloria Gubernaculum
Jampridem urebat, mente non æquâ ferens,

Quas dederat olim, nunc redactum in ordinem
Accipere leges, atque servire alteri.
Hinc in querelas effundens se amariùs
Stridebat: Alios regere, non regi, meum est:
Id juris ipsum nomen certè vindicat.
Mihine honores futilis Acus debitos
Præripiet? At non illa, luctans fluctibus,
Ad cæca pinum vetuit illidi vada.
Non opportunis circumegit flexibus
Dubium tenentem saxa per et aras iter.
Sed molle delicata duxit otium
Eburneâ in arce, fornice sub crystallino,
Exors laboris pariter et periculi.
Ergo procellis, et furori turbinum
Dùm noctu decertamus ac interdiù,
Redimendo nostris naufragium dispendiis;
Desidiæ regnum merces et luxûs erit?
Dedecora sed privata quid queri attinet?
Commune probrum est. Vela laxantur truci
Laceranda Boreæ: grandinem et pluvias ferant:
Gemantque tortis pendula è rudentibus:
Regina jussit. Tuque Bracteola agilis,
Cui nosse motus aëris varios datum;
Quæque ingruentem longè hiemem prænuncias:
Serva, et perennes pervigil excubias age:
Ne quo tumultu Dominæ turbetur quies;
Neu cari amore distrahatur sideris.
Hæc patimur, et siletis? Immò pristinæ
Si quis etiamnum gloriæ est sensus super,
Excutite tandem turpe servitii jugum:
Vetusque, me ductore, jus defendite.
Effutienti talia, mediâ in die,
Nox pelagus improvisa, cœlumque eripit.
Furit unda, ruptis fulgura micant ignibus,
Ruensque ab omni cardine tempestas sonat.
Tùm verò patuit, cæca quantùm temeritas
Rationi distet. Ille stridulus Vigil,
Qui se arboris jactabat in fastigio,
Apicem superbum purpurâ auroque illitus,

Cunctosque despectabat uno stans pede:
Primum ad procellæ murmur, expers consilî,
Amensque, subitâ redditur vertigine.
Confusa rapidis Vela dant ludum Notis,
Navimque fessam pondere inclinant suo.
Ipse adeò opacâ Clavus in caligine,
Incertus in quas cursum partes dirigat,
Modò huc, modò illuc, lege nullâ flectitur.
Agitque gyros, et viam remetiens,
Puppi reductâ, quas petit terras fugit.
Intereà Cuspis, Ursæ amica lucidæ,
Rebellium labores nisusque irritos,
Instansque ab alto viderat periculum.
Fremit, et revinctum lilio quassans caput,
Huc nos, superbi, vester, ait, tulit furor.
Vis nulla assultus turbinum jam sustinet.
Hinc æquor aperit gurgites, indè æquore
Magis timendum litus syrtes occulit.
Utrimque funus, utrimque desperatio.
Tamen salubres si placet nunc denique
Audire monitus; rebus afflictis opem
Præstare nostra fors poterit industria.
Detracta summis lintea antennis cadant.
Tu, Clave, eumdem fac teneas tectus statum;
Ne quassa fluctu latera solvantur ratis.
Jubeo fideli Pinnulam versatilem
Referre studio, quid Aquilones cogitent;
Quas inquietus Auster intentet minas.
Parent: ambitio quippè metui cesserat.
Portumque cepit obsequens modestia,
Quem turbulenta clauserat cupiditas.

ADULATIO PUNITA.

Tumens Philippis, atque fortunâ ebrius
Antonius lustrabat urbes Græciæ:
Si quo lateret victa libertas loco
Sollicitus. Ubi nil non metu fractum videt,
Frænique patiens, exuit vultu minas,

Et à furore cædis ad lasciviam
Suosque mores sponte naturæ redit.
Non jam vetustæ gentis auctor Hercules
Jactatus, illum grandia ad facta excitat:
Sed æmulari Liberum juvat Patrem.
Hunc unicè miratur: habitu corporis,
Nitore, cirris, luxu, temulentiâ
Referre gestit. Liberum se dicere,
Inscribi statuis Liberum gaudet suis.
Ergo omnis illi civitas, quoquo pedem
Tulisset, ibat obviàm, thure et mero
Oratum adesset dexter et felix Deus.
Pars ante currus thyrsum quatiebant manu,
Rauco canentes Io! Bacche! gutture.
Pars pampinis hederâque succincti caput,
Motus petulcos, more satyrorum, dabant.
Quin adeò matres, temerè sparsis crinibus,
Tectasque Lynce pectora, insanis novum
Non puduit implorare Numen orgiis.
Atque ista multis profuit adulatio,
Victoris et rapaces avertit manus.
Athenienses verò dùm excedunt modum,
Captantque domini gratiam serviliùs,
Cladem attulere rebus ultimam suis.
Ingresso in urbem populus occurrit frequens,
Interque plausus et choros Bacchantium,
Illum ad patronæ ducunt arcem Palladis.
Tunc Areopagi Præses implexam offerens
Hederis olivam, Pignus, inquit, hoc tibi
Fidei et amoris donat armipotens Dea.
Et quæ refugit virgo Martis nuptias,
Baccho his maritam se dicat sponsalibus.
Agnovit artes Græculorum Antonius,
Seque irrideri sensit. Utque ira et pudor
Urbanitatis non rudi ingenium auxerant:
Quis, ait, superba Palladis non ambiat
Conjugia? Do, vicissim et accepto fidem.
Nunc mille vos talenta dotis nomine
Numerate. Quanquàm filiæ id parùm est Jovis,

Plus non requiret nostra tamen benignitas.
Punita sic est turpis assentatio.

PALMA ET CUCURBITA.

Ventosa Palmam, pergulæ è fastigio
His increpabat vocibus Cucurbita:
Quàm lenta crescis! si qua Zephyris est fides,
Maturus uvas decies autumnus tulit,
Ex quo, feraci quamvis agro consita,
Vix humile supra tollis arbutos caput,
Nec heri labores justo pensas fœnore.
Ego vere medio nata, jam latè locum
Inumbro foliis, atque sola sum nemus.
Mirare fœtus! quis decor! quæ granditas!
Ut sparsus ostro fulget argenti nitor!
I nunc, et illis dactylos præfer tuos.
Tùm Palma: Cur inflaris, inquit, insolens,
Meque ore tumido non merentem despicis?
Quòd lenta cresco scilicet, neque auctibus
Adulta subitis surgo? quod vertis probro,
Laudem meretur. Figo radices diù
Decertaturas cum furore turbinum,
Et sæcla post complura inhæsuras solo.
Te levior aura stirpitùs vulsam rapit,
Et furca si non fulciat, repas humi,
Foliorum inanem stulta silvam jactitas,
Quæ mox olenti computrescet in fimo;
Immundi fructus dùm tuos edent sues.
At me secundas dactylis mensas juvat
Condire Regum, nec deest ramis honor,
Illis triumphos Cæsares ornant suos.
Fabella ineptis dicta sit Scriptoribus,
Qui magno chartæ et temporis dispendio,
Gravare libris obstinati sæculum,
Lentos labores arguunt inertiæ,
Sterilique genio diligentiam imputant.
Sed citò senescit, quæ citò venit gloria;
Scriptisque superest, multa qui scribit, suis.

TAURUS SAGINATUS.

Expers aratri Taurus, amnis ad caput
Jacebat, herbas otiosè ruminans
Fruensque grato subter umbram frigore.
Is conspicatus non procul fratres suos,
Durus per agrum quos exercebat labor;
O luce natos tristi, et irato Jove!
Vestræne par est, inquit, infelicitas?
Servilia grave colla deterit jugum:
Nullaque patitur esse liberos die.
Fodit hinc Arator cuspide immiti latus:
Intentat indè voce terrificâ minas.
Et quùm quietem nox refert mortalibus,
Paleis cœnatos aridis, fæno et putri,
Cubile acutâ carice instratum excipit;
Fessasque reparat crastinis vires malis.
Mihi omnis operum conceditur immunitas.
Curæque liber prata picta floribus,
Rivis et udos mobilibus saltus colo:
Ubi delicatis, et suave olentibus
Securus herbis pascor ad fastidium.
Et nunc jocantes appeto cornu Notos:
Sparsoque pedibus pulvere exultim feror.
Nunc ora vitreo in fonte speculari juvat,
Sitimque gelidis pellere ac æstus aquis.
Videte nivei corporis qui sit nitor!
Ut obesa latè terga luxurient toris!
Tenùsque crurum pendeant palearia:
Esse ista me beatum, vos miseros probant.
Huic jactitanti talia insolentiùs:
Quàm veror, inquit unus tanta ne tibi
Cladem minetur proximam felicitas,
Nostrisque cogat invidere laboribus.
Dùm fabulantur, tibiæ auditur canor,
Et ecce rasum cincta verbenis caput
Longo procedens turba venit ordine.
Rector præibat, luci idem custos sacri,
Flamenque Cereris, voce qui nota vocans,

Blandoque Taurum leniens poppysmate ;
Ter latice puro ritè perfusum lavit :
Ter thure circùm lustrat atque odoribus.
Tùm flore frontem, cærulisque candidam
Vittis coronat. Necnon inducto ungulas,
Et levia auro dat fulgere cornua.
Cereris honores interim Mystæ canunt,
Vocesque geminat vallis et curvum nemus.
At gaudio impar, atque lætitiâ ebrius
Taurus triumphat, et tacitè plaudit sibi :
Lentoque gressu moliens vestigia,
Monstrare populo sese gestit supplici ;
Piasque circumquaque tendentem manus,
Torvo superbus intuetur lumine.
Ut ventum ad aram, quæ Deæ medio stetit
Erecta pago, res suas demum retrò
Lapsas referri sensit. Ingentes Popæ
Adsunt, acutis horridi in securibus,
Juxtaque cultri, farra, sal, capedines ;
Ferale mortis specimen et præsagium.
Ergo trementi, vomeremque fratribus
Malè exprobratum serò laudanti, unico
Securis ictu sæva collum diffidit.
Niger it aperto sanguis è jugulo : et gravi
Expulsa in auras vita mugitu fugit.
Narratione ludicrâ describitur
Genus illud hominum, quos quis aptè dixerit
Fortunæ abortus, atque fungos sæculi,
Qui patrii ligonis, et avitæ casæ
Obliti, in urbe protinùs Reges agunt,
Splendore, luxu, deliciis, superbiâ.
Miratur hos, paresque Diis vulgus facit.
At verò sapiens despicit ceu victimas,
Fortuna quas saginat, ut sibi immolet.

AQUILA ET TROCHILUS.

Sagacitatem mentis et solertiam,
Plus vastitate viribusque corporis

Prodesse, lepido Fabula exemplo docet.
Cùm gens volantum de creando Principe
Deliberaret comitiis frequentibus;
Aquilamque solio publicus ferret favor:
Sibi petivit Trochilus id honoris dari.
Exsibilata est ambitio præpostera.
Vilique indignans Aquila certare æmulo:
Frustumne volucris, inquit, quod Ciconiæ
Gruesque cedunt, adimet imperium mihi?
Et undè venit hæc ei fiducia?
Non pennæ, non vis ulla rostri et unguium:
Quæritque, quisquis audiat cantus, ubi est.
Cui Trochilus, Parce contumeliis, ait,
Rostrumque et ungues ne nimis jacta tuos.
Feritatis arma sunt hæc, et tyrannidis;
Quæ quid sumus passuri, si regnes, docent.
Sed age, volando plurimùm quoniam vales,
Dirimatur isto tanta lis certamine.
Quique altiùs feretur, is demum imperet.
Cunctis probata, displicet Armigeræ Jovis
Conditio. Grandis, inquit, et victum manet
Te gloria: mihi vincere vertetur probro.
Sed quandò cives sic volunt, sic et jubent:
Eatur. Alas simùl immensas explicans,
Parthi sagittâ leviùs ex oculis fugit,
Intraque cœli sese condit nubila.
Jamque increpare tarditatis æmulum,
Pœnam et minari cœperat vecordiæ.
Cùm derepentè visus est supra caput
Volitare Trochilus, atque festo carmine
Omnem triumphans latè complere aëra.
Ardens cupido gloriæ quid non potest!
Aquilæ imprudentis ille dorso sederat:
Ejusque abutens in suam rem viribus,
Natura quod negabat, ingenio tulit.
Et meruit, ultrò cunctis applaudentibus,
Verso vocari Rex volucrum nomine.

CLEOPATRA OFFICII ANTONIUM MONENS.

Turpi solutus diffluebat otio,
Per tot labores gloriæ partæ immemor,
Suisque fatis invidens Antonius.
Ac bella dùm legatis mandat Parthica:
Pacorumque fidâ Ventidî cædit manu:
Ipse muliebri sub conopeo accubans,
Indulget epulis: atque nimis ebrius
Interdiu noctuque gestit plaudere.
Nunc tela, meliùs barbarorum sanguine
Tingenda, vertit in feras: nunc textili
Lino implicare squameos certat greges,
Aut insidiosâ trahere deceptos dape.
Hos ille Bruti victor atque Cassii,
Hos ille Cæsaris ultor, et Augusti æmulus,
Captat triumphos. Omnibus præ laureis
Detracta fronti Cleopatræ myrtus placet.
At illecebris maximum quamquam Ducem
Superba mulier gaudeat victum suis:
Dolet tamen quòd orbis, quem solus potest
Habere, partem sponte cedat alteri:
Ferensque socium, se parem imperio neget.
Nec deest Amantis, quùm dat sese occasio,
Ad arma resides excitare spiritus.
Vicina quondàm fluminis sub ostia
Uterque solito more piscatum iverant.
Et erat inanis grande ludi præmium.
Superatus illo non semel certamine,
Sortisque metuens nunc quoque adversæ vices,
Cæcis Triumvir præcipit sub fluctibus
Urinatorem clàm natare callidum:
Suæque pisces figere emtos lineæ.
Quo munere plausum victor et palmam tulit,
Nec fraus diù, gratusque Reginam dolus
Latuere. Quis enim verba feminæ daret
Et Amanti, et assuetæ Phariis artibus?

Fingit tamen nescire : et in perendinum,
Novâ exultantem sponsione provocat.
Aulæ utriusque magna fit concursio :
Ripasque complent hinc et hinc Ægyptii,
Italique proceres : velut eo certamine
Fortuna verteretur et fatum Imperî.
Ipsi phaselum puppe prorâque aureis,
Velo superbam serico, adnixi regunt,
Undasque remis verberant argenteis.
Provecti medio in amne, figunt anchoram.
CLEOPATRA prorâ, puppe sedet ANTONIUS,
Umbella gemmis texta quos tegit super.
Hami instruuntur pabulis fallacibus,
Et in profundum demittuntur gurgitem.
Metum inter et spem comites suspensi silent,
Favorque votis scinditur contrariis.
Intereà visa ter quaterque concuti
Nutante calamo lina Romani Ducis.
At ille nil cunctatus, impigrè trahit
Inusitato degravata pondere.
Simùl adulantum clamor ingens tollitur;
Plausuque colles et cavæ ripæ fremunt.
Sed quis stupor deindè corripuit virum,
Cùm maceratam fumo et intrito sale
Pendere filis vidit halecem suis!
Auget ruborem risu CLEOPATRA improbo :
Fraudemque fraude vindicasse glorians :
Quin tu, inquit, imperator, hamos, lineas,
Calamosque nobis linque. Vi capere oppida,
Domare gentes, imperare Regibus,
Toto orbe ferre jura, sit tuus labor.
Piscari sic fas, sic decorum ANTONIO est.

CUNICULUS ET LEO.

SENSISSE monstras, dùm memor es injuriæ.
Spernendo melius inimicos ulcisceris.
Propter paludem cursu anhelo transiens
Quùm fugere ranas cerneret Cuniculus,

Altoque pavidum tegere sub limo caput:
Mirari seipsum cœpit, et majoribus
Jam cedere negans belluis, cursu improbo
Leonis infestare somnos instituit:
Caudam et protervis vellicare morsibus:
Innoxiis quem captans unguibus Leo,
Hâc increpasse voce trepidum dicitur.
Feres oblatam impunè contumeliam.
Pœnas quidem mereris leto pendere:
At me inquinari sanguine indigno pudet.

VULPECULA ET LEÆNA.

Enixa Catulos complures Vulpecula
Sorti Leænæ insultabat procaciter
Catulum quod illa parturisset unicum.
Ast hæc malignè subridens reposuit;
Jactare prolis numerum, stulta, desine,
Quam devorabit teque ipsam Leunculus.

Præstare numero virtutem hinc ediscito.

MUS, FELES, ET MUSCIPULA.

Muscipula ahenis horrida in mucronibus,
Felesque pestis major, omne Murium
Exterminare nomen obstinaverant.
Adeòque valuit sæva conjuratio,
Vix ut superstes unus innumeris foret,
Factus alienis cautior periculis.
Tamen parentis usque et usque tristia
Olli recursant fata, quem crudelibus
Eviseratum nuper uncis viderat.
Animoque memori non abest unquam impiis
Heu! cara soboles palpitans sub unguibus.
Nec ultioni, si quà se via offeret,
Est defuturus. Auget ingenium dolor,
Rebusque miseris acuitur solertia.

Vacuo sedebat machina in cubiculo,
Certum dolosâ sub dape exitium tegens.
Cæcoque contrà delitescens angulo,
Solitas vigil tendebat insidias fera.
Quæ Mus ab alto conspicatus fornice,
Per fida raptim labitur compendia,
Humumque subter limite acto prosilit.
Ac ille primùm stat sub antri limine,
Mox progredi audet paululùm, et velut doli
Ignarus huc illucque fert vestigia.
Quin fraudulentas improbus fruges adit,
Gratum sagaci nare nidorem hauriens;
Avidoque simulat ore velle carpere.
Muscipula ridet: ac misellum jam putat,
Spe ducta inani, dentibus molere asperis.
At verò Feles (namque noto senserat
Odore Murem adesse) suspenso gradu,
Totoque reptans corpore, in opimam prior
Irruere prædam gestit. Ex longo fames
Collecta, nativusque stimulabat furor.
Tandem loco vicina sumit impetum;
Ventoque, et alis fulminis pernicior
Erumpit. Atrâ Mus caput mergit specu;
Sibi non paratis ipsa laqueis incidit.
Laxata pulsu machina effringit pedes,
Simul rigente circulo colla impedit.
Rupti hanc putes exigere pœnas fœderis.
Id misera Feles sentiens, rabie pari,
(Spes quandò nulla denique est vitæ super)
Suæ vicissìm perdere auctorem necis
Molitur. Ergo quàm potest vi maximâ
Nisuque, corpus ter quaterque subrigit,
Agitatque quatiens. Ærei ingentem sonum
Axes dedere. Muscipula dissolvitur,
Adque morientis bestiæ cadit latus.
Quas Mus jacentes lætior cùm cerneret,
Sors, inquit, ista debita est latronibus;
In innocentum spolia dùm cupidè involant,

Sibi infideles mutuâ pereunt ope.
Vos, queis nefandæ gentis incubuit timor,
Demum beatos esse fas est : vivite.

CONJURATIO STELLARUM
IN SOLEM.

Fulgore Solis lumen offundi suum
Stellæ indignantes; suspici mortalibus
Cœlique solum; se relinqui inglorias:
Cuncta insuetis miscuere motibus.
Excanduisse dicitur præ cæteris
Imperium Olympi sorte adeptus Juppiter;
Et qui plagæ dat nomen Occiduæ Hesperus:
Infensi Soli, dùm negant alter parem,
Alter priorem ferre. Quid non et Deos
Invidia cogit? Ergo Mercurii domum
Per amica noctis sé ferunt silentia,
Et quæ tenent Majores Stellæ Circulos,
Et quæ *minores*. Fecit errantes furor
Communis omnes, nulla jam fixa et polo.
Ubi coïere : tum sic Major Piscium,
Quem ambusta Cauda sæpius, et Rubens adhuc
Reddebat eloquentem, cum gemitu incipit:
Quo summa rerum sit loco cognoscitis.
Odiosa Solis in dies potentia
Per damna nostra crescit. Astris omnibus
Cœlo migrandum est, ipse ni depellitur.
Mihi testis esto, Juppiter, cui proxima
Datum tenere regna Saturno Patri :
Quoties occursu injuriosi sideris
It retrò, metuens triste deliquium pati?
Et jam ministra fulminis quondam sui
Solem intuetur Aquila : nec Domino alteri
Servire malit. Tuque, cujus Occidens
Adorat ignes, Hesperе, illius sequi,
Dignus præire, cogeris vestigia.
Illum retusis Luna fugit cornibus :

Cùm transilire aggressa fixum limitem,
AUSTRINA gravibus signa bigis stringeret.
Vim sensit ARIES aureo bis VELLERE
Spoliatus. Ore sensit ardenti minax,
Oculisque vibrans fulgura incassum LEO.
Aliena sed cur defleo infortunia?
Heu! luctuosum PISCES exemplum sumus,
Violenta quam sit SOLIS indignatio.
Mediis in undis infelices arsimus:
AQUARII nec profuit vicinia.
Dicere parantem plura non sivit dolor.
Exclamant omnes SOLE dejecto, ociùs
Fatale mundo comprimendum incendium.
Superesse vires si conjunctæ manserint;
Valescere suis æmulum discordiis.
Augebat animos atque confidentiam
Tot visa nox æquare luminibus diem.
Stultè. Quadrigis vix enim SOL igneis
Vehens, Olympum lucido telo impulit:
Et ecce subitus ora pallor occupat,
Seseque STELLÆ mutuò ereptas suis
Queruntur oculis, impares tantæ faci.
Sic dissipata est vana conjuratio.

Fabella monstrat, emere ludibrium sibi
Potentiorem qui parant lacessere:
Numerumque nil juvare, si virtus abest.

SOL ET RANÆ.

RANÆ paludis incolæ, ambiguum genus
Limoque cretum, res in immensum suas
Favore Solis auxerant; et jam boves,
Vicina circum quæ tondebant gramina,
Ipsasque ripis pepulerant metu feras.
Quin se profundo credere ausæ gurgiti,
Facto siluros atque thynnos agmine,
Et provocarant sæpè et sæpè vicerant.

Hinc fastus illas cepit et superbia,
Majusque crimen, gratiarum oblivio.
Patroni Solis invidere gloriæ
Ingrata gens occœpit, ac liventibus
Oculis tueri Mundo adoratum jubar,
Nec se protervis abstinent convitiis:
Nam sive ad Indi littora obvertit rotas,
Equos Ibero sive lavit flumine,
Sive arduam Leonis ascendit domum,
Lunæ-ve radiis cornua offudit suis;
Ranæ coaxant, et clamore incondito
Queruntur omnia perdere: ultrices simul
Minantur iras, ni stet immotus Polo.
Pergenti terras flammeo non segnius
Lustrare curru, perfidæ tentant viam
Obstruere. Fundo ab imo, cœnosos lacus,
Ulvasque putres et solo resides aquas,
Pedibus petulcis commovent: Cœli vapor
Consurgit ater, et diem caligine
Turbat serenum. Risit Astrorum parens,
Et ista vestrum tela recident in caput,
Procaces, inquit, bestiæ. Ergo colligit
Quos dissiparât radios; inque fulmina
Nigros vapores, inque densam grandinem
Momento vertit, et miseras tristi opprimit
Ranas procellâ. Frustra juncis corpora
Certant opacis tegere; frustrà sub luto
Defossæ, sperant publicæ stragi eripi.
Sol rapidus haurit cuncta, et ipsas ignibus
Absumit undas. Ranæ semiustæ crepant,
Milvisque et Corvis dulce præbent pabulum.
Quarum una fertur cæteris consultior
Dixisse moriens; Jure pœnam exsolvimus,
Quæ pro benefactis sola reddidimus mala.
At vos, Nepotes, discite vereri Deos.

Q. HORATII FLACCI

LIB. III. ODE PRIMA.

Odi profanum vulgus, et arceo :
Favete linguis : carmina non priùs
Audita, Musarum sacerdos,
Virginibus puerisque canto.

Regum timendorum in proprios greges ;
Reges in ipsos imperium est Jovis,

Clari Giganteo triumpho,

Cuncta supercilio moventis.

Est ut viro vir latiùs ordinet
Arbusta sulcis.

Hic generosior
Descendat in campum petitor :
Moribus hic, meliorque famæ
Contendat : illi turba clientium
Sit major.
Æquâ lege necessitas
Sortitur insignes et imos.
Omne capax movet urna nomen.
Districtus ensis cui super impia

È RUÆO.

PARAPHRASIS

DE TRANQUILLITATE VITÆ.

Ite rudes animæ, cultuque assueta profano
Turba, procùl Musis invisum absistite vulgus.
Vos quibus et vates, et vatum carmina cordi,
Vos pueri dociles, vos ingenuæque puellæ,
Ore favete: novo vates nova carmine canto,
Non pueris usquàm, non usquàm audita puellis.
Sit regum in populos, terrasque timenda potestas
Æquoraque; extremum perrumpant classibus orbem;
Et ferro domitas populentur et ignibus urbes:
Est tamen in reges, est formidabile cœlo
Imperium Jovis. Ille altos, fera monstra, Gigantes,
Centimanum genus; ille Gygen, sævumque Typhœa,
Enceladumque, Mimamque solo ruit: atque revulsis
Montibus aggestos disjecit fulmine montes.
Ille supercilii solo movet omnia nutu,
Et varias hominum certo regit ordine sortes.
Hinc vir sæpè viro sulcis arbusta reponit
Latiùs: hinc magnæ vincunt huic horrea messes:
Huic labor, et vacui spes irrita deperit anni.
Clarior hîc factis et belli nobilis arte
Annua solemnis poscit suffragia campi:
Famâ hic, et studiis melior contendit, et æquis
Moribus: hunc patrum favor, aut quæsita juventæ
Gratia, venali strepitu votisque clientum
Evehit ad fasces certatìm et præficit urbi.
Omnibus una tamen lex imminet, æquus in omnes
Jupiter insignes fatis astrinxit et imos:
Una omnes capit urna, una omnia nomina versat.
Impositum quisquis trepidis cervicibus ensem
Suspicit, et tenui suspensa pericula filo;

Cervice pendet, non Siculæ dapes
Dulcem elaborabunt saporem:
Non avium, citharæque cantus
Somnum reducent.

Somnus agrestium

Lenis virorum, non humiles domos
Fastidit, umbrosamque ripam,
Non Zephyris agitata Tempe.

Desiderantem quod satis est, neque
Tumultuosum sollicitat mare,
Nec sævus Arcturi cadentis
Impetus, aut orientis Hædi:
Non verberatæ grandine vineæ,
Fundusque mendax, arbore nunc aquas
Culpante, nunc torrentia agros
Sidera, nunc hyemes iniquas.

Contracta pisces æquora sentiunt
Factis in altum molibus: huc frequens
Cæmenta demittit redemptor
Cum famulis, dominusque terræ

Fastidiosus.

Sed timor et minæ
Scandunt eodem, quò dominus: neque
Decedit ærata triremi, et
Post equitem sedet atra cura.

Quòd si dolentem nec Phrygius lapis,
Nec purpurarum sidere clarior
Delenit usus, nec Falerna
Vitis, Achæmeniumque costum:
Cur invidendis postibus, et novo
Sublime ritu moliar atrium?

Non illi Siculæ sapiant regalia mensæ
Fercula, nec veteri spumantia pocula Baccho:
Sed neque aves levibus numeris, neque garrula docto
Pollice pulsa fides, aut fila sonantia plectro
Concilient somnos. Facili plebs rustica somno
Molliùs indulget: nec somnus agrestia spernit
Culmina, nec vili contexta cubilia junco,
Nec ripas humiles fluviorum, aut frigida Tempe:
Semper ubi flabris levis aura loquacibus umbras
Ventilat alludens foliis: ubi limpidus undæ
Peneus, et fusi scatebroso è pumice rivi
Fessa soporifero demulcent membra susurro.
Quod satìs est optare, modumque imponere votis
Qui didicit; non hunc trucibus freta versa procellis,
Horrentesque movent scopuli; non pectus inanes
Sollicitant curæ: quid vis inimica cadentis
Arcturi moneat, surgentis et impetus Hædi:
Quid lædat segetes, quid acutæ grandinis imber
Vitibus officiat: quæ mendax sidera fundus
Culpet, an effusos alieno tempore nimbos,
An rapidos soles, an iniquæ frigora brumæ.
Alter inexhaustis opibus dùm fretus, in altum
Porrigit ingentes insanis sumptibus hortos
Pertæsus terrarum. Olli numerosa laborat
Nocte dieque manus, fervet labor, æquora jactis
Molibus, impactisque gemunt frænata catenis,
Et mutum trepidat contractis fluctibus agmen.
Sive mari sibi, sive solo tamen extruat ædes,
Huc metus, huc fati non evitabilis horror,
Huc scelerum scandent furiæ: non ærea puppis
Eripiat fugientem, aut turbinis ocior alâ
Pegasus abducat: casus comes una per omnes
Post equitem sedet, et simili volat impete cura.
Quòd si non Phrygii lapides, et clarior astris
Purpura componunt animum, neque dona Falernæ
Vitis, Achæmenii nec olentia fragmina costi:
Quid mihi conspicuos Pario de marmore postes,
Invidiosa novo quid moliar atria ritu

Cur valle permutem Sabinâ
Divitias operosiores?

AD AMICOS

LIBRI III. ODE SECUNDA.

Angustam, amici, pauperiem pati
Robustus acri militiâ puer
Condiscat,

Et Parthos feroces
Vexet eques metuendus hastâ:
Vitamque sub dio, et trepidis agat

In rebus.
Illum ex mœnibus hosticis
Matrona bellantis tyranni
Prospiciens, et adulta virgo
Suspiret, eheu! ne rudis agminum
Sponsus lacessat regius asperum
Tactu Leonem, quem cruenta
Per medias rapit ira cædes.
Dulce et decorum est pro patriâ mori.
Mors et fugacem persequitur virum,
Nec parcit imbellis juventæ
Poplitibus, timidoque tergo.
Virtus recludens immeritis mori
Cœlum, negatâ tentat iter viâ:
Cœtusque vulgares, et udam

Demens? quid Laribus parvis, et valle Sabinâ,
Difficiles gazas, operosaque gaudia mutem?

DE NOBILITATIS INSTITUTIONE.

Angustam gravibus discat robustus in armis
Pauperiem puer, et belli tentare procellas,
Nobile Martis opus: non blando vivida luxu
Frangere membra, levi neque tempora fallere ludo:
Non lepidos miscere sales, non tinnula molli
Pectere fila manu, nec odoro pulvere crinem
Spargere, nec pictis redimicula texere vittis.
Prima mihi rigidis assuescat pellibus ætas,
Cæsariemque premat galeâ, clypeoque reclivis
Deproperet somnos: jam tùm mihi rebus in arctis,
Et Jove sub gelido constantem ducere vitam
Incipiat, trepidisque animum durare periclis.
Jam tùm et Romuleâ juvenis metuendus in hastâ
Vexet eques Parthos; jam rumpere tela ruentum
Norit, et infestæ fugientum occurrere fraudi.
Hunc procùl è vallo conjux longæva tyranni
Bellantis, patriæque nurus, et barbara virgo
Agmina fundentem aspiciens, et cæde fluentem,
Certaque fatali miscentem funera dextrâ,
Suspiret metuens, Eheu! ne fortè leonem
Sponsus inæquali belli rudis ense lacessat,
Et certo imprudens jaceat quoque præda furori!
At si speratos crudeli morte triumphos
Eruit, et primo sors invidet atra labori:
Non obscura tamen, nec erit sine nomine virtus.
Dulce mori patriæ: mors et fugitiva fatigat
Terga sequax, nec poplitibus miserata juventæ,
Nec timidis novit vitam concedere votis.
Una potens fatorum, et avari funeris expers
Heroum grandes animas æternaque virtus
Nomina subducit tenebris; vulgusque profanum

Spernit humum fugiente pennâ.
Virtus repulsæ nescia sordidæ in-
contaminatis fulget honoribus,

Nec sumit, aut ponit secures
Arbitrio popularis auræ.

Est et fideli tuta silentio
Merces : vetabo qui Cereris sacrum
Vulgarit arcanæ, sub iisdem
Sit trabibus, fragilemque mecum
Solvat phaselum.

Sæpe Diespiter
Neglectus, incesto addidit integrum,
Rarò antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

AD VIRGILIUM

ATHENAS NAVIGANTEM LIB. I. ODE III.

Sic te Diva potens Cypri,
Sic fratres Helenæ, lucida sidera,
Ventorumque regat pater,
Obstrictis aliis, præter Japyga,
Navis, quæ tibi creditum
Debes Virgilium, finibus Atticis
Reddas incolumem precor,

Et fœda humani spernens contagia cœtus,
Invia præpetibus cœli penetralia pennis
Irrumpit, celsâque Deum dominatur in arce.
Sed neque humi virtus inglória, futile quamvis
Imperii decus, et vanos non poscat honores:
Ipsa sibi decus, ipsa suo splendescit honore
Libera: neç tristem patitur neglecta repulsam,
Integra nec turpi temeratur labe venustas.
Non ita quisquis opum, fluxæque libidine laudis
Fervidus incassum populari serviet auræ,
Vilibus addictus studiis, et mobile vulgi
Promptus ad arbitrium sumptos deponere fasces.
Inprimis rigidæ si quis virtutis amore
Flagrare incipiat, volucris moderamina linguæ
Austerus teneat custos, legemque tacendi
Accipiat: sequitur secreta silentia merces.
Nec mihi qui tacitas Cereris vulgaverit artes
Esse velim socium: non uni assuescere mensæ,
Vivere nec tecto possim securus eodem,
Aut fragili fluctus unà tranare phaselo.
Impia sæpè quidem, sæpè et pia fulminat ultor
Jupiter in capita, et scelerum consortia plectit.
Si tamen effugias, lento ne crede furori:
Clauda, sed assiduo sequitur pede pœna; nec usquâm
Impius elusos longùm lætabitur ictus.

DE HOMINUM

AUDACIA.

Sic tibi quæ Cyprium præsenti numine littus,
Et genus Æneadum, et fidos Dea servat amantes:
Sic fratres Helenæ, gemino cum Castore Pollux,
Qui pavidos recreant alterno sidere nautas:
Ventorumque tibi faveat pater, atque furentes
Carcere contineat vinclisque coerceat Euros,
Et toto placidum det Japyga ludere cœlo:

Et serves animæ dimidium meæ.

Illi robur et æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
Primus, nec timuit præcipitem Africum
Decertantem Aquilonibus,
Nec tristes Hyadas, nec rabiem Noti:
Quo non arbiter Hadriæ
Major, tollere, seu ponere vult freta.

Quem mortis timuit gradum,
Qui siccis oculis monstra natantia,
Qui vidit mare turgidum, et
Infames scopulos Acroceraunia?
Nequicquam Deus abscidit
Prudens Oceano dissociabili
Terras: si tamen impiæ
Non tangenda rates transiliunt vada.
Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas.

Audax Japeti genus
Ignem fraude malâ gentibus intulit.
Post ignem ætheriâ domo
Subductum, macies et nova febrium
Terris incubuit cohors:
Semotique priùs, tarda necessitas
Leti corripuit gradum.

O ratis, aërio seu quondàm in Volture pinus
Immani steteris trunco: seu frondibus Alpes
Vestieris, dignum certe genus, altaque sylvæ
Progenies, magni servata Maronis in usus
Arbor: onus serva, quantum nec divite mittit
India dente ferax, neque nobilis ubere glebæ
Memphis, et halanti felix Panchaïa messe.
Nempè tibi Ausoniæ decus et spes altera gentis,
Altera nempè animæ tibi pars est credita nostræ:
Duc precor incolumen, et speratis redditus oris
Palladiâ tandem per te potiatur arenâ.
Quanquam ô! quid dubios pelagi tentare furores
Mens fuit? Ah! malè sit, sævum qui primus in æquor
Ausus inexpertas devolvere montibus alnos,
Et volucri imprudens animam committere flatu.
Non illi humanus circa præcordia sanguis
Fluxit; at innati rigor æris, et effera vinxit
Corda chalybs, triplici stupuerunt robore membra:
Quem non Æoliæ movit discordia turbæ,
Non Hyades pluviæ, non præcipitantibus Euris
Africus, aut gelidis certans Aquilonibus Auster:
Arbiter Hadriaci quo non præstantior alter
Æquoris, infestis seu bella movere procellis,
Fervida seu molli placeat vada sternere pace.
Quàm leti speciem timuit; qui grandia siccis
Monstra oculis, altoque inserta Ceraunia cœlo
Infames vidit scopulos: nec rauca sonantem
Oceanum, et tumidas surgentem expavit in iras.
Ergone tellurem discordibus abscidit undis,
Et varias liquido discrevit limite gentes
Nequicquàm Deus; ut sacros ratis impia fluctus
Tangere, et indocili prætensa repagula terræ
Rumpere nil dubitet. Tantus rapit ardor habendi,
Tanta etiam vetiti rabies nos criminis urget:
Nec metus, aut duri possunt revocare labores!
Quid, qui fraude malâ vivacis semina flammæ
Subduxit cœlo, et vacuo prior intulit orbi,
Audax Japeti soboles, quàm multa per ignem
Damna solo invexit? Dolor hinc, et turpis egestas,

Expertus vacuum Dædalus aëra
Pennis non homini datis :

Perrupit Acheronta Herculeus labor.

Nil mortalibus arduum est.
Cœlum ipsum petimus stultitiâ, neque
Per nostrum patimus scelus
Iracunda Jovem ponere fulmina.

AD MÆCENATEM.

LIB. III. ODE XXIX.

TYRRHENA regum progenies, tibi
Non antè verso lene merum cado,
Cum flore, Mæcenas, rosarum, et
Pressa tuis balanus capillis
Jamdudùm apud me est. Eripe te moræ,
Nec semper udum Tibur, et Æsulæ
Declive contempleris arvum, et
Telegoni juga parricidæ.
Fastidiosam desere copiam, et
Molem propinquam nubibus arduis :
Omitte mirari beatæ
Fumum, et opes, strepitumque Romæ.

Plerumque gratæ divitibus vices,
Mundæque parvo sub lare pauperum

Et febris, et nigris morborum exercitus alis
Incubuere: priùs semotæ tarda necis lex
Corripuit celeres populorum in funera gressus,
Unius ob noxam et furtum fatale Promethei.
Nec minùs insolitos tractus, hominique negatas
Dædalus ire vias aggressus, inania pennis
Visit, et æthereis lusit novus ales in auris.
Ipse etiam Herculeos, licet invius, horruit ausus
Dis pater: invicto cùm robore fractus, inermes
Sensit hians rictus et inertes Cerberus hydros,
Invisamque oculis lucem indignantibus hausit.
Scilicet humanas agit hæc vesania mentes,
Nil usquàm ut sceleris, nil stulta incœpta relinquant
Fraudis inaccessum: nil spem, nil robora vincat.
Cœlum adeò factis petimus, neque parcere Divis
Terra potest, neque lassa manu deponere tela
Jupiter: ultrices dùm sponte lacessimur iras,
Majorique minus cumulamus crimine crimen.

DE ABJICIENDA

FUTURI TEMPORIS SOLLICITUDINE.

Regia Tyrrhenæ proles et gloria gentis,
Mæcenas, veteri mihi dudùm imbuta Lyæo
Hactenùs intactos servat tibi testa liquores:
Serta tuis dudùm, et balanus provisa capillis,
Et rosei rores, et odori copia nardi.
Rumpe moras, neque te gelidis convallibus udum
Tibur, et irriguæ nativis fontibus umbræ;
Non campi acclives, non Æsula semper, et altus
Telegoni labor ac cædis monumenta paternæ
Tuscula detineant! Pleni fastidia luxûs
Desere, et æthereis cognatas nubibus arces.
Quid levibus fumis, et inani pasceris aurâ?
Quid patrias miraris opes, dominæque tumultus
Urbis, et undantis clamosa negotia vulgi?
Sæpè importuno gaudet decedere fastu,
Sæpè vices amat, et privatæ gaudia sortis

Cœnæ, sine aulæis, et ostro
Sollicitam explicuere frontem.

Jam clarus occultum Andromedes pater
Ostendit ignem : jam Procyon furit,
Et stella vesani Leonis,
Sole dies referente siccos.
Jam pastor umbras cum grege languido
Rivumque fessus quærit, et horridi
Dumeta Sylvani : caretque
Ripa vagis taciturna ventis.

Tu civitatem quis deceat status
Curas, et urbi sollicitus times,
Quid Seres, et regnata Cyro
Bactra parent, Tanaisque discors.

Prudens futuri temporis exitum
Caliginosâ nocte premit Deus :
Ridetque, si mortalis ultra
Fas trepidat. Quod adest, memento
Componere æquus : cætera fluminis
Ritu feruntur, nunc medio alveo
Cum pace delabentis Etrus-
cum in mare : nunc lapides adesos,
Stirpesque raptas, et pecus, et domos
Volventis unà, non sine montium
Clamore vicinæque sylvæ,

Splendidior fortuna : juvat sub paupere tecto
Sinceris dapibus, mundæque accumbere mensæ :
Nulla ubi languentem dubiis medicata venenis
Sollicitant stomachum convivia : nulla superbis
Parietibus textas pandunt aulæa figuras :
Non aureis lychni laquearibus, addita lychnis
Balsama, nec tenebras pretioso lumine vincunt,
Nec bibitur gemmis, Tyriove cubatur in ostro :
At bona simplicitas, at inemptæ fercula frugis,
Aurea pax, et pura fides, et tuta voluptas,
Anxia sollicitæ detergunt nubila fronti.
Aspicis, ut siccum referat Sol proximus annum,
Ut Procyon furit, ut vesani stella Leonis,
Clarus et Andromedæ rapido pater emicat igni.
Jam dumeta pecus, pecori jam pastor opaca
Sylvarum, et liquidos quærit per devia rivos :
Et sedet, et blandos calamo solatur amores
Arbore defensus patulâ, fremit omne tenello
Balatu nemus : at sævo caret unda tumultu
Ventorum, posuere Noti, vix flumina crispat
Summa levis Zephyrus, vix presso sibilat ore.
Multarum intereà fessus molimine rerum
Tu Romam ingentem Capitoliaque alta tueris :
Et jam animo seris metuenda nepotibus arma
Præcipis, et longos curas extendis in annos :
Quid Scytha, quid Cyro quondam regnata minentur
Bactra; quid, et nostrum Tanais qui dividit orbem,
Et procul Eoo moveant è littore Seres.
Quicquid erit, seriem hanc prudens; penitùsque futuri
Temporis eventus altâ caligine mersit
Jupiter, atque hominum malè provida pectora ridet,
Fas præter si quis trepidat mortalis, et ultrò
Præcurrit dubios certâ formidine casus.
Tu, quod adest, æquâ componere mente labores,
Hoc tantùm : incerto labuntur cætera fluxu
Tibridis in morem, medio qui conditus alveo
Nunc fluit, et Tuscum leni petit agmine marmor;
Nunc lapides, vulsasque imis radicibus ornos,
Pastoresque, gregesque rotans furit : aspera cœlo

Cum fera diluvies quietos
Irritat amnes.

Ille potens suî,
Lætusque deget, cui licet in diem
Dixisse, vixi: cras vel atrâ
Nube polum pater occupato,
Vel sole puro: non tamen irritum,
Quodcumque retrò est, efficiet: neque
Diffinget, infectumque reddet
Quod fugiens semel hora vexit.
Fortuna sævo læta negotio, et
Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc aliis benigna.

Laudo manentem: si celeres quatit
Pennas, resigno quæ dedit, et meâ
Virtute me involvo, probamque
Pauperiem sine dote quæro.

Non est meum, si mugiat Africis
Malus procellis, ad miseras preces
Decurrere, et votis pacisci,
Ne Cypriæ, Tyriæque merces
Addant avaro divitias mari.

Tunc me biremis præsidio scaphæ,
Tutum per Ægeos tumultus
Aura feret, geminusque Pollux.

Sicubi venit hyems, aut nubibus acta solutis
Eluvies tumidos stagnanti gurgite fluctus
Extulit irritans: rauco concussa fragore
Littora, vicinique sonant circum undique montes.
Ille potensque suî, nec fati obnoxius iræ
Tristitiæ expertes privatis legibus annos
Exigit, in lucem satìs est cui dicere, vixi.
Crastina vel piceis obducat nubibus auras;
Vel puros referat soles, et aperta serena,
Ut libeat sibi cumque Deûm pater omnia volvat:
Non iterùm tamen, aut retrò jam lapsa reducet,
Aut infecta dabit, quæ non revocabilis orbi
Invexit semel hora, neque audit tempus habenas.
Intereà sævo gaudens fortuna tumultu,
Certaque præcipiti semper mortalia ludo
Vertere, certa novos semper sibi fingere vultus,
Nutu adimit fluxos, nutuque reponit honores.
Nunc amat et vinclis fasces, et aratra curuli,
Et patribus plebem, et cladi mutare triumphos;
Nunc mihi, nunc aliis flatu aspirare secundo.
Prospera si faveat, laudo; si versa favere
Desinat, et volucri sese improba subtrahat alâ:
Cedo Deæ, fructusque volens et dona resigno.
Tùm vacuus rerum, curâ tùm liber ab omni,
Me propriâ involvo virtute, nec æris egentem
Ignotus sine dote colo, sine crimine vitam.
Hic mihi parta quies, hoc me natura creavit
Ingenio: nec enim, irato si marmore puppis
Fluctuet, et preceps velis immugiat Auster,
Audiar in miseras timidus decurrere voces,
Aut votis onerare Deos, precibusque pacisci
Ne Cyprias merces, Tyriasve procella citato
Turbine mergat opes, et fluctibus addat avaris.
Has, vel inexpleto rapidus voret æquore vortex,
Vel patulæ condant horrenda in viscera phocæ:
Dùm me cymba levis pelagique polique ruinas
Inter, et effuso fluitantes gurgite gazas
Incolumem eripiat, Zephyrisque impulsa secundis
Optatos gemino teneat duce Castore portus.

AD CENSORINUM.

ODE VIII. LIB. IV.

DONAREM pateras, grataque commodus
Censorine, meis æra sodalibus:
Donarem tripodas, præmia fortium
Grajorum: neque tu pessima munerum
Ferres, divite me scilicet artium
Quas aut Parrhasius protulit aut Scopas:
Hic saxo, liquidis ille coloribus
Sollers nunc hominem ponere, nunc Deum.

Sed non hæc mihi vis: nec tibi talium
Res est, aut animus deliciarum egens,

Gaudes carminibus, carmina possumus
Donare, et pretium dicere muneri.

Non incisa notis marmora publicis,
Per quæ spiritus et vita redit bonis
Post mortem ducibus: non celeres fugæ,
Rejectæque retrorsùm Annibalis minæ.
Non incendia Carthaginis impiæ,
Ejus, qui domitâ nomen ab Africâ
Lucratus rediit, clariùs indicant
Laudes, quam Calabræ Pierides:

neque
Si chartæ sileant, quod benè feceris,

DE POESIS

LAUDIBUS.

Si vel Parrhasiâ florerem nobilis arte,
Vel mihi docta Scopæ manus et solertia cœli
Suppeteret, formas quibus ire liceret in omnes,
Nunc liquidis hominum simulata coloribus ora
Ponere, nunc rudibus Divos effingere saxis:
Tùm cœlata auro et fulgentibus aspera signis
Pocula, tum fidis dilecta sodalibus æra
Commodus, et Grajæ solemnia præmia palmæ
Donarem tripodas: nec quisquam muneris exors,
Censorine, foret; nec tu tibi pessima ferres.
At mihi tantarum neque vis, neque copia rerum;
Nec tibi deliciis opus est, quibus undique lætus
Affluis, et placidè, si fors feret, ipse carebis,
Dives opum variarum, animi ditissimus æqui.
Carmina, (namque placent tibi carmina) carmina tantum
Donare, et tenuis pretium tibi dicere doni
Possumus: et tenui pretium non futile dono est.
Ille triumphali celsa in Capitolia pompâ
Qui spolia infrænis Libyæ, victosque penates
Intulit, et domitis peperit sibi nomen ab Afris:
Marmoribus quanquam et memori redivivus in ære
Spirat, et immensos servant monumenta labores;
Publica adhuc veteris quanquam stat gratia facti,
Et pulsum Annibalem, Latiique repensa cruoris
Damna, fugas celeres, et iniquæ funera gentis
Cernimus, et miseræ sculptos Carthaginis ignes:
Plus debet Calabri tamen ille laboribus Ennî,
Cujus ad extremos durabit Musa nepotes,
Longaque Scipiadæ feret altum in sæcula nomen.
Quæ tibi nempè piæ merces et gloria vitæ?
Splendidus obscuro, fortis quid distet inerti,
Si chartæ sileant; cineres neque fama superstes

Mercedem tuleris.

Quid foret Iliæ
Mavortisque puer, si taciturnitas
Obstaret meritis invida Romuli?
Ereptum Stygiis fluctibus Æacum
Virtus, et favor, et lingua potentium
Vatum, divitibus consecrat insulis.

Dignum laude virum musa vetat mori.
Cælo musa beat. Sic Jovis interest
Optatis epulis impiger Hercules.
Clarum Tyndaridæ sidus ab infimis
Quassas eripiunt æquoribus rates.
Ornatus viridi tempora pampino
Liber vota bonos ducit ad exitus.

Confusos taciti secernat nocte sepulchri?
Quid? si præteritis inimica silentia factis
Invideant, quid Romanæ primordia gentis
Mavortis soboles, quid jam foret Ilia mater?
Ipse modò infernæ quæsitor et arbiter aulæ,
Quem latè populi exangues, et furva silentum
Atria, suspensisque pavet Styx atra fluentis,
Æacus; indecori, jam nomen inutile, vulgo
Additus erraret lucis ignotus Avernis:
Ni favor et magnis vis indita vatibus, Orco
Subductum Elysii dulces vexisset in oras,
Volvendasque hominum sortes, urnamque dedisset.
Musa mori vetat et turpi succumbere fato,
Musa polo beat. Hinc patriæ sese intulit arci
Impiger Alcides, stratisque supinus in astris,
Candida purpureo sibi nectare proluit ora.
Hinc quassas fulcire rates, imisque sepultas
Æquoribus revocare: hinc et fulgere serenis
Ignibus, et tutos pelago portendere cursus
Tyndaridæ potuere. Feras hinc flectere tigres,
Pampineoque comas ornatus palmite Liber
Supplicibus fertur præsens assistere votis.

È RAPINO.

ORIGINE DES JARDINS

ET DESCRIPTION D'UN PARTERRE.

Olim tempus erat, cùm res Hortensis ab arte
Munditiem nullam, nulla ornamenta petebat.
Sæpè rosam passim permixtam agrestibus herbis
Vidisses : nec erant per humum segmenta viarum
Digesta in sese, et buxo distincta virenti.
Prima autem cultum pro se quæsivit, et artem
Flora, corymbiferi celebrat dùm numina Bacchi.
Festa dies aderat, vicini numina ruris
Convenêre, ibat pando Silenus asello,
Cum Satyris, dabat ipse Deus sua vina vocatis :
Adfuit et Cybele Phrygias celebrata per urbes ;
Ipsaque cum reliquis Flora invitata deabus
Venit, inornatis, ut erat neglecta, capillis,
Sive fuit fastus, seu fors fiducia formæ :
Non illi pubes ridendi prompta pepercit ;
Neglectam risere. Deam Berecynthia mater
Semotam à turbâ, casum miserata puellæ,
Exornat, certâque comam sub lege reponit,
Floribus et buxo mixtis (nam buxifer omnis
Undique campus erat) velavit tempora nymphæ.
Reddidit is speciem cultus, cœpitque videri
Formosa, et meruit : novus hinc decor additus ori.
Ex illo, ut Floram decuit cultura, per artem
Floribus ille decor posthàc quæsitus, et Hortis :
Quem tamen Ausonii cultores, quemque Pelasgi
Nescivere, suos nullâ qui lege per Hortos
Plantabant flores, nec eas componere norant
Areolis, tonsâque vias discernere buxo.
Culta super reliquas Francis topiaria gentes,

Ingenium seu mite soli, cælique benigni
Temperies tantam per sese adjuverit artem;
Sive illam egregiæ solers industria gentis
Extuderit, seris seu venerit usus ab annis.
Tuque adeò si quandò Hortum, villamque parabis,
Quære duces operi eximios, artisque magistrum,
Qui tibi membranæ puro super æquore formam,
Exemplumque operis plumbo describat, et omnem
Cum duce et ipse tuo tecum meditare figuram,
Explorans, ne quid forsan, tellure sub ipsâ,
Posthàc ars pravum, vel inemendabile peccet.
Nam magis in summâ, si quid deforme, figurâ
Et patet, et meliùs longè sibi subvenit error.
Sunt qui mille modis pertexunt mille figuras
In buxo, quales Cretâ confusus in altâ
Exhibuit Labyrinthus, et irremeabilis error.
Sunt alii, Phrygium quos ars imitata laborem,
Plus juvet, intonsæ ceu cùm per stamina lanæ
Ducit barbaricos virgo Sidonia textus:
Et tendunt oras circùm quas floribus explent.
Multi simplicibus, rata per discrimina, quadris
Delectantur, ubi se flores undiquè prompti
Objiciant spectantum oculis, manibusque legentum.

METAMORPHOSE DE LA BELLE RHODANTE

EN ROSE.

SED quæ se hesterno nondùm Rosa credere Soli
Audebat, nexus omnes, atque omnia rumpit
Vincla, premi impatiens, et germine turget aperto.
Posses de formâ reginam, deque pudore
Virgineo, posses sentire fuisse pudicam.
Nam pariter regina fuit, pariterque pudica.
Rumor Amazoniâ natam de gente ferebat,
Non verus. Nam Græca fuit, bimarique Corintho
Jura dabat: Graias vulgârat fama per urbes,
Insignem meritis. Jamque omnis Achaia nympham
Optabat, nymphæque alto de sanguine reges.

Et prior ante omnes ibat bellator Halesus,
Isiadesque Brias, qui se septemplice Nilo
Jactabat natum : venit ipse bipennifer Arcas,
Deponitque suas lauros, bellique tropæa,
Thebanis tulerat victor quæ plurima campis,
Reginæ ante pedes : et spes affectat easdem.
Illa superba autem (faciebat forma superbam)
Non has, inquit, eram vobis quærenda per artes,
Debellanda fui, non exoranda; nec illos
Sustinet audire instantes, populumque patresque
Ducebat secum armatos, temploque subibat.
(Templum erat et sanctum Soli, Solisque sorori)
Turba omnis sequitur gradientem; venit ad aram
Virgo deam implorans, pro virginitate tuendâ.
Ecce autem incensi furiis, et Halesus, et Arcas,
Isiadesque Brias, cum magnâ parte suorum,
Accurrunt, rumpuntque fores : fit pugna, resistit
Omni cum populo, mediisque in millibus ardet
Exultans armis regina, procosque repellit.
At seu majores audacia mixta pudori
Addiderit flammas oculis, seu forma sub armis
Creverit, omnis erat quæ circumfusa Rhodanthen,
Plebs ardentem oculis, et mirâ luce coruscam
Obstupuit, magnoque simùl clamore : Rhodanthe
Sit Dea, tollantur magnæ simulacra Dianæ!
Reginam imponunt aris : tolluntque Dianam.
Fraternos animos injuria facta sorori
Permovit, læsoque furens pro numine Phœbus,
Ultores radios obliquo lumine torsit:
Lumine quo, cœpit primùm tædere Rhodanthen
Esse deam. Nam pes per sese altaribus ipsis
Figitur, et ductis saxo radicibus hæret.
Jam virides tollit ramos, dùm brachia tendit.
Languet egens animi, sed adhuc regina, suamque
Dùm mutat formam, vèl sic mutasse decebat.
Nam pulcher flos est, fuerat quæ pulchra Rhodanthe:
Felix, divinos si numquàm visa fuisset
Digna pati cultus, nec sic meruisset amari.
At populus, læsâ pro majestate Dianæ,

Spinarum horrentem in cumulum conversus, acutis
Reginam telis etiam est defendere promptus,
Fitque Brias volvox, Arcas fit fucus, Halesus
Papilio, servant primos qui floris amores,
Certatimque Rosam crebro affectare volatu
Non cessant, totisque fragrantem ambire diebus.

UTILITÉ DES FLEURS.

Sunt alii florum, atque alii, quos exequar usus.
Floribus ut variis magnum cratera coronant,
Ingentique abaco super, atque tapetibus altis
Sublimem imponunt, aut inter splendida magnæ
Ornamenta aulæ, qui latè spargat odorem.
Festa suis alii templorum altaria sertis
Intendunt textu vario, perque omnia fundunt,
Aut inter cœnas procerum, accubitusque superbos:
Necnon et vulgus famulantum, et turba ministra,
Floribus ex Horto lectis, et suavibus herbis,
Exornat lances, quas mensæ imponat herili.
Nec desunt, flores prunarum ardente favillâ
Qui coquere, et lentos soleant torrere per ignes,
Vas intra oblongum, vel clausi concava vitri:
Fumidus it sursùm vapor, et frigentis aheni
Hæsit ubi lateri incluso, algoremque recepit,
Paulatim rorem fluidus densatur in udum,
Excurritque vagis patefacta per ora fluentis:
Et stillantem in aquam florum se spiritus omnis
Exprimit, atque novas recipit de funere vires.
Floribus ipsa etiam è tritis ars ducit odores,
Nec non vibrandis per luxum unguenta capillis,
Et quas vendebat Capuæ Seplasia merces,
Cujus deliciis, et molli pulvere fractus
Annibal; exitium quandò infelicis Elisæ
Ulturus bello, Romæ suprema parabat.
Quid narrem, ut florum exemplo, atque coloribus ipsis
Incœpit pictura suos miscere colores.
Sic quondam factus Glyceræ de munere pictor
Pausiades: cùm, per discrimina mille colorum,

Et prior ante omnes ibat bellator Halesus,
Isiadesque Brias, qui se septemplice Nilo
Jactabat natum : venit ipse bipennifer A...
Deponitque suas lauros, bellique tropæ...
Thebanis tulerat victor quæ plurima...
Reginæ ante pedes : et spes affectat ... malignis
Illa superba autem (faciebat form...
Non has, inquit, eram vobis q... ...phas,
Debellanda fui, non exorand... ...ma puellis :
Sustinet audire instantes, r... ...e per agros,
Ducebat secum armatos. ..., et auras,
(Templum erat et sanc... ...n æmula nympham
Turba omnis sequitu... ..., studioque mariti
Virgo deam implor... ...nox sensit acerbæ
Ecce autem incer... suos quæ clara per agros,
Isiadesque Bria... si non formosa fuisset.
Accurrunt, r... ...trias inter pulcherrima nymphas,
Omni cum ... inter flos est pulcherrimus omnes.
Exultans ... ...rem fert fama, suum dùm plorat Adonin,
At se... torvi perfossum dentibus apri,
Addid... ...puum solatam flore dolorem.
Crev... ...stquàm fuso, quod erat mortale, cruori
Pl... sacroque aspersit denique succo :
C... ...mora, purpureo natus de sanguine flos est
... purpureus, Veneri ereptum qui penset Adonin.

ORIGINE DU CHÊNE.

Jupiter, ut perhibent, vastum dùm conderet orbem,
Immanes terrâ nati de matre Gigantes,
Protinùs ausuri cœlum perrumpere, et alto
Bella movere Jovi : turbam domat ille rebellem,
In conjuratos molitus fulmina fratres.
Natorum cædem Tellus miserata suorum,
Fervidum adhuc, ut erat, Rhœci complexa cruorem :
Dùm fovet, ingenti de corpore tenditur ingens
Truncus, et edurum crescit de pectore robur ;
Robur sunt humeri, fit robur et ardua cervix,

tollit ramos, quot grandia nuper
vacuo jactabat brachia cœlo.
s arat libro septemplice cortex,
de corpore constitit arbos,
numine, terra tonanti
uercus sacra, cujus opacâ
fregere sub umbrâ.
it Quercus, et illius umbræ
amen alto vertice in auras
sicubi forte rubenti
insultans, tonitruque corusco
frontem quatit igne superbam:
t myrto bonus, indulgetque Myricæ.

ORPHÉE SUR LE RHODOPE.

Ipsaque, Threicio vati quæ tenderet umbram
Ulmus digna fuit, cùm valle rediret Avernâ,
Et sese ad superos raptâ bis conjuge ferret.
Arduus ad gelidum mons est Rhodopeius Hebrum:
Monte super, citharam simùl impulit, umbra comantes
Densa simul ramos prætendit, et undique multâ
Arbore componit subitum nemus: adfuit Ilex,
Et Platani, et Salices, et coniferæ Cyparissi.
Una tamen reliquas super ambitiosa sorores,
Ulmus tollebat sese, vitemque maritam
Vati ostendebat, quâ non spernenda moneret
Connubia: at plantæ monitus neglexit amicæ.
Namque viro fatale fuit, socialis honorem
Vitavisse thori, atque omnes sprevisse maritas.

AUDACE ET SUPPLICE

DE MARSYAS.

Quæ se autem latè partes profundit in omnes,
Ipsa teres trunco, passisque amplissima ramis
Pinus, erit toti non ultima gloria luco,
Æternum quandò divinæ frondis honorem
Servat, et ingenti nemora inter frondea trunco

Assurgens, latè silvam dominatur in omnem:
Grata Deûm matri, postquam Cybeleius Atys
Mortales vultus truncum duravit in illum.
Hac olim, ut memorant vates, ex arbore victus
Marsya per Phœbum nudatus pelle pependit.
Ille, terebrati per certa foramina buxi,
Cùm digitis molles rudis alternantibus auras
Conciperet, lignum stultè miratus, et usum,
Pastoresque inter, buxo resonante, superbus
Carminis auctorem vocat in certamina Phœbum,
Qui dignas vili pœnas ex hoste recepit.
Ut se præduri valido munimine septi
Pinea nux contrà ventos defendit, et imbres,
Ipsa potest pinus montes extare per altos,
Impunè, et rapidis sese committere ventis.
Nam ventos amat, et montes, et vallibus imis
Languet, ubi tenuem ramorum proferet umbram.

L'AULNE ET LE SAULE.

Alni autem, et Salices rivos et læta fluenta
Prætexunt: et prisca sibi si fabula constet,
Ambo olim socii unanimes, piscosa secundùm
Flumina, lintre cavo vitam, linoque trahebant.
Festa dies aderat, pagum solemnis in omnem,
Sacra Pali; festæ lucis dùm retia tendunt
Immemores, iram divæ sensere furentis.
Namque, ut erant, fluvio intentos, operique vacantes,
Indignata Pales, æternùm littore in ipso,
Figit, et ignavâ duratos mole coercet,
Ad terram: longæ patiantur ut otia pœnæ.
Qui tamen humor aquæ præter labentis obibat,
Aërias utrumque dedit frondere per auras:
Sed frondes, ipso vel adhuc de crimine, pallent,
Longa quibus turpes dicunt convicia ranæ.

MÉTAMORPHOSE
D'UN JEUNE HOMME EN CYPRÈS.

Cervus erat, quondam juveni dilectus, et ipsi
Silvano, qui dùm frigus captaret in herbâ,
Hunc puer imprudens jaculo transfixit acuto,
Utque suum agnovit, percussit pectora palmis,
Se miserum inclamans : non ipsum excusat amore
Errorem, factum verbis objurgat amaris
Silvanus, durùm increpitans, et crimen acerbat.
Ille probro victus simùl, oppressusque dolore,
Pertæsusque suî, lacrymarum flumine largo
Lavit humum : tellus isto tepefacta calore,
De puero tecum fecit, Silvane, Cupressum.
Olim monstrando per sese nata dolori
Arbor erat, sed nunc ornando cômmoda ruri :
Si præsertìm humili se pumila vertice tollat,
Et versu oblongo pratorum extrema coronet,
Hortorumque aditus : aut sicubi detumet agger
Herbidus in terram, nutu clemente, jacentem.
Namque comæ æternum servans felicis honorem,
Tendit inæquales ramos, cristamque comantem,
Et longum foliis viret immortalibus ævum :
Immites etiam fortis contemnere ventos,
Et plus laudis habet ventis agitata Cupressus.

ÉLOGE DU MYRTE.

Et quondàm, ut fama est, cùm primas aurea Myrtos
Plantaret Venus umbrosis in vallibus Idæ,
Festa cohors illas circùm ludebat Amorum,
Lucentem ad Lunam, puræ per tempora noctis.
Quippè Venus Myrtum, plantis ex omnibus, unam
Ipsa sibi optavit quondam, propriamque dicavit.
Non aliam ob causam, sua velant simplice Myrto
Tempora nuptæ omnes ad solemnes hymenæos.
Ipsa deûm regina, toris præfecta maritis,
Tædiferas adhibet, sacra ad mysteria, Myrtos.

Hinc etiam Elysiis in vallibus, omnis amantum
Turba suas et habet Myrtos, et Myrtea circùm
Silva tegit, quotquot nec amor post fata reliquit,
Phædramque, tristemque Procrin, mœstamque Eriphylen.
Is non unus honos Myrto; sibi victor ovantem
Illâ nectebat quondàm de fronde coronam
Tubertus, victisque prior de more Sabinis,
Imposuit capiti Myrtum, inseruitque triumphis.
Ipsa arbos trunco est humili, nec vertice celso,
Mollibus et foliis, et ramo crebra comanti:
Illius et blando nymphæ tanguntur odore
Frondis, et eximiæ mirantur præmia formæ.
Si calor inclemens fuerit, vel frigus iniquum,
Utraque vis Myrto namque est metuenda, calores
Tu nimios, nimiumque cave, pro tempore, frigus.
Undè juvet plantam quadrato includere ligno,
Ut cùm sævit hiems, illam sub tecta reponas,
Aut fundas gelidos fontes, dùm perfurit æstus.
Et si qua est pietas, ab acutæ vulnere falcis,
Et pecoris morsu ramos defende recentes.

LE LAURIER.

Vallibus irriguis, et fontes propter amœnos,
Floret odoratis laurus pulcherrima baccis,
Nobilis æternæ cui gloria frondis obumbrat.
Nec quis, dotibus his, natam de stirpe pudendâ
Esse putet: ripâ è Peneide, maxima quondàm
Orta fuit virgo, summi nurus esse Tonantis
Quæ poterat, si fortè Deo contenta marito,
Audisset primos Phœbi victoris amores.
Ille humeros pharetrâ insignis, spolioque superbus
Pythonis, meritoque suo, quærebat amari.
Felix virgo, Dei thalamos si fortè rogantis,
Solis equis cœloque omni dotanda, tulisset.
Quamquam cœlestis sprevit dùm vota mariti
Grande tulit pretium, servatum nympha pudorem,
Et quos laurus habet Phœbi de munere honores,
Quòd templis toties, quòd sit celebrata theatris,

Tarpeiique Jovis postes figenda sub altos,
Summa suis latè Capitolia frondibus ornet.
Tu sacros Phœbi tripodas, tu sidera sentis,
Et casus aperis rerum præsaga futuros.
Te juvat armorum strepitus, clangorque tubarum:
Perque acies medias, sævique pericula belli,
Accendis bellantum animos: te Cynthius ipse,
Te Musæ, Vatesque sacri optavere coronam.

LE BONHEUR CHAMPÊTRE.

Felix ille, gravi rerum quem pondere pressum,
Semotum longè à strepitu, et popularibus undis,
Interdùm molli patrium rus accipit umbrâ:
Liber ubi penitùs curarum, animique solutus
Tantisper respiret, et aspera diluat urbis
Tædia, civiles permutans rure tumultus,
Nam medio seu fortè calor decedere Soli
Admoneat, cœlo invitet ceu vesper aperto
Lætari, summosque super se tollere montes,
Ut se prospectu camporum oblectet amœno:
Blanda fatigatam mulcebunt gaudia mentem.
Ipse autem lucum seu fors errare per altum,
Cùm matutinæ rumpunt nemus omne volucres,
Mugitusque boum de valle audire reductâ,
Cùm pastæ sese referunt ad tecta juvencæ:
Seu flores lustrare, suos seu visere fontes,
Seu villam curas malit differre per omnem:
Nescio quâ lætam captus dulcedine mentem,
Insanos jam non aulæ, non urbis honores
Respiciet. Nam plus silvæ, rivique placebunt,
Et quæ pura venit, puro de rure, voluptas,
Gramineusque torus, vel simplice somnus in herbâ,
Quàm foribus domus alta, pavimentoque superba
Porticus, aut variis pictum laqueare figuris,
Aut exquisitæ per tecta opulenta columnæ,
Rupibus excisæ Mauris, Indove elephanto
Atque illusæ auro, Belgisque tapetibus ædes.
Hunc ego, Saturno quondam regnante, putârim

LES CASCADES.

Ars etiam, reliquis cum fontibus, addere et Horto
Magnarum certos lapsus monstravit aquarum:
Quales abrupti per summa cacumina Juræ,
Perque Alpes ipsas, de rupibus ire videmus,
Et sola terrarum per præcipitata refundi.
Et perhibent, quâ parte gravem devergit ad Arcton
Americe, duroque rigens pertunditur Euro,
Trans magnum Oceanum, ripæ Canadensis ad oram,
Inter perpetuâ nigrantes abiete lucos,
Præcipites altis labi de montibus amnes,
Cum sonitu horrendo: tanto perculsa tumultu
Ripa omnis gemit, et valles silvæque profundæ.
Hosque Ruellæis imitatæ Naiades Hortis
Undarum casus, altâ de rupe, ruentum,
Artis opus summæ, virides fecere per Hortos.
Ardua stat cœlo rupes, et rupe sub altâ,
Ingens multarum se copia rumpit aquarum.
In præceps, crebrâ spumant aspergine fluctus,
Perque gradus fracti certos, et iniqua locorum.
Fit sonitus: ceu cùm torrens infrænis ab alto
Monte ruit; terra ingenti gemit icta fragore,
Substrati silices, roratæque saxa fluentis
Planguntur fluctu, toto sonat avia luco
Horrendùm tellus, longè omnis silva resultat.

ÉLOGE DE CHANTILLY

ET DU GRAND CONDÉ.

Nec vos transierim, valeant modò carmina nobis,
Quæ Cantilliacis tot nuper magnus in Hortis
Condæus, postquam toties ferus ense tremendo
Latè omnem justâ implevit formidine mundum,
Undique ductarum divortia fecit aquarum;
Nam nusquàm reliquos regni majore per agros
Ars expressit aquas sudio, neque prodiga lymphis
Natura et studio meliùs respondit, et arti.

Hîc et digestos variodiscrimine fontes
Aspicias duci in præceps, sursùmque reduci,
Inque omnes motus et in omnes ire figuras.
Jugibus hîc rivis, salebrisque frequentibus ingens
Cum luco latè sonat hortus, et ubere lymphâ
Colle è vicino vallem defusa per imam
Præceps latifluo prætenditur unda canali:
Et largo insultans per agros se gurgite pandit,
Tanquam legitimum ripis ac nobile flumen.

CULTURE DES VERGERS.

Non fuit indignum quondàm, dùm prima vigeret
Persarum fortuna, altò de sanguine magni
Astyagis Regem campos coluisse superbum.
Sæpè illum patrios flores et poma per Hortos
Plantantem, manibusque suis plantata rigantem
Attonitus vidit mons vertice Tmolus ab alto:
Et Regem agricolam longè miratus Orontes.
Ipsaque per valles quondam vidêre Sabinas
Deposito fastu trabeatos rura Quirites
Et tractare manu rastrum, atque incumbere aratro.
Hanc etiam, ut perhibent, sese formabat ad artem,
Cùm domito Fabius dictator ab hoste redibat,
Non veritus, medio dederat qui jura Senatu,
Ferre idem arboribusque suis, terræque colendæ,
Victricesque manus ruri præstare serendo.
Ipsa triumphales tellus experta colonos,
Atque ducum manibus quondàm versata suorum,
Majores fructus, majora arbusta ferebat.
Talis fœdifragum postquam Masinissa Syphacem
Et Numidam infidum Pœnis fregisset in arvis,
Imperiis terram ipse suis parere docebat,
Atque suo cultu Maurum mansuescere cœlum.

Pingebat flores, quos ad se nympha ferebat.
Indè suos etiam Serum de stamine textus,
Illusit variis texentum cura figuris.

HISTOIRE DE L'ANÉMONE.

Hanc Flora, ut perhibent, stimulis agitata malignis
Invidiæ, cœlo immeritam damnavit iniquo.
Illa, ut erat Graias inter celeberrima nymphas,
Formâ excellebat: sed obest quoque forma puellis:
Obfuit huic certè. Nam dùm fortasse per agros,
Libertatis amans, frigus captaret, et auras,
Impleretque sinum ventis, non æmula nympham
Flora tulit Zephyri conjux, studioque mariti
Exarsit: divæ numen mox sensit acerbæ
Infelix Anemona, suos quæ clara per agros,
Servasset formam, si non formosa fuisset.
Quæque fuit patrias inter pulcherrima nymphas,
Nunc flores inter flos est pulcherrimus omnes.
Et Venerem fert fama, suum dùm plorat Adonin,
Fulmineis torvi perfossum dentibus apri,
Illo præcipuum solatam flore dolorem.
Nam postquàm fuso, quod erat mortale, cruori
Eripuit, sacroque aspersit denique succo:
Haud mora, purpureo natus de sanguine flos est
Purpureus, Veneri ereptum qui penset Adonin.

ORIGINE DU CHÊNE.

Jupiter, ut perhibent, vastum dùm conderet orbem,
Immanes terrâ nati de matre Gigantes,
Protinùs ausuri cœlum perrumpere, et alto
Bella movere Jovi: turbam domat ille rebellem,
In conjuratos molitus fulmina fratres.
Natorum cædem Tellus miserata suorum,
Fervidum adhuc, ut erat, Rhœci complexa cruorem:
Dùm fovet, ingenti de corpore tenditur ingens
Truncus, et edurum crescit de pectore robur:
Robur sunt humeri, fit robur et ardua cervix,

Et totidem tollit ramos, quot grandia nuper
Centimanus vacuo jactabat brachia cœlo.
Truncum durus arat libro septemplice cortex,
Ingensque ingenti de corpore constitit arbos,
Ipsi quam læso pro numine, terra tonanti
Devovet : undè deo Quercus sacra, cujus opacâ
Primi mortales glandem fregere sub umbrâ.
Quamquam sacra Jovi sit Quercus, et illius umbræ
Constet honos, paveat tamen alto vertice in auras
Cùm tollit sese : nam sicubi forte rubenti
Tela manu quatit insultans, tonitruque corusco
Jupiter, illius frontem quatit igne superbam :
Dùm parcit myrto bonus, indulgetque Myricæ.

ORPHÉE SUR LE RHODOPE.

Ipsaque, Threicio vati quæ tenderet umbram
Ulmus digna fuit, cùm valle rediret Avernâ,
Et sese ad superos raptâ bis conjuge ferret.
Arduus ad gelidum mons est Rhodopeius Hebrum :
Monte super, citharam simùl impulit, umbra comantes
Densa simul ramos prætendit, et undique multâ
Arbore componit subitum nemus: adfuit Ilex,
Et Platani, et Salices, et coniferæ Cyparissi.
Una tamen reliquas super ambitiosa sorores,
Ulmus tollebat sese, vitemque maritam
Vati ostendebat, quâ non spernenda moneret
Connubia : at plantæ monitus neglexit amicæ.
Namque viro fatale fuit, socialis honorem
Vitavisse thori, atque omnes sprevisse maritas.

AUDACE ET SUPPLICE
DE MARSYAS.

Quæ se autem latè partes profundit in omnes,
Ipsa teres trunco, passisque amplissima ramis
Pinus, erit toti non ultima gloria luco,
Æternum quandò divinæ frondis honorem
Servat, et ingenti nemora inter frondea trunco

Fit truncum in teretem cuneo via : deindè cacumen
Felicis rami robur descendit in imum.

ÉPISODE D'ALCINOÜS.

Et si vera fides, longo quæ venit ab ævo,
Alcinous, rex idem hominum, cultorque peritus
Hortorum, talem primus Phæacibus agris
Dicitur arboreos fœtus coluisse per artem.
Regia more suo rumpebant horrea fructus
Immensi : viridis se spes ubi prodidit anni,
Contigit ut, fœdam spirans de turbine brumam
Per noctem, Boreas omnem populaverit Hortum.
Si qua autem tantâ forsan de clade superstes
Arbor erat, lætâ per agros quæ fronde vireret :
Fœtu immaturo partus edebat acerbos
Ante diem, cœli vitio, Solisque maligni.
Quin etiam, cœlo illustri, de nube serenâ,
Non semel auditi, sudum per inane, fragores :
Sed tamen istius pars maxima cladis ad Hortos
Pertinuit : sævis pomaria perdita ventis.
Rex autem attonitus monstris, vocat undique vates :
Quid portenta velint, rogat et consulta requirit,
Clade super tantâ. Memorat pars multa repulsum
Zethen, et Calaim qui sese Aquilone creatos
Jactabant, dùm regales peterent hymenæos.
Spem dabat ambobus mater, non ipsa negabat
Filia, sed neuter Regi, populoque placebat.
Quod Boreas animo fortè indignatus iniquo,
Per conjuratos molitus talia fratres :
Dùm vindicta omnem tum demum expleverit iram.
Pars Circen causatur, Atlantiademque Calypsum,
Utramque infestam regi. Nam prima Calypso,
Se memorans indignè habitam Phœacibus ipsis,
Pro Laertiade accepto, quem Nympha ferebat
Esse suum, sese passuram impunè negabat.
Verùm aliis suspectum odium, et vicinia Circes,
Quæ poterat Lunæ ipsius confundere vultum
Carminibus, purique auras corrumpere cœli.

At bonus Eurymedon, vates Phœbique sacerdos,
Externas, inquit, cladis ne quærite causas:
Nos ipsi sontes sumus: et simùl alta repressit
Ora silens, mœstusque: jubet rex ipse silentem
Effari, quid deindè velit, quæ crimina pandat.
Ille autem: non verba sibi jam multa requirit
Ipsa rei gravitas, quandò pejora timentur,
Et locus est votis, crimen per vota piandum est.
Namque graves magni exercent nos numinis iræ.
Regia quòd multi replerent horrea fructus,
Ipse suæ Alcinous curæ tribuebat, et arti,
Demens! qui divos non respiciebat agrestes:
Nec solem aurarum tempestatumque potentem,
Nec ventos, ipsumque Jovem placare solebat.
Tum sese Alcinous cœpit sentire nocentem,
Incusans durumque animum, fastusque superbos.
Itur ad Hesperidem, silvâ in Phæacide, nympham,
Quæ responsa deûm luco reddebat ab alto,
Et vox per lucum non longè audita silentem.
Ite, Jovi magno bissex mactate juvencos,
Et totidem Soli; numen violastis utrumque:
Proveniunt omnes utriusque à numine fructus.
Ibant, et Soli tauros, magnoque tonanti,
Mactabant: quæ sacra pater facienda quotannis
Imperat Eurymedon, servanda nepotibus ipsis.

È VANIERII
RUSTICO PRÆDIO.

LE CANAL DU MIDI.

Sua totum quondàm gens Romula mundum
Sub ditione tenens, ne quid deperderet agri,
Quò nullus toto melior sibi paruit orbe;
Fecit iter pigræ longo sub monte paludi :
Grande opus, emensis exhinc nec inutile sæclis.
Altiùs ignoto manabant tramite lymphæ;
Oceanum sed utrumque novo qui fœdere jungit
Alveus, excisi per saxea viscera montis
Dùm foditur, patuit ductus; priscosque labores
Opposuit nostris Romana potentia cœptis,
Francigenas certans hac saltem vincere laude :
Artificum superata manu sed Roma, palustres
Ad mare vicinum duxit cum flumine ranas;
Gallia dùm gemino faciens commercia ponto,
Ignotos ratibus calles tellure sub ima
Effodit; et longo suspensis fornice lymphis
Quæ medium non indè procùl per inane volebant,
Icariam visæ naves timuisse ruinam,
Nunc sub humo mersæ stygii nigra verrere Ditis
Stagna putant : sed mox cum subterranea remis
Æquora sulcarunt, altas ubi Blittera turres
Atque suos oculis aperit mirantibus agros;
Elysium, loca quæ fortunatissima vestit
Purpureâ sol luce, sibi spectare videntur.
At neque vel cœli facies vel gratia ruris
Dulce movent mirâ captas formidine puppes :
Terribili nam cum sonitu sublimis ab alto
Labitur unda jugo, celsas quo more per Alpes

Auctior imbre ruit saxa inter inhospita torrens,
Stant in præcipiti naves, quas lapsus aquarum
Multisonus subito quassas horrore moratur.
Abruptis tamen undè locis vix antè capellæ
Desiliere leves, operum molimine grandi,
Perque vices varias stratis æqualiter undis,
Descensus habet hinc faciles oneraria navis.

Hæc tua laus, Riquete; suo tibi Blittera civi
Divitias urbisque decus, tibi Gallia debet
Quo nihil ad regni splendorem grandius, usu
Quo nihil uberius. Mutato flumina cursu
Jussa novas intrare vias, diruptaque saxa
Alcidem vetuere mori. Vicere labores
Herculeos quæ tu, per prodigiosa locorum
Intervalla, mari gemino commercia præbes.

LE VIEUX BARBUS

CHANGÉ EN *BARBEAU*.

Hic tùm fortè puer fabellam aggressus anilem
Barbus, ait, carnosa dedit cui barbula nomen,
Vir quondam letho propior fessusque senectâ,
Jam propè centenos vitæ compleverat annos:
Frons erat antiquâ rugosior ilice, pronum
In terram caput, ora cavo deformia rictu,
Excussi dentes, manus ossea; fusa comantis
Cæsaries barbæ mento demissa jacebat;
Nodosusque gradum baculus firmabat inertem.
Fluminibus teneros assueverat ille per annos,
Humida lina trahens; atque ut provectior ætas
Debilitat veteres, sed non extinguit, amores,
Sectabatur aquas; et quamvis obsitus ævo,
Piscibus insidians gaudebat adunca dolosis
Æra cibis tegere, ac puerilem ducere prædam.

Cùm semel extremâ senior consisteret orâ,
Percutiens baculo lambentem littora piscem,
Nec titubata tenens levi vestigia ripâ,
Pronus in undosum miserè devolvitur amnem.

Cum rapidis luctatur aquis; et flumina dudùm
Ingustata bibens, languentia brachia plausis
Jactat aquis; precibusque magis quàm viribus usus,
Vota facit, nihil hæc quoque profectura roganti.
Jamque ferebatur lymphis exsangue cadaver,
Cùm senis interitum miserans regnator Olympi,
Vive, sed æquoreos pisces, ait, inter aquarum
Incola vive novus: neque enim quæ vita manebat
Est tanti, primos cures redivivus ut artus;
Effœtique brevem mavis tibi corporis usum.
Dixit; et in tenues panduntur brachia pinnas,
Contractique pedes caudam junguntur in unam:
In squamam toga panniculis consuta rigescit;
Et propè qualis erat, spinæ manet arida crates;
Barbaque pendet adhuc mento concreta senili.
Exciderant dentes: gingiva remansit inermis:
Omnia quæ priscam referunt in pisce senectam;
Ipsaque maturos ævi provectior ætas
Nobilitat barbos; et queis mortalia passim
Cætera depereunt, sibi laus accedit ab annis.

LA VENDANGE.

Ac veluti miles, cùm proximus imminet hostis,
Intentus belli signo parat arma, nec audet
Injussas miscere manus, et vellere signa;
Antè canat quàm rauca fero tuba murmure pugnam:
Sic ubi jam matura vocat vindemia cives,
Et Dyonisiacum cecinerunt cornua bellum;
Ferrum omnes durâ subigunt in cote, virique
Et matres armantur: eunt diversa manipli
Per loca: stridentes subeunt, et agrestia currus
Arma vehunt: collo cava tintinnabula jactans
It sonipes, latèque sonantibus ilia vasis
Verberat, et resono ferit aurea sidera pulsu.
Urget amor prædæ: structum procedit apertis
Agmen agris; jamque apparent Baccheïa longè
Castra, racemiferas quadro queis ordine vites
Explicuit, viridique Deus munimine sepsit.

Pampineis speciosa virent tentoria velis,
Et matutinum sudo bibit æthere rorem
Uva suâ sub fronde, mali secura futuri.
Rusticus intereà propior jam vitibus instat,
Fossarumque moras superat, ferroque recurvo
Pandit iter, sepes et propugnacula rumpens
Spinea: Feciniam, Rhodias, Mareotides albas,
Cædit, et Argites, Psythiamque, brevemque Lagæon.
Altera comprensas manus attinet, altera curvo
Colla supina secat ferro: non parcitur ulli;
Non omnes tamen una manet fortuna: calenti
Demerguntur aquâ, queis grandior intumet alvus,
Atque ut longa levent olim jejunia, soles
Ad tepidos siccantur; agris non pejor in ipsis
Pars teritur sub dente: domum pars fertur, et altâ
Vel pendet trabe, fictilibus vel conditur ollis.
Uda trahunt alias ad calcatoria: nudis
Stat pedibus, palisque manus armata juventus;
Inque chorum super insiliunt, avidoque fluentem
Jam potant animo laticem, mersisque bibaces
Delibant digitis, et in annua pocula servant.

LES VERS A SOIE.

Altera sollicitis impendet cura Puellis;
Morus ubi paritura novam bombicibus escam
Evolvet tunicis folium; tepidoque monebit
Ova fovere sinu, tenuesque excludere fœtus,
Cunctaque lanivoræ provisa reponere genti.
Ergo victa situ renovant tabulata; fenestras
Occludunt Austros contra; mensisque paratis
In testudineos, spatiis æqualibus, arcus
Inflectunt sarmenta; quibus dein ordine pulchro
Serica fornicibus suspendat stamina bombix.
Tùm procùl infestos curant avertere mures,
Ne penetrare domum thalamisque adrepere possint.
Maturant hæc cuncta, brevem dùm luminis usum
Accipit, et primos tenui dans corpore motus,
Opportuna, cibi parcus, facit otia vermis.

Nam mensas cùm dein latè diffusus in omnes
Crevit, et arboreas properat depascere frondes,
Vix operi et gregibus satis est domus omnis alendis.
Proceras spolient moros, provisaque servent
Sub tectis alimenta, nigram cùm densior aër
Cogitur in nubem, pluviosque recolligit imbres.
Sedula bombicum custos operumque magistra,
Frondea quæ saturis dispensas pabula mensis,
Thisbeam ne carpe comam, si fortè madebit,
Vel matutinis pallescet adusta pruinis:
Sed siccam viridemque aliâ procùl arbore frondem
Dùm repetas, suis exiguas de tergore partes
Ure foco; pinguique leva jejunia fumo,
Occultè medicans, et nubila tecta vaporans.
Projice si qua jacent defuncta cadavera; diramque
Anteveni, thalamos mutans et stramina, cladem.
Arrosam quoties frondem dejectaque mittes
Purgamenta solo; viridem superinjice morum:
Si quis enim folium vermis latet inter adesum,
Emergit stimulante fame; morumque recentem
Occupat; et mensis cum fronde reponitur altis.
Atque ubi jam brevior locus est, populumque frequentem
Vix capit; in varias hinc illinc tota cohortes
Gens habitet: primum qui devicere soporem
Bombioes aliis thalamis, aliisque recumbant
Quos iterùm premit alta quies: quos ultimus urget
Somnus, ad extremas epulas operumque laborem
Invitans resides inter sarmenta locabis;
Queis saturi adrepant et fila sequacia ducant.
Cætera dùm vires reparant animalia, noctem
Somniferam bombix oculis non accipit unus.
Vita brevis quater ignavum per membra soporem
Irrigat: erectâ placidus cervice quiescit,
Immotusque manet, donec lux tertia longum
Excutiat tandem pigro de corpore somnum;
Evigiletque famem: vacui jejunia ventris
Sedat ubi bombix, tabulata per omnia lenis
Fit strepitus; qualem audimus, cùm nube solutâ
Depluit, et surdo strepit altum murmure tectum.

Jam satur, et vitæ bombix pertæsus inertis,
Cogitat exequias, et quod struat ore sepulchrum
Lanivomo: plexos croceo dans corpore tortus,
Opportunam operi sarmenta per ardua sedem
Occupat; et crassum ramis intexere filum
Incipit, egregii fundamina prima laboris.
Tranquillos sine nube dies orate Puellæ:
Nam tenebris si fortè minax horrescit Olympus;
Et vasto quatitur tonitru, quo mœnia mundi
Dissiluisse putes; bombix perterritus altas
Continuò sedes atque interrupta relinquens
Stamina, sub foliis latitat, nec fila retexit
Ampliùs, ignavâ moriens formidine lethi.
Ignoscenda quidem tineæ formido; virorum
Si stupeant simili bombicina corda pavore.
Ergo serenato dùm lux micat aurea cœlo,
Pendulus alta super bombix tabulata laborem
Insistit; mediusque brevi se carcere claudit,
Ditis opes uteri fundens, ovique figuram
Sedulus effingens opifex; et stamine quanquam
Ipse suo tegitur; tamen, ut cùm vitrea piscis
Stagna secat, mediisque natans apparet in undis:
Atria sic primum bombix per virgea filum
Intùs ubi egit ore, potes spectare viarum
Circuitus quos mille legit, quosque orbibus orbes
Impiger agglomerat; nebulâ dùm clausus opacâ
Denset opus, quod dein tranquilla per otia complet,
Dives inexhausto mittens è pectore vellus.
Quos oculis jam non licet observare labores,
Arrectâ vigiles explorent aure Puellæ;
Et cùm facta quies operum est, intùsque siletur;
Protinùs avulsos ramis flaventibus undâ
Folliculos fervente doment, vel sole perurant;
Carceris antè sui capiant quàm tædia vermem.
Namque terebrato bombix erumpit ab ovo,
Impatiens reddi luci, cupidusque videndi
Adnatas humeris alas, adjectaque fronti
Cornua, et in volucrem versæ miracula formæ.
Sed non tanta novis tamen est fiducia pennis;

Ausit inexpertas ut tollere corpus in auras :
Obstupet ipse suî memor, et stridentibus alis
Papilio fremit attonitus, nec pabula curat.
Jejunus stat pulla super velamina, mortem
Opperiens; vel, sola sui solatia lethi,
Consortem thalami petit; et ne perdita secum
Intereat prorsùs generis spes tota, supremis
Admittit venerem curis, partuque soluta
Fœmina perpetuam reparat post funera gentem,
Ovaque venturum servanda relinquit in annum.

LA NOCE DE VILLAGE.

Grandior et plenis jam filia nubilis annis
Exercet rigidos unà cum matre labores;
Nec pudet et rastros, durumque movere bidentem.
Purpureâ non veste nitet, non crinibus emptis,
Nec raris Arabum donis, aut divite cultu;
Fœmineoque licet studio formosa videri
Rure velit, faciem nullâ juvat arte; suasque
Prata die festo quærit per florea gemmas,
Ad vitreum crines ornans et tempora rivum.
Simplicitas capiti pro turribus insidet, ori
Pro fuco pudor ingenuus; sociasque laborat
Vincere, non formâ, sed robore corporis : illâ
Quæritat, et ditem reperit sibi dote maritum.
 Dulcis enim cùm jam primos Hymenæus amores
Sollicitat, vincloque parat sociare jugali;
Cùm procus innuptæ, pueroque puella vicissim
Par ætate placet; captent ut tempora fandi
Opportuna, legunt in eâdem vite racemos,
Flaventesque secant uno simùl æquore messes.
Aggreditur primos, operum dux fœmina, sulcos;
Atque proco placitura suo, præcurrit anhelos
Agricolas : illam tacitâ dulcedine lætus
Spectat amans, gaudetque sequi non posse metentem.
Sæpè nec ingratis ultrò remoratur amicam
Questibus, increpitans spicas tellure relictas;
Ut vultus oculosque retrò convertat in ipsum.

Messores reliqui somno, sed dulcibus ambo
Colloquiis fractas reparant post prandia vires:
Jamque animo instituunt, quâ lege feracibus agris
Imperitent, placidosque regant in pace penates.
Cùm jam notus amor patribus, dignique videntur
Conjuge vir conjuxque viro; desponsa parentes
Continuò certis firmant connubia pactis.
Tum vel amicitiâ juncti vel sanguine totis
Undique concurrunt pagis, et agrestia secum
Dona ferunt, tædasque parant celebrare jugales.
Expectata dies ubi jam processit, et albâ
Cunctantes manet impatiens in veste sacerdos;
Antè fores, ipsoque domûs in limine, sponsi
Procumbunt in genua: parens utriusque madentes
Procedit siccans oculos; et amore paterno
Præmia digna, manum tollens cùm voce, precatur.
Templa petunt; vittâ sponsus bicolore galerum
Ornatus, virgo vultus dejecta modestos,
Atque novis sudore madet sub vestibus: ambo,
Numine teste, sacro conjungunt fœdere dextras
Sole nigras, quamquam purgatas furfure multo;
Tympanaque et cytharas inter, clamosa juventus
Deducunt, sponsum pueri, nuptamque puellæ.
Tùm prisco de more jubent utrumque sedere
Ulmo sub patulâ, mediis quæ publica pagis
Umbra viret: magnâ spectantum astante coronâ
Junior hinc virgo Cerealia grana refundit
Conjugis in caput, et tacito suffusa rubore,
Votum pro thalamis, et fertilitatis honore
Persolvit, dulcesque refert in corbe placentas.
Indè juventa procax ausit garrire virorum
Sorte super; vocem nisi protinùs ære soluto
Comprimat, atque merum vir connubiale rependat.
Intereà structis fumant convivia mensis,
Lauta quidem, nullo tamen exornata macello:
Hædus enim vervexque, fames quo prima domatur,
De gregibus venêre suis; pullosque tenellos,
Gallinas anatesque diù servavit in illam
Parca Colona diem: mensis nec poma secundis
Castaneæque nuces desunt, nec copia lactis.

Quas epulas non vina modò, sed pectine duro
Pulsa chelis, fracti calices, risusque soluti,
Carminaque et varii ductâ pro conjuge cantus
Exhilarant: mensas choreæ, ludique sequuntur;
Et festum visenda tenent spectacula pagum;
Quorum finitimos rumor diffusus in agros
Non aliis vacuas sermonibus occupat aures:
Gaudet enim faustam non invida crescere prolem,
Et patribus similes sperat vicinia natos.

ATTACHEMENT DES CHIENS

POUR LEURS MAITRES.

LANIGEROS quocumque greges hirtasque capellas
Pastor agit, lateri comes et defensor amico
Usque molossus adest, et hero famulatur, ovesque
Communi regit imperio, blanditur, amatque
Blanditias Domini, sua gaudia ducit ab illo
Tristitiamque: viri non est vir amantior alter;
Et desertores fractis quæ rebus amicos
Sors adversa fugat, nullis terroribus aufert
Quem Domino canis æternum devovit amorem.
Obstupuit quondàm detrusi in vincla Sabini
Roma canem, nullis abigi de carcere plagis
Qui potuit. Præceps alto de ponte Sabinus
Mittitur in Tiberim, manibus post terga revinctis;
Pronus et ipse canis saltu se jecit in amnem,
Et dorso exanimum sustentans impare corpus,
Maluit in mediis occumbere naufragus undis,
Quàm Domino superesse suo: mirabile visu
Prodigium mœrens populus spectabat, amorem
Infractamque fidem cane demiratus in uno.
Nec minùs ultorem Galli stupuere molossum.
Æternum facti monimentum Curia pictis
Servat adhuc muris: nudos in imagine dentes
Exerit, et lacero victor canis insidet hosti.
Illius antè oculos Dominus clam vulnere cæco
Conciderat, multo fundens cum sanguine vitam:
Visus deindè cani mediâ Sicarius aulâ

Vindictam stimulat, memoresque resuscitat iras.
Ergo virum sine more feris latratibus urgens,
Indicium ostendit sceleris; pœnamque reposcens
Irruit; et quamquam Sicarius iret in armis;
Solaque protegeret pietas spectanda molossum;
Hostica vindicibus dens morsibus ilia rupit.
In Dominos peccasse canem quoque pœnitet: ædes
Nuper enim cùm forma viri larvata subiret;
Insurgit canis ore ferox, et nescius ipsum
Lædit herum, qui detracto velamine tristes
Serius heu! retegit vultus, et vulnera monstrat
Ignoscenda; suis ignoscere si quid amantes
Delictis possent: lucem vitamque perosus
Delituit; certusque mori canis horrea Bacchi
Cæca petit, cupâque gemit sine fine sub altâ.
Indulgens veniam Dominus, compellat amicâ
Voce canem; sed acerbum acuit vox cognita luctum;
Nec nisi per lacrymas et per tristes ululatus
Respondens, dapibusque negans producere vitam,
Jejunos mœrore dies absumit acerbo.

LA RÉCOLTE DU GUY.

Nil Gallia majus
Nil habuit quondam quercu sacratius illâ,
Divinum partu tulerat quæ divite viscum:
Et quamquàm nemore ex alto qui fausta tulissent
Ligna domum, nec dira sibi gregibusque timerent
Toxica, nec gravidis inimicos messibus Austros;
Germina sacra tamen ritu demessa paterno
Per Druidas templis in publica jura locabant.
Ergo novo surgente die, crescentia postquàm
Cornua jam sexto Phœbe reparaverat ortu;
Nobilitas cum plebe, viri cum matribus ibant,
Quò sua per lucos, per et invia saxa vocabat
Relligio; sacrum resecabat ab arbore ramum
Aurea falx: neque enim ferro violare licebat.
Candenti præcinctus erat quâ veste Sacerdos
Excipiens viscum, populo plaudente, sub ipsâ

Grandia taurorum mactabat corpora querci,
Ausus et humano cultros fœdare cruore.

L'HYVER DE 1709.

Festâ dies aderat prisco sanctissima ritu,
Quæ Christi cunas et inops præsepe quotannis
Nobilitat Regum donis, et supplice cultu:
Nos affusi aris, sacro dùm thure litamus;
Atque Deo genitore satum, matrisque prementem
Ubera, dùm Christum colimus, meliora precantes,
Forsitan heu! animis non utiliora superbis;
Sarmaticis Aquilo nobis invectus ab oris,
Sithonias secum glacies, et acuta Getarum
Frigora convectans, glacialibus evolat alis;
Et cœlum terrasque gelu constringit inertes.
Intremuere viri; totasque ardentibus ulmos
Advolvêre focis; positoque labore, suâ se
Quisque domo sepsit, largo vix igne trementes
Frigore defendens multis sub pellibus artus.
Palluit ægra seges, sulcisque rigentibus acri
Decubuit moritura gelu; silvasque per altas
Insonuit magno quercus discissa fragore.
Dissiluere jugis, et quæ durissima sensu
Hac caruêre tenùs, frigus penetrabile saxa
Per medias sensere nives; sensere sub altis
Gurgitibus Boream fluvii; frenique moræque
Impatiens Rhodanus gelidis consistere ripis
Jussus, et ignoto sua jungere littora ponte,
Sustinuit tergo ferratos pervius orbes.
Ipsum etiam in cellis sub opaco fornice Bacchum
Aspera vincit hiems; et stantia vina securi
Cæduntur; neque jam liquido sitientia potu
Ora rigant, sed dente, cibos imitata, teruntur.
  Torpentes aër avibus non æquior alas
Illigat; et rigidæ, timidissima turba, columbæ
Hospitium querulo gemitu petiere; cibique
Et famis immemores, positâ formidine, nostris
Accessere focis: quæ mox exempla secutæ

Perdices turdique, fidem violataque jura
Ingemuere, manu capti: subit ipse penates
Oblitâ feritate lupus; nemorumque relictis
Hospitiis, fugêre vagi per compita cervi.
Communes habuere casas pecudesque virique;
Nec potuere tamen sævum defendere frigus.
Lanigeræ non vellus ovi, non seta capellis
Profuit, aut forti pellis durissima tauro.
  In stabulis periere greges; periere ferarum
Per silvas armenta; vagæ periere volucres:
Quos et opum vesana fames decedere tectis
Impulit, et rigido sese committere cœlo,
Occubuere viri, aut pedibus vixere minores:
Auxilium neque enim præsentius horrida passis
Frigora, quàm ferro sævire salubriter; imos
Cædendo, quos acre gelu nodaverat, artus.
  Perstitit hæc hiemis solidum vis improba mensem,
Intermissa virûm commercia; rure labores
Cessârunt et jura foro; sacra ipsa quierunt:
Nam neque fas illis vinum libare diebus.
Non miror potuisse morâ durescere dios
In glaciem latices, licèt additus ignis ad aras;
Si tepido de fonte, cavis qui flumina palmis
Hauserat, admovit labris sitientibus amnem
Frigore concretum; projectaque lympha per auras
Insonuit terris, lapidosæ grandinis ictu.
  Diffugêre nives tandem; vinclisque solutis
Deseruere toros fluvii; dorsoque rigenti
Portarunt gelidas, onus intractabile, moles.
Fluctuat, et pontes ruit insula vitrea, secum
Obvia quæque trahens, pelagoque licentior errans,
Fert ratibus Nautisque novos infracta timores.

LA CHASSE DU CERF.

COMPOSITA belli facie, proceditur altum
In nemus; et fruticum denso munimine septam
Obsidione feram cingunt, lustroque propinquant.
Stant equites circùm dextrâ lævâque; canumque

Turba sagax hinc indè feram rimata, canoro
Latratu pavidam exagitat. Ne protinùs erres,
Sedulus observa jam tùm vestigia cervi,
Cùm celer è latebris in apertos prosilit agros:
Semper enim lateri comes indivisus amico
Junior accumbit cervus, qui fœdere miro
Auxilium vetulo ferat, accipiatque vicissim.
Callidior longoque senex exercitus usu
Pascua tuta docet, juvenemque tuetur inermem:
Ast ubi res agitur pedibus cursuque, periclum
Sponte subit; sociumque jubens consistere silvis,
Junior audacis tentat certamina cursûs.
  Ergo fugax impunè nemus transmittat et agros:
Tu catulos, qui ponè vagis latratibus instant,
Voce tubâque voca, primas hortatus odorâ
Quærere nare vias, primosque iterare labores.
Imperio parent ægrè, reducesque latentem,
Atque tenebroso dubitantem exire cubili
Excutiunt cervum: fugit ocyor ille, morasque
Corrigit; et flexis retrò per colla, per armos
Cornibus, evadit lucum: tum vertice recto
Arva volans per aperta, Notos post terga relinquit.
Silva virûm strepitu sonat et clangore tubarum,
Latratuque canum: quamvis intelligat unum
Se tanto clamore peti, nec vanus oberret
Ima per ossa tremor; primo tamen impete cervus
Mobilitate pedum viget, et juveniliter agris
Exultans, ævi florem mentitur, et annos
(Astutæ fraus prima feræ) fegit alite cursu;
Conceptas ut spes adimens animumque sequendi,
Suadeat alterius latebras inquirere cervi.
  Mox ubi venantum, juga post frondentia, sese
Abstulit ex oculis; pedibus diffisus, ad astus
Vertit se solitos; recto nec tramite fertur,
Sed per itus reditusque, pedum vestigia turbat;
Vel curvis magnos spatiis vagus errat in orbes:
Tum leve corpus humi mittit procùl alite saltu,
Indeprensa canes fallant ut signa sequentes.
  Pinguia si taurum reperit per pascua, dorso

Insilit; et costis hærens, uterumque rigenti
Calce premens, celerare gradum jubet, ilia risu
Concutiunt circum qui, quadrupedante coloni
In bove prospectant equitantem et grandia cœlo
Cornua tollentem cervum : novus herbida cursor
Emensus sic arva, canes ubi lusit odoros,
Desiliens fluit ad terram; tauroque relicto
Vepre latet, reputans secum quâ fraude tenacem
Consilii, quibus aut ludat vafer artibus hostem.
Ergo vias hinc indè canes rimantur odoras,
Atque ubi de numero quis fortunatior omni
Nare fatigati relegit vestigia cervi,
Continuò socios latrans compellat; at illi
Altiùs erectâ spectant cervice monentem,
Despiciuntque, canes inter si nullius ille
Nominis est meritique : fidem sed si quis anili
Voce facit, longo miles veteranus ab usu
Cognitus; accurrunt omnes, junctoque feruntur
Agmine, dùm resonis tandem latratibus actam
Effundant iterum spatiosa per æquora prædam.
Cervus ab antiquo silvæ frondentis abactus
Hospitio, quamvis jam fractus et ilia pulsans,
Spem tamen et cursu vires affectat anhelo;
Donec ab aspectu longè semotus, onustum
Ad dextram lævamque caput demittit, et ægros
Molitur titubans, exhausto robore, passus.
In celeri cùm nulla super fiducia cursu,
Nulla fugæ, spes nulla doli; quæ sola salutis
Occurrit via, præcipitem se cervus in altum
Flumen agit : prono nantem rapit alveus amni,
Et cùm jam pedibus gradiens contingit arenam,
Ne qua fugam liquidum per iter vestigia prodant,
Per vaga longa viam secat; egressusque fluento,
Vix movet ignavo torpentia frigore crura.
Instabunt tepido catuli sudore madentes,
Oraque projectis pandentes arida linguis.
Igneus ardor aget nando per flumina cervum
Velle sequi : cohibe audaces, et nave paratâ
Transvehe, ne tepidos penetrabile frigus in artus

Gliscat, et enervi solvat torpedine vires.
Agmine partito, ripas hinc indè sagaci
Nare legant; nactique feræ vestigia, lætis
Devia continuò latratibus agmina cogant.
Haud procùl indè metu cervus perculsus inerti,
Sollicitâ capit aure sonos hominumque canumque;
Feralemque tubam, præsagia tristia mortis,
Audit; et exanimis quamquam trepidusque, pavorem
Comprimit ignavum, tumidasque recolligit iras:
Sive suos etiam moriens non exuat astus;
Sive novas addant suprema pericula vires.
Ima sedens in terga, caput sublimis et armos
Erigit; ac furiis accensus, turbida diris
Asperat ora minis; ut, qui pavet ipse, timorem
Incutiat, retròque canes avertat, inulto
Vel non indecorem timidùs det sanguine vitam.
Ergo lacessentes confusis vocibus hostes
Provocat intrepido similis; frontemque minacem
Arduus ostentans, parat horrida vulnera cornu.
Circumstant magno catuli clamore; nec audent
Ancipitis propiùs tentare pericula belli.
Si quis erit rudis incauto qui cominùs hostem
Dente petat; subitâ prostratus morte, cohortem
Admonet arguto procùl ore lacessere cervum,
Atque obstare fugæ; noto dùm buccina cantu
Optatos sonet interitus, sparsamque per agros
Tristia venantum vocet ad spectacula turmam.

PÉRISTÈRE ET SES FILLES

CHANGÉES EN COLOMBES; MILVUS, EN MILAN.

Formosæ sobolis mater formosior olim
Pristera spectabat placidos è littore fluctus.
Mite fretum, sudusque dies, navesque paratæ
Invitant pelago terras mutare silenti;
Vicinumque solo metiri puppibus æquor.
Jam decrescentes silvas miratur et urbes
Ire retrò, subitâ cùm tempestate minaces

Insurgunt venti : demittere cornua rector
Imperat, et tutos appellere remige portus ;
Jussa sed impediunt ventusque potentior arte,
Fœmineusque pavor : refugi maris æstus in altum
Abripit, et socias agit in contraria naves.
Puppe vehebatur natis comitata duabus
Pristera ; quassatam post mille pericula pinum
Excipit ignotis portus sine nomine terris.
Ut Regina solum tetigit, vultuque sereno
Spem simulans, nonnulla dedit solatia natis,
Ipsa oculos sensit propiore tumescere fletu.
Ut secum gemat et lacrymis effundat habenas,
Sepositâ fractos sub quercu projicit artus,
Multa movens animo quas vento accesserit oras,
Quæ sibi spes vitæ, sponso quis mœror amanti.
In mediis fruticum tenebris tùm fortè latebat
Milvus, inhumanâ latro feritate timendus.
Vidit, et ex facie mentem cognovit iniquam,
Accessusque viri metuens fugit ipsa, fugamque
Accelerent tristes hortatur Pristera natas.
Sed quid agant, pede nam melior jam proximus instat
Milvus, et in tantis superest spes nulla periclis.
Sollicitant votis Superos, vitâque pudorem
Ut redimant, subitâ perimi vel morte precantur ;
Aut alio, si fas, in corpore ducere vitam,
Alite mutari, pennisque revisere Cyprum
Non vanæ cecidere preces, non irrita vota :
Protinùs in plumas crines, velamina, vittas
Ire vident ; os in rostrum producitur ; alis
Candescunt humeri, queis se per inania tollunt.
Milvus ut ereptam nova per miracula prædam
Vidit inexpertis se ferre per aëra pennis ;
O ! si Mercurius furum pater adjuvet, inquit,
Humanisque suas humeris accommodet alas !
Adfuit interpres Divûm, virgâque potenti
Tacta superfusis dat membra nigrescere plumis ;
Quem manibus tentans divellere Milvus amictum,
Pro manibus pennas habet : eheu ! clamitat amens,
Eheu, quid volui misero mihi ! plura parabat

Dicere, sed verbis jam deficientibus unco
Imperfecta lipit rostro, quâ territus ipse
Voce fugit, prædamque iterùm per inane volantem
Insequitur: nec quas rabidus conceperat iras
Nunc cecidêre: manet sub eodem nomine Milvus.
Sanguinis idem amor est, eadem feritatis imago;
Nec volucrum satis est, hominum quoque sanguine gaudet.
Intereà cœlo volat anxia Pristera, natas
Vestigans nequicquam oculis: jam tuta tenebant
Saxa procùl. Cyprum mater cognovit, et ædes
Non procùl esse suas meminit: videt atria Regis,
Nec dubitat sponsi, quamvis ignota, penates
Intrare, et tangi manibus, nomenque, suosque
Dicere, si possit, casus. Pro voce quot artes,
Quot scit inire vias industria? si quis obortis
Reginam absentem lacrymis gemituque requirit,
Hùc volat, et dulces tristi cum murmure miscens
Blanditias, rostro prodit se penè loquenti.
Quà natos videt ire suos, plaudentibus alis
Insequitur, tangi patiens, caroque foveri
Læta sinu, et blandas iterans gemebunda querelas.
Accipiunt pueri volucrem; fatumque parentis
Dùm crudele dolent; gemitus incognita mater
Temperat, et lusûs eadem est, et causa doloris.
Sponsum autem inprimis circumvolat ægra, marito
Assidet; et si trita manu det crustula Princeps,
Aut volucri blandè palpaverit; oscula caris
Dat manibus, gemitumque imo de pectore ducit.
Nil gemitus, nil alta juvant suspiria; nulli
Noscitur, et tacitum cunctis inspirat amorem.
Quamquam ignota, tamen Cypriis vitam egit in oris:
Hinc habet à Cypro sibi nomen. Pristera Græcis
Dicta fuit, veteres Latii dixere Columbam.
Illa dedit toti nomen cum sanguine genti;
Signaque regalis generis manifesta coronam
Vertice gestat ovans, regaliter ambulat, altas
Queis habitat prisco turres splendescere luxu
Gaudet, et ingenti sociarum fervere turbâ:
Et, quod fœmineum vitium est, formosa videri

Nunc quoque mutato vult corpore; namque superbam
Altiùs ire vides, et circumducere collum,
Atque recompositas sub lege reponere plumas.
Munditiæ studiosa, lutum deterget ab alis,
Si quod inest: puras gradiens affectat ab omni
Sorde vias; et sola avium nec in arbore sidit,
Nec cæcum nemus ingreditur, non immemor olim
Silvestres quanti steterit subiisse latebras.
Servat adhuc mites animos et pacis amantes,
Et veterem non est oblita pudoris amorem:
Nam neque concubitu volucris castissima novit
Indulgere vago: nubit, sanctamque marito
Præstat sponsa fidem, nec vincla jugalia solvit.

È CAROLO LE BEAU.

ABEL A CAINO FRATRE INTERFICITUR.

PRATA per et lætas intacto gramine valles,
Innocuas pascebat oves mitissimus Abel.
Hunc circùm umbriferis latè juvenescere ramis
Gaudebat, volucrumque novos cantabat amores
Sylva recens; ridebat humus; rivique salubres
Monstratas inter discebant serpere ripas.
Hos avium modulos, rivorum hæc murmura pastor
Reddere, et argutum liquidæ jam vocis amabat
Explorare melos. Primus junxisse cicutas
Creditur, et stipulæ dulcem aspirasse loquelam.
Securæ intereà tundebant prata bidentes.
Nondùm lascivos Galateæ cæperat ignes
Infans musa loqui. Castæ tu solus avenæ
Carmen eras, Deus alme. Deum percussa canebant
Littora; divino resonabant nomine valles.
Sæpè etiam eximios fœtus gregis, ipse Sacerdos,
Primitias pecudum, viridi mactavit in arâ,
Æternoque memor retulit sua dona Parenti.
Nec minuebat opes felici victima damno;
Victima semen erat pecori: gaudebat ovile,
Prole novâ, teneris nova gens crescebat in herbis.
Parte aliâ vix arva rudi exercebat aratro
Frater, et indociles operoso vomere glebas
Frangebat, semper rigidos tractare ligones,
Horridus, ingratoque gemens incumbere sulco.
Parcâ fruge Deum nequicquam et honore maligno
Speravit placare; manum aversatus avaram
Omnipotens duræ stringebat viscera terræ,
Damnabatque avidos inopi mercede labores.
Annus opes misero, somnos mens ægra negabat.

Ergo inter tenebras malesuadæ noctis, edaci
Anxius invidiâ, et vigili defessa volutans
Membra toro : « Me ne æternis tabescere curis,
» Nec posse heu! volucres oculis admittere somnos!
» Quis nos antra juvant et opaco frigore vesper,
» Si fractos artus et iniquo sole perustos
» Longorum recreant oblivia nulla laborum?
» Fallit vota seges; mendacis semina terræ
» Intereunt : nunc culpat aquas, nunc frigora messis.
» Ille per æstivos umbroso tramite saltus
» Ignavas compellit oves, et nescia solis,
» Nescia sudoris nunc membra impunè relaxat
» Propter aquæ rivos; nullisque laboribus emptas
» Perfruitur noctes et amici munera somni.
» Intereà cumulantur opes, et ab ubere matrum
» Crastina lux pendere novos mirabitur agnos.
» Desine jam, Caïn, jam desine pauperis horti
» Perdere primitias, et inertem pronus ad aram
» Fœmineas jactare preces; hoc dedecus ingens
» Vince manu; justi pereat mihi causa doloris. »
Dixit; et ora toro impressus, « morieris, et istum
» Improbe, terra bibet tandem emollita cruorem. »
Postera vix primos aurora ostenderat ortus,
Exilit, et vesana tumens præcordia, diro
Consilio, fratrem nota inter lustra requirit.
Qualis ubi infrendens jejuno prosilit antro
Siccâ fauce lupus, prædamque per avia lustrans
Sanguineos oculorum orbes huc torquet et illuc;
Si fortè aut leporem aut depulsum à lacte juvencum
Conspicit, ardet hians, acuitque in dentibus iras.
Haud secus ille truces circumfert undique visus,
Vestigans latè fratrem, infremuitque reperto.
Utque stetit contra, complexus audet amicos
Excipere, et falsos ridenti reddere risus.
Multaque dùm vario miscent sermone, retortis,
Triste nefas! oculis speculatur et omne pererrat
Obtutu tacito corpus, quo vulnere possit
Ignatos invisæ animæ discludere nexus.
Sylva fuit dumis horrenda silentibus, atræ

Noctis opaca domus, scelerumque accommoda furtis.
Hùc manus incautum rapit impia. Dicite, quercus,
Abelo notæ quercus, quibus improbus armis
Fraternum pectus sociamque abrumpere vitam
Pertulerit: vestri quondam hospitis ultima fata
Dicite, et auditos morientis reddite questus.
Pastorem heu! longis frustrà balatibus agni
Quæsivere; novo tellus contacta cruore
Intremuit; cæcis ulularunt monstra sub antris,
Et cædem et strages primùm didicere cruentas.
Tum verò, sylvis latè indignantibus, amens
Pallentes effert ac plenos crimine vultus.
Jam sceleris Deus ultor adest; fratrisque perempti
Umbra sequax trepidum horrificis circumvolat alis.
Quòd vivit pœna est: cunctos terretque pavetque;
Se miser ipse fugit; frontique inscripta nefandæ
Funera circumfert, terræ execrabile pondus.

SACRIFICIUM ABRAHAMI.

« Surge, et vicini properes ad culmina montis,
» O Abraham, dulcemque simul, tua gaudia Natum
» Duc tecum comitem; Nati mihi morte litandum est. »
Hæc Deus. Ille viam rapit impiger; it comes unà
Filius; et jussum properant conscendere montem.
Hìc genitor quoties in Natum ponè sequentem
Lumina convertit, toties ad sidera tollit,
Et cordis tacitâ toties tenerum immolat arâ.
Fert manibus mucronem; humeris puer arida ligna,
Adjutorque sacri, cujus sit victima, pergit
Inscius. Ut summum montis tetigere cacumen,
Constituunt aram digestaque ligna reponunt.
Tum pater Isaacum manibus post terga revinctis
Corripit, et sacro, jam non pater, admovet igni,
Immotosque gerens ac plenos numine vultus,
Exuit humanos sensus et servit Olympo.
Hic subit, et patriæ supponit colla securi,
Et quanquam toto se pectore devovet aris,
Rara tamen niveas irrorat lacryma malas.

Ille rapit gladium dextrâ, lævâque decoram
Cæsariem implicuit, certumque assurgit in ictum
Arduus. Ecce autem superis vox intonat auris :
« Siste, ô siste manum ; placet hactenùs illa Tonanti
» Victima ; nec tantum, ô Abraham, mercede carebit
» Obsequium : modò quem docilis mactare parabas,
» Hic dabit innumeram fœcundo semine prolem. »

MOSES AB UNDIS SERVATUS.

VENERAT atra dies, nec te celare licebat
Ampliùs, ô Moses, crudelibus edite fatis.
Ergo mœsta parens, immiti exterrita Regis
Imperio, molli calathum de vimine texit :
Fletibus aspergens insternit fronde, Tyrannumque
Execrata trucem, credit melioribus undis,
Spemque simul generis, generis solatia credit.
Excipit infantem miserans, et amabile pondus
Subvehit innocuâ lambens aspergine Nilus.
At germana madens lacrymis, in arundine ripæ
Delituit, cunasque, metu suspensa, natantes
Obtutu sequitur, fluctuque expalluit omni.
Ecce autem riparum umbras et frigora captans,
Gentis amor, sævo melior patre, filia Regis
Ibat ; eam circùm famularum læta juventus
Emicat, et dulcesque joci risusque sequuntur.
Fortè inter salices vicino in littore cernit
Hærentem alveolum. Simùl, « i, fidissima, dixit,
» Ociùs, et nostri nova munera fluminis affer. »
Jusserat ; èque suis, ut jusserat, una puellis,
It, redit, et cistam propiori in gramine ponit.
Illa ubi dimovit recluso vimine frondes
Impositas inhians, videt ah ! (pressitque videndo
Corda dolor) videt infantem, miratur honores
Ingenuos, quàm dulce decus, quæ gratia labris ;
Miratur plenos ignoto Numine vultus.
Ille imploranti similis, similisque gementi,
Vagit inexpletùm, et teneris rapit oscula palmis.
Tùm virgo : « puer Hebræo de sanguine natus,

» Scilicet, infelix heu! morti natus acerbæ;
» Nec tamen, ô formose puer, moriere. » Fovensque
Egelidum, niveæ fronti dedit oscula mille,
Oscula mille genis; et quæ bibat ubera quæri
Imperat. Intereà videt exultatque videndo
Læta soror, matremque vocat. Mora nulla vocanti
Mater adest: tacitâ gestit dulcedine pectus.
Jussa dedit mammas; matri benè creditus infans
Lacte suo gaudet, notisque recumbit in ulnis
Inscius. Ipsa palàm nutrix, clàm mater, amicâ
Nutricis curâ maternos celat amores,
Et sibi commendat dulci sua gaudia furto.
Ast ubi maturo crescentem eduxerat ævo
Blanda suum genitrix, alienum reddit, et aulam
Nato indulgentem felix videt, ipsaque sensu
Combibit occulto retulit quos natus honores.
  Macte animis, puer, ô fractis spes ultima rebus;
Deliciæ fatorum; avidis ereptus ab undis,
Eripies quondam Isacidas, et colla tuorum
Exsolves victor longâ curvata catenâ.

TRANSITUS MARIS RUBRI.

Jamque adeò obscuræ consurgens nimbus arenæ,
Horrendùmque ululans variis clamoribus æther,
Quadrupedumque virûmque gravi terra excita motu,
Plagarum immemorem monstrabat adesse tyrannum.
Ergo ingens trepidis Hebræa per agmina castris
Exoritur fremitus: « Nam quid, temerarie ductor,
» Profuit Ægypto avulsos deserta per arva
» Nos circumtrahere? An campi caruere sepulchris
» Niliaci»? Insanas non tot miracula mentes
Usurpata oculis moxque usurpanda coercent.
Sed fletus compesce tuos, compesce querelas,
Gens dilecta Deo, Moses jubet. Ille ubi vidit
Effusis Pharium Regem prorumpere habenis,
Fætam prodigiis virgam rapit: evocat illa
Et fugat arbitrio mortem, vada sanguine mutat
Quùm libet, attonitasque operit caligine terras;

Illam elementa timent, illa ipsis imperat astris.
Vix portentificus leviter rubra æquora ramus
Contigerat, tactum fluctus sensere potentem,
Et jussum dociles nudant iter. Ilicet unda
Cristalli in morem et solidi durata metalli
Suspendit murum parte ex utrâque tenacem,
Datque fugam Abramidis et amica ad littora reddit.
Nec minùs accelerat cæcatâ mente tyrannus;
Atque procul: « non te merito tamen, improbe ductor,
» Te gentemque tuam subducent æquora letho. »
Sic ait: et currum per apertas urget arenas:
Ingressæque premunt eadem vestigia turmæ.
Vidit, et exarsit Moses; protensaque rursùs
Quas dederat pelago tum virga relaxat habenas.
Haud mora, frænari impatiens vinclisque teneri,
Exultat fractâ resolutus compede pontus;
Undique dissiliunt muri, et super agmina montem
Præcipitant undosum, involvunturque ruinâ
Armaque, quadrupedesque, suâ et cum gente tyrannus.

DEUS IN MONTE SINAI.

Exoptata dies aderat, pulsisque tenebris
Extulerat cœlo nitidum sol aureus orbem.
Ecce repentinis mugire tonitribus æther
Auditur: crebrâ micuerunt fulgura flammâ.
Incubuit, densoque jugum contexit amictu
Plena Deó nubes ac cæcis fœta procellis,
Et mediâ de nube graves dat buccina cantus.
Arrectis stupuere animis; concussa cucurrit
Isacidum per castra pavor: Deus ecce propinquat,
Ecce Deus; celeres venienti educite turmas.
Ac simùl ingreditur Moses. Mora nulla, Tonanti
Obvia se totis fuderunt agmina portis.
Ibat turba silens, suspensaque numine multo
Nubis inaccessæ tenebras obtutibus haurit
Attonitis. Postquàm primo vestigia monti
Admovere, premunt gressus, jussique resistunt.
Intereà ad cœlum toto de vertice fumus

Volvitur exundans densato turbine. Tantus
Æstuat undè vapor? Quæ tanta incendia nubem
Agglomerant? Subitus ne Sinam depascitur ignis?
O Deus, ignis eras! avido Deus igne coruscans
Venerat, et claro flammarum ardebat in auro.
Ergo erumpentes radii cava nubila passim
Incendunt: lucem nubes dùm comprimit, ardet
Discolor, inclusoque rubent splendore tenebræ.
Ac veluti solem pendens ubi condidit humor,
Involvens nitidos atrâ ferrugine vultus;
Pars densata hebetes radiorum intercipit ictus,
Pars aperit sese rutilans et pervia flammis;
Horrificat cœlum mixtâ caligine fulgor.
Talis erat facies. Tali discriminat umbras
Fulgore irradians, lux incola noctis opacæ.

VITULUS AUREUS.

Densa nube latens, mediâ testudine flammæ,
Numinis ætherei Moses auditor et hospes
Dùm sedet, et summo cunctatur vertice montis,
Impia Judæas intrat vesania mentes.
Cingit Aaronem confuso examine vulgus
Densum humeris, magnoque virum clamore fatigat:
« Finge Deos, fac habere Deos qui nostra secundo
» Numine cæpta juvent, ducantque in bella cohortes.
» Scilicet occubuit tacitâ sub nube sepultus,
» Ille vir occubuit qui nos per inhospita tesqua,
» Jejunum per iter Nili de pinguibus arvis
» Traxit anhelantes: Mosi nox incubat umbris
» Æternis, æterna premunt oblivia Mosem. »
Non tulit Amramides duræ convicia plebis;
Irarumque timens: « Aurum jam ponite, dixit,
» Huc afferte; Deus vestro fulgebit in auro. »
Sic ait: ac subitò fervet manus omnis, et omnes
Apparent positis viduatæ insignibus aures.
Effulgent totis detracta monilia castris.
Denudat pueri collum, simùl ipsa reponit
Pignora conjugii mater, simùl innuba virgo

Conjugii illecebras; notum decus ora relinquit.
Impia jucundos pietas populatur honores.
Hæc capit, accensisque focis ignavus Aaron
Dementes dedit exuvias; fluit ignibus aurum;
Jamque novam ediscit faciem; bos aureus exit;
Et muliebre decus, collo quod et aure pependit,
En Deus est, surdo moles aurita metallo.
Stabat et extructâ vitulus fulgebat in arâ
Niliacum simulans Apin : altaria circùm
Prona fremit plebes inhians, gaudetque relictos
Agnovisse Deos; cadit undique victima; et ipso,
Turpe nefas! jugulant meliores numine tauros.
Pars lætas celebrant epulas, fusique per herbam
Exhilarant ritus vino spumante profanos,
Pars agitant festas cantu petulante choræas.
Fervet pectoribus pietas vesana, recensque
Ægyptus; totam spirant præcordia Memphim.

JORDANIS TRANSITUS.

Ibat ad optatas pulchræ Palæstinis urbes
Gens Hebræa, Deoque alacres ducente catervas,
Spes rerum ingentes, atque omina magna ferebat.
At cursu in medio Jordanis euntibus undas
Objicit, horrisono provolvens murmure fluctus;
Vicinisque arcet venientia vincula regnis.
Incerti in ripâ trepidant, fluviique ruentis
Terrentur sonitu; at propiori Numine fidens
Josua, divinosque agitans sub pectore sensus :
« Quis metus, exclamat? Deus, an Deus ipse recessit,
» Qui servile jugum vestris cervicibus ultor
» Depulit, æquoreamque jubens discedere molem.
» Perque mare incolumes vexit perque invia lustra? »
Sic ait. Arca simùl fluvii defertur ad undas,
« Arca Deo dives, celsi domus æmula cœli. »
Quæ simùl ac ripis ingens apparuit, undæ
Haud mora conticuere : novo stupet anxius amnis
Numine, et augustum timuit contingere munus.

Ergo sinum abrumpit docilis; cursuque represso
Hinc faciem in montis liquidus stetit agger, et illinc
In mare præcipiti fugerunt agmine limphæ,
Et medio siccos pandunt in gurgite calles.
Intereà subnixa virûm cervicibus Arca
Stabat; et Isacidæ dùm tuto limite pergunt,
Miranturque moras undarum injectaque fræna,
Illa minatur aquis, pendentesque aëre fluctus
Sustinet, et tantam molem imperiosa coercet.
Et jam fatales lætæ Palæstinis agros
Defessi, et dudùm fugientia regna tenebant.
Ecce repentinâ formidine corda Tyrannûm
Concutit Omnipotens, et cœco verbere terret.
Protinùs arrectas bacchatur fama per urbes,
Ingentes venisse viros, expertaque mille
Pectora prodigiis, quibus æquora jussa patescunt,
Fluminaque astrictos didicerunt sistere cursus.
Latè ingens equitat terror: fugere coloni;
Urbibus arma sonant, et propugnacula surgunt;
Et pavidæ ac frustrà complexæ altaria matres
Imbelles divos ac numina surda fatigant.
At Jericho ingenti miscetur cuncta tumultu.
Fœta armis, et tuta loco, partuque virorum
Illa ferox, celsum caput attollebat, et urbes
Vicinas regina gravi ditione premebat.
Et jam fulmineis rutilans in mœnibus horret
Ferri acies; juvenum passim urbs examine fervet
Arma avidis rapientûm animis atque arma frementûm;
Et summis circumpendet seges ærea muris.
Ast ubi prospectant venientem è mœnibus hostem
Et subitò aspiciunt glomerari pulvere cœlum;
Jam non militibus, jam non qui fideret armis
Ullus erat; neque enim campo tentare patenti
Prælia fert animus: nunc fortia pectora torpent;
Nunc pavidi clauso portarum robore mussant,
Et dubiam muris credunt fossisque salutem.
Haud secus objicibus ruptis ubi spumeus amnis
Incubuit, vastoque urbem circumsonat æstu;
It mare proruptum, camposque immane per omnes

Sternit iter; clausis portarum molibus arcet
Incola diluviem, mœstusque è mœnibus altis
Avulsam segetem, atque undas prospectat ovantes;
Pro se quisque viri tutâ conduntur in arce.
Hos ubi sublimi defensos aggere vidit
Josua, nec pugnæ trepidas committere turmas,
Obsidii non ille moras, non longa laborum
Tædia, nec vires humanæ cogitat artis,
Mortalive manu, aut lento quatit ariete muros;
Sed vocat auxilio cœlum, rursùsque Tonantis
Prodigiis parat ecce novis evertere portas.
Jam sex continuos hostilia mœnia circum
Decurrêre dies, totumque ex ordine longo
Circuitum Isacidæ rutilis obiere sub armis.
Ipsa quoque incessit, media inter millia, dirum
Exitium Arca ferens; consensuque aspera rauco
Cornua præcipitem muris cecinere ruinam.
Cætera turba silet, tacitosque perambulat orbes.
Nam jubet Omnipotens; nec tanto ex agmine quisquam
Sacra audet vetitâ rupisse silentia voce;
Hostilisque impunè volant convicia linguæ.
Verùm ubi septima lux terris induxerat ortus,
Et circa murum æratas hinc indè cohortes
Explicuêre viri: « Clamorem tollite, dixit
» Josua, et horrisonos emittat buccina cantus. »
Vix ea, quùm subitis pulsus clangoribus æther
Mugiit; attonitamque urbem ferit undique clamor.
Concussæ turres; trepidoque repentè tumultu
Mœnia procubuêre. Gravi labefacta ruinâ
Apparet Jericho infelix, nudataque muris
Miratur nullo molimine munimenta
Circum strata solo. Summis ut montibus olim
Sole lacessitus nivium collabitur agger.
Urbe triumphatâ per vastas Arca ruinas
Ingreditur victrix; et fulgens luce coruscâ,
Terribili, trepidos, ceu fulmine, territat hostes.

TRES PUERI IN FORNACE.

Jusserat extructâ fornacem ardescere sylvâ
Assirius. Jam cœruleas surgebat ad auras
Ignis ovans, æstuque furens crepitabat anhelo.
« Ite, ait, Hebræi audaces ; jamjam hauriat ultrix
» Flamma nefas, ausi nostros qui spernere honores,
» Et fraudare pio Regum sacra Numina cultu. »
Dixerat. Impavidos juvenes, fera turba, ministri
Corripiunt ; gravibus jam corpora vincta catenis
Attollunt, avidisque focis immittere gaudent.
Ecce autem amplexu venientes ignis amico
Excipit, et refugit sacros innoxius artus,
Auratoque, sinum pandens, circumstetit arcu.
Obstupuit scelerata cohors ; rapidumque bitumen,
Stupamque, et piceos properant infundere fluctus,
Hortanturque pigros studiis certantibus ignes.
Ilicet exsuperans, majores concipit iras
Flamma rogi, et latè meditans incendia, prædæ
Immemor, astantes haurit, trepidosque sequaci
Diluvio involvens, laxis vaga fertur habenis.
Intereà mediis incedens ignibus, effert
Sidereos vultus summo demissus Olympo
Aliger : ipse manu flammarum dimovet ausus,
Otiaque aspirans ardenti in fornice, rores
Irrigat ambrosios, et opacæ frigora noctis.
Non tenues violat vestes, non lactea colla,
Non longos afflat populatrix flamma capillos ;
At circum teretes errans sine fraude lacertos
Liberat, et molli depascit vincula tactu.

ISAIAS DE MESSIA.

Ex anglico Popi carmine.

Virgo concipiet ; prolem dabit inscia Virgo
Conjugii ; dives Jessæâ ex arbore germen
Emicat : optatum, nimbi, diffundite rorem
Divinosque imbres tacito demittite lapsu.

Nascere, dive puer; primas Natura corollas
Deproperat, Verisque novos tibi miscet odores.
Aspice; florum animas tibi prodiga gestit amico
Fundere terra sinu; redivivas æmula frondes
Explicat, et gemmas, pia munera, parturit arbor.
Aspice; surgit ovans immenso ad sidera nisu
Et motat Libanus nutantes culmine cedros;
Ambrosiæ nubem spargit Carmelus in auras.
Nascere, dive puer: Deus, en Deus ipse propinquat,
Vocales sylvæ, vocalia saxa loquuntur:
Ecce Deus, resonant arguto murmure ripæ.
Decubuit molli clivo polus: obvia, tellus,
Pande sinum, montes, subsidite; surgite, valles;
Curvate, ô celsæ cedri, capita ardua; rupes,
Rectum sternite iter; siccos date, flumina, calles.
Ecce Deus; parere Deo jam prompta jubenti
Stat Natura silens: totus mirabitur orbis:
Ille oculis parat obductam depellere nubem,
Pupillisque novum cæcis inducere solem.
Auris inaudito gaudebit pervia cantu;
Muti lingua dabit modulos; ducis immemor ibit
Claudus, et exultans salientem imitabitur agnum.
Sæviet incassùm mors turpibus arcta catenis;
Et gemet æterno Rex Orci vulnere victus.
Dilectas ut pastor oves, sua gaudia, curat,
Innocuos haustus et gramina læta requirit,
Non fervente die non serâ nocte quiescit.
Usque vigil; fessas collo levat, admovet escam
Ipse manu, horridulos fovet ipse amplexibus agnos:
Sic tenerâ genus omne hominum pietate fovebit
Pacis amans, ævique Deus melioris origo.
Non lacrymosa feræ surgent in prælia gentes;
Non seges horrescet viduatis ærea campis;
Non rabiem rauco accendet tuba dira tumultu;
Hasta dabit falcem, lethique oblita bipennis
Cædere tellurem meliori vulnere discet.
Fragrantes violas, nemorum per inhospita, pastor
Graminis et subiti teneros decerpet honores;
Stabit: et arentes inter stupefactus arenas

Ignoti captabit hians nova munera rivi.
Exesas rupes, nuper spelæa ferarum,
Vestit canna recens et filia veris arundo.
Cingit arenosas, loca dudùm horrentia valles
Pinus ovans, buxusque omnes edocta figuras;
Dumus ubi squalebat iners, sobolesque veneni,
Ridet palma virens, et odoro cortice myrtus.
It comes agna lupo; sertis obnoxia subdunt
Colla tigres pueris ludentibus; anguis euntem
Lambit adulator; leo jam conviva juvenci
Ruminat; et tutis pax aurea regnat in arvis.
Horribilem cristam et squalentia terga draconis
Gestiet arridens deprendere rusticus infans,
Et triplici linguæ, stimuloque alludet inermi,
Demulcensque manu, squamæ mirabitur aurum.
Pacem urbes, pacem arva choro plaudente sonabunt;
Simplicitas, et cana fides, virtusque redibit,
Omnis et undanti manabit copia cornu.

FILIUM VIDUÆ NAIM

A MORTE SUSCITAT JESUS.

CAUSA ingens lacrymarum, et funere raptus acerbo
Extremos inter gemitus ad triste sepulchrum
Ecce ferebatur juvenis; gelidumque cadaver
Ibant mœrentes avidâ componere terrâ.
Orba viro conjux, nunc vulnere victa recenti,
Infelix mater, Nati miserabile funus
Ponè sequebatur, spesque heu! mœrebat ademptas,
Et fletu exangues vultus implebat amaro.
Hanc sævo ardentem luctu, justoque dolore
Unica deflentem, jam non sua pignora, Christus
Vidit, et ingemuit; magnumque misertus amorem
Astitit exanimæ genitrici, ac voce benignâ
Compellans, « tantos, ô Mater, comprime fletus. »
Vix ea dicta, petit juvenem, dextramque jacenti
Imposuit. Cecidit gemitus simul omnis; et ausu
Corda micant arrecta novo: positoque feretro

Suspensi in Christo stupuere, astantque silentes.
Tantus in ore viri radiat Deus! ille potenti
Voce vocans, « surge, ô juvenis, te te alloquor, inquit. »
Dixerat. Umbrarum latebræ intremuere profundæ;
Effractasque fores, et jam remeabile regnum
Palluit in subitâ deprensus luce tyrannus.
Mors quoque divinæ non eluctabile vocis
Imperium agnovit, refugitque in Tartara, prædæ
Immemor. Ignavo concretus frigore sanguis
Præclusum molitur iter; jam læta revisit
Fibras vita suas; oblitique otia nervi
Rursùs in antiquos discunt mollescere flexus.
Tùm lethi afflatu suffusus, tempora pallor
Deserit, et totos situs illætabilis artus.
Subsiluit trepidus juvenis. Jam lintea membris
Explicat hinc atque hinc, ac tandem emergit ad auras
Æthereas inhians, oculisque errantibus haurit
Heu! lucem desuetam, et anhelo pectore longùm
Suspirans, tristes Erebi reminiscitur umbras.

HECTORIS ET ANDROMACHES

COLLOQUIUM.

Ex Iliadis, Lib. VI.

FERVIDUS et toto spirans in pectore Martem
Hector ut ad Scææ pervenit limina portæ,
Andromache conjux trepido ruit obvia cursu.
Una comes sequitur, niveis cui fusus in ulnis
Amplexu recubat molli satus Hectore magno
Astyanax, roseo sublucens ora decore.
Tum Pater in caram defigens lumina prolem
Arridet tacitus, natu et blanditur amico.
Sed dilecta viro propiùs simul astitit uxor;
Ora rigat lacrymis, dextramque prehendit inhærens,
Hectoraque infelix, singultibus Hectora crebris
Compellans, tales trahit imo pectore voces:
« Quò tua te, conjux, tristi rapit omine virtus?

» Quò periture ruis? Nati neque respicis annos
» Insontes! jam nulla tuæ miseratio tangit
» Andromaches, quæ te crudeli morte peremptum
» Flebit, et hìc viduos, si vixerit, exiget annos!
» Cernis ut infestis unum te in prælia telis
» Deposcant Danai? Tibi messis inhorruit uni
» Ferrea. Sed me terra sinu priùs hauriat imo,
» Quàm sine te invisos producam perdita soles.
» Nec mihi jam pater est : patrem interfecit Achilles,
» Pernicies Regum; neque adest dulcissima mater :
» Occubuit mater telis confossa Dianæ.
» Septem qui fuerant, concordi funere fratres
» Una dies, manus una tulit : septem unus Achilles
» Alterum in alterius mactavit sanguine fratres.
» Tu mihi jam frater, mihi tu materque, paterque,
» Tu conjux; tantos noli cumulare dolores,
» Hector, et infandæ tot nomina prodere morti.
» Ne genitor natum, uxorem ne desere conjux. »
Dixit, et ingemuit, cui talia reddidit heros :
« Ergone me, conjux, turpi formidine bellum
» Deseruisse jubes? Fugientemque Hectora Troes,
» Hectora conspicient fugientem è mœnibus altis
» Pulchræ Dardanides? Docuit non talia Mavors,
» Non jubet hic animus; sed me per stragis acervos,
» Pêr medias volitare acies, ac fortibus urget
» Et patris et nostras factis extendere laudes.
» En erit illa dies, nec me timor anxius angit,
» En erit ut Priamus, Priamique exercitus omnis
» Occidat, et vastâ procumbat Troja ruinâ.
» Sed neque me tantùm Patriæ Priamique parentis,
» Aut Hecubæ extremo morientis fine senectæ,
» Aut fratrum miseret, denso quos funere passim
» Demetet hostis atrox et fortia pectora rumpet;
» Quantùm, cara, tuî miseret! nam ferreus ibit
» Crinibus eripiens lacrymantem et multa gementem
» Miles, et uxori producet munus Achivæ.
» Tum verò infelix mediis irrisa Mycenis
» Ad Dominæ arbitrium servilia stamina duces

» Dardanis, et jussas aut Messydis aut Hyperiæ (1)
» Argivâ portabis aquas incurva sub urnâ.
» Hìc aliquis mœsto perfusam lumina fletu
» Conspiciens, dicet : quondàm hæc fuit Hectoris uxor,
» Quo non Dardanidas inter præstantior acri
» Bella ciere manu, tristesque accendere pugnas.
» Dicet; et Hectoreo tibi nomine cura resurget
» Sævior, et talem flebis captiva maritum
» Qui te, qui poterat melioribus addere fatis,
» Unus et opprobrium capiti depellere caro.
» Sed priùs in cineres cadat Hector, et ossa sepulchro
» Terra premat, quàm te ludibria sæva ferentem
» Conspiciam, gemitusque tuus mihi vulneret aures. »
Vix ea fatus erat; quùm magno incensus amore
Expansis genitor petit Astyanacta lacertis.
Exclamat puer, et facie stupefactus ahenâ
Palluit, ac tutas refugit contractus in ulnas
Nutricis, totosque impressit ad ubera vultus.
Nam pater horribili totus collucet in ære :
Ærea stat cassis, eristâque hirsutus equinâ
Æreus ardet apex, summoque in vertice nutat.
Risit blanda parens; vultuque arrisit amico
Ut pavidum vidit genitor; galeamque minacem
Exuit, et viridi radiantem in cespite ponit.
At postquam amplexu patrium satiavit amorem,
Membra manu molli librat, mulcetque tenellas
Terque quaterque genas; tum carum ad sidera supplex
Tollit onus : « Superi, tuque, ô sanctissime Divûm,
» Jupiter, exclamat, nostro quoque robora Nato
» Addite, et Hectoreos afflate in pectore sensus.
» Parva manus bellis adolescat, et æmula nostri
» Spargere perniciem, Martisque movere tumultus
» Audeat, Iliacasque regat non degener urbes.
» Hunc aliquis sævâ redeuntem cæde, cruentis
» Indutum spoliis, et opertum pulvere cernens,
» Clamet : io, forti quàm fortior ille parente est!
» Audiat, et tacito lætetur pectore mater. »

(1) Fontium in Græciâ.

Sic fatus, puerum caræ inter brachia matris
Deponit. Genitrix accepit amabile pignus
Ridens; et dubio sublucet lacryma risu.
Vidit, et ingentem conjux miseratus amorem
Demulcetque manu, fletusque abstergit amaros:
« Pone modum lacrymis, et tantos comprime luctus,
» O conjux; me nulla dies demittet ad umbras
» Contra fata Deûm; sed si me fata vocarint,
» Nulla manus poterit venienti obsistere letho.
» Sors sua quemque manet; nec sævi spicula Ditis
» Vel timor eludet, vel vincet ahenea virtus.
» Tu thalamis te redde tuis, tantosque dolores
» Falle manu; tenui deducere stamina fuso
» Cura sit, et famulis operum partire laborem.
» Arma relinque viris, tractet manus Hectoris arma. »
Has dederat voces; galeamque è cespite tollit
Cristâ terribilem. Notos petit illa Penates,
Mœrentesque oculos iterùmque iterùmque reflectens
Respicit, et viso suspirat in Hectore conjux.
At postquam antiquas homicidæ venit ad ædes
Hectoris, in mediâ famularum mœsta coronâ
Constitit, et cunctis incendit pectora luctu.
Erumpunt gemitus, resonant ululatibus ædes.
Nam neque crudeli sperant à morte reductum
Hectora, nec patriæ visurum limina sedis.

MORS POLIXENÆ.

Jam tumulum juxtà, sævæ ad spectacula pompæ,
Constiterant densæ Graiorum utrimque phalanges.
Tum Pyrrhus patriâ damnatam voce puellam
Corripit, et munus statuit fatale sepulchro.
Hìc pateram ingentem spumanti implevit iaccho
Arduus, et tumulo liquidos infudit honores;
Et simùl hæc: « Patrii, quibus hæc libamina mitto,
» Salvete, ô magno metuendi nomine Manes;
» Nostras Elisiis è saltibus audiat, ingens
» Audiat umbra preces, excîtaque sedibus Orci
» Hauriat optatos casto de pectore rores.

» Tuque adsis, Genitor, fessas da solvere naves,
» Da facilem reditum, et lacrymosi funere belli
» Expertes liceat patriâ requiescere terrâ. »
Dixit, et assensu Danaum fremuere cohortes;
Vaginâque simul fulgentem diripit ensem,
Et lectis juvenum dextras inferre puellæ
Imperat. Illa manus et candida brachia tendens:
« O Danaï, Patriæ clades, Priameidos arcis
» Exitium, palmas saltem prohibete cruentas,
» Parcite virgineum manibus contingere corpus.
» En ego lethiferæ supponam colla securi.
» Si moriar Regina, mori juvat; impia non me
» Funera Dardanidem terrent, sed vincula terrent,
» Ne mea ad ingentes Proavos descendat imago
» Degener, et stygias dicar captiva sub umbras. »
Obstupuit Pyrrhus, juvenesque extrema parantes
Submovet ipse manu, tristesque auferre catenas
Imperat. Excedunt jussi tumulumque relinquunt.
Illa ubi spectantes inter jam sola catervas
Constitit, ex humeris croceos divellit amictus;
Tum teneros artus, et eburnea pectora nudat,
Certa mori, lethique minas obtutibus haurit
Impavidis; nec fulgentem muliebriter ensem
Palluit, aut ullo madefecit lumina fletu.
Sed qualis Pario de marmore fulget in aris
Egregii labor artificis, sic regia virgo
Attollit niveos immoto pectore vultus.
Quin etiam gladium cunctantem hortatur, et ultrò
Increpat his Pyrrhum: « Cessas haurire paratum
» Ense latus? Seu tu meditaris vulnera collo,
» Eia age, prona patet ferroque obnoxia cervix. »
Ingemuit magno labefactus corda dolore
Æacides, fato sed tandem urgente, morantem
Attolit dextram illacrymans, animæque meatum
Invito miser heu! ferro secat. Emicat altè
Stridens, purpureoque exundat flumine sanguis.
Defluit ad terram infelix; vitâque superstes
Spirat adhuc fugiente pudor; namque ipsa decoros

Heu moriens errante manu componit amictus;
Et jacet in summo miserabilis aggere truncus.

ŒDIPI QUERELÆ AD SENES,

POSTQUAM OCULOS SIBI EFFODISSET.

Ex Sophocle.

Desine, turba senum fidissima, nostras
Accusare manus: stygias demissus ad umbras
Te ne, pater, te ne, ô genitrix, attollere contrà
Auderem hos oculos? Animam ejecisse nocentem
Pœna fuit levior, sceleri nec idonea nostro.
At sobolem tacitis crescentem molliter annis
Cernere, nam tenero crescebat flore, Parenti
Dulce fuit; fuit ah! sobolem spectare Parenti
Triste nefas: putet heu patrias jam cernere turres,
Iratas turres infestaque templa Deorum.
His ego me templis, solio generatus in alto,
Ipse ego me patriis ejeci turribus, illo
Illo quippè die, quandò Patris inscius ultor
Edixi ut præceps ageretur finibus exul
Quisquis sacrilego Regem violaverat ense
Impius, atque ipsis caput execrabile Divis.
Scilicet auderem patriæ necis autor et index
Luminibus rectis ora aspectare meorum!
Quin etiam auditum si possem avellere, sectis
Auribus auditum semel avellisse juvaret,
Ne dolor aspectu exclusus jam vulneret aures;
Nam sensu caruisse mala inter atrocia suave est.
O nemus: ô nostrî cunabula prima, Cytheron,
Cur puero hospitium dederas? Dare membra decebat
Dilanianda feris; ortâ vix luce, tenebris
Reddere; flagitiis fœcundum perdere corpus.
O Polybe, ô turres, ô dulcia tecta Corinthi,
Regiaque ô falsi quondàm mihi dicta parentis,
Quantam heu! fovistis pulchrâ sub imagine pestem!

Quàm turpem trahimus turpi de sanguine vitam!
O trivium infelix! et iniquo tramite fauces!
O triste arbustum! O vallis mihi conscia, nostrâ
Conscelerata manu, patrioque imbuta cruore!
An meministis adhuc ut diro funere vestras
Polluerim sedes, fatisque huc raptus iniquis
Complerim opprobriis Cadmœas turpibus arces?
O thalami! tristes thalami! quot monstra tulistis?
Nomina quot tetro miscetis fœdere: eosdem
Natos atque patres, confuso sanguine fratres,
Matresque uxoresque simùl, nexuque nefando
Omnigenos scelerum, gemino de corpore, fœtus!
Verùm heu quæ fecisse pudet, dixisse pudendum est.
Vos ô si quis amor per numina sancta Deorum,
Occultate nefas, occidite, mergite ponto,
Impurum scelus ex oculis depellite vestris.
Ite; quis infandum timor est attingere corpus?
Ite; nec ulla manus lædent contagia; tantam
Heu mihi fas uni molem perferre malorum.

Œdipus à filiis expulsus et exul, Polinicem filium, qui ipse ab Etheocle fratre ejectus venerat eumque orabat ut Thebas secum reverteretur, sic alloquitur. È Sophocle.

At nisi, Palladiam sceptro venerabilis arcem
Qui regit, ad nostras Theseus te mitteret aures,
O caput invisum, nostræ exitiumque senectæ,
Non ego te patrii aspectûs dignarer honore.
Nunc age, quas fundo jam non pater, accipe voces,
Augurium infelix, æternaque vulnera mentis.
Tu, scelerum soboles, eadem dùm sceptra gerebas,
Quæ nunc frater habet manibus divulsa superbis,
Fecisti ut genitor, patriis è sedibus exul,
Urbis inops, fugeret squalentibus obsita pannis
Membra trahens; et nunc fato perculsus eodem
Ah! sero luges patris infortunia fletu.
Nec lugenda tamen, forti sed mente ferenda
Quæ patior, sceleris vestri non immemor unquam.

Tu caput hoc tantis fædasti sordibus; ipse,
Ipse ejecisti. Per te fugitivus egentem
Expecto pendens alieno in limine victum.
Quod nisi quæ genitorem alerent, genuisse puellas
Contigerat, per te jam dudùm occumberet umbris
Œdipus: hæ miserum servant; alimenta jacenti
Blanda ferunt, operamque audent præbere virilem.
At vos, ô mendax alieno è sanguine proles!
Jam, scelerate, tuis cervicibus imminet ultrix
Ira Deûm, quanquam succinctus milite denso
Bella moves. Neque enim veteres exscindere Thebas
Te tua fata sinunt; patriæ sed limine in ipso
Procumbes moriens, et eodem in sanguine frater.
Has ego jam cecinique preces, furiasque vocavi;
Nunc iterùmque voco stygiis è sedibus adsint.
Discite jam vultus quid sit violare paternos;
Discite jam cæco non illusisse parenti.
At non hæc Natæ genitori dona rependunt.
Ergo sedis inops, solioque excussus avito
Ecce jaces; incumbit enim tibi Pœna, Tonantem
Diva sedens juxtà, telisque sequacibus instat,
Ah pereas, proles jam non mea, stirpe recisus
Ah pereas; voveo caput execrabile diris
Omnibus. Hæc nostræ tecum refer omina vocis:
Vincere ne liceat Thebas Argósve reverti;
Sed consanguineâ confossus, perfide, dextrâ
Ipse cadas; victor cadat uno funere frater.
Hæc precor, his dictis advertat luridus aures
Tartarus, atque avidos jam nunc tibi pandat hiatus;
Audiat Eumenidum numen; Mars audiat ultor,
Afflans funereos fraterna in corda furores.
I nunc, Thebanas armis, i, concute portas;
Talibus auspiciis fidentem attolle bipennem,
Argivosque duces hortare in prælia, narrans
Œdipus impuræ soboli quæ dona relinquat.

Electræ gemitus urnam tenentis, in quâ fratris Orestis cineres inclusos putat.
Ex Sophocle.

O mihi præ cunctis carissima pignora, tristes
Relliquiæ! quantùm, ô frater, mutatus ab illo es,
Quem patriâ quondam subductum emisimus aulâ!
Nunc brevis exiguum cinerem tenet urna. Nitentem
Flore novo quondàm: dulci te provida furto
Extuleram; priùs ô utinam me fata tulissent,
Quàm puer his manibus curâ subreptus inani
Externas fugeres, jam non meus, exul in oras!
Impia vis tenerum letho mersisset acerbo,
At cineres inter requiesceret umbra paternos.
Nunc Patriâ procul heu! thalamis excussus avitis
Occidis infelix! tibi nec germana supremam
Astitit ore legens animam, non frigida membra
Lavit aquis tristive toro defleta locavit,
Componens manibus miserabile corpus amicis.
Inter at ignatos consumptus paupere busto,
Excipis amplexus tandem pars quantula nostros.
Heu labor! heu vigiles blanda inter gaudia curæ,
Queis puerum teneris acclinem molliter ulnis
Fovit noster amor. Neque enim in te tanta voluptas,
O germane, fuit genitrici quanta sorori,
Nec te servorum coluit sed cura Sororis.
Semper germanam puerili voce vocabas,
Et nunc una dies cuncta hæc solatia tecum
Abstulit; hæc rapiens, rapido ceu turbine, fugit
Una dies. Genitor crudelibus occubat umbris;
Nulla ego sum; tuque ipse jaces, germane; Tyrannûm
Pectora risus habet; materni nominis exsors
Gaudet mater ovans, cujus scelera impia quondam,
Patris amans, ulturus eras. Nam sæpè sororem
Lactabas furtìm promissis dulcibus ægram.
Invidêre mihi spes tantas fata dolosa,
Quæ gelidum cinerem optato pro corpore reddunt,
Vanamque elusis refovere amplexibus urnam.

O dolor! æterno species dignissima luctu!
Atra dies, eheu! fatis exorta sinistris,
Quæ te, nostram animam, nostram, ô carissime, vitam,
Extorrem patriis properavit ducere tectis!
Perdita namque duos eadem quoque perdidit hora.
Pande sinum, pande hospitium: me me hauriat urna.
Miscear ipse tuo cineri cinis; ire sub umbras,
Ire juvat fratris comitem; fortuna duobus
Una fuit, dùm tu spirabas lumina vitæ,
Nunc quoque fraternos pudor est dimittere Manes;
Parcit cura sequax Manes vexare sepultos.

Antigones querelæ, dùm Creontis jussu, ob sepultum fratrem Polinicem viva in sepulchrum demitteretur. Ex Sophocle.

O specus infelix! æterni carceris umbræ!
Hos ne mihi thalamos, mendax fortuna, parabas?
Hæc tamen antra placent; defletos ire meorum
Me juvat ad Manes, denso quos agmine raptos
Lurida letheâ Proserpina detinet undâ.
Nunc quoque crudeli descendo miserrima fato
Ante diem, postrema comes. Tot Manibus hospes
Non ingrata veni: venienti occurret amico
Amplexu genitor; tu me tua colla premente
Gaudebis, mater; tu me, germane, receptâ.
His ego vos palmis, hæc tantùm ad munera vivax,
Ipsa tuli, et mœstâ componens corpora terrâ,
Infudi lacrymas, infudi vina sepultis.
Et nunc quòd tenui donavi munere funus,
O germane, tuum, pietati hæc reddita merces!
Quod scelus est fratri miseros heu! solvere honores?
Non ego, si genitrix inhumatam occumbere prolem,
Nou si nupta virum doleam, prolemve virumve
Civibus invitis optato inferre sepulchro
Ausa forem: cur fratris honor tot vincit amores?
Scilicet extincto manet alter conjuge conjux,
Amissam prolem solabitur altera proles;
Sed geminos ex quo retinent invisa parentes.

Tartara non alius poterat mihi crescere frater.
Parva dedisse tamen fratri munuscula arenæ
Exitiale nefas et dirâ morte luendum est.
Ergo me thalami exsortem, pulchrisque hymenæis
Præreptam, assiduo crescentem ad maxima cultu
Ecce Creon tristes Erebi detrudit ad umbras.
Non mihi qui comploret adest; excussa superbis
Sedibus ad Manes demittor viva sepultos.
Quid feci, infelix? Vestras quo crimine, Divi,
Commerui pœnas? Sed quid crudelia testor
Numina, quisve hominum fletu comploret amico,
Quandoquidem pietas sceleri datur: illa pianda
Sanguine, si scelus est. O Numina, parcite Regi
Innocuo; mihi pœna placet; nec deprecor iras.
Sin infanda Creon jubet improbus ipse; Creonti
Reddite quæ ferimus, nec deteriora precamur.

REMUS ET ROMULUS

A LUPA NUTRITI.

Flebat, et infelix sobolem complexa tenellam
Silvia materno miscebat gaudia luctu.
At sævum immani versans sub corde furorem
Vanaque consilia et fraudem indignatus inanem
Amulius, miseram dictis objurgat amaris:
« Ergo meos, demens, sperasti fallere visus,
» Et Vestæ et nostros ausa es temerare Penates?
» O famuli! properate domûs extinguere nostræ
» Dedecus; indignam prolem Tibris hauriat ultor;
» Vindicibus tam turpe nefas Tibris hauriat undis. »
Dixerat. Imperio parent, cunasque recentes
Corripiunt, medioque immittunt amne ministri,
Spes rerum ingentes, magnæ incunabula Romæ.
Excepit melior fluvius, mollique natantes
Portat aquâ cunas, fluctuque alludit amico.
Jamque colit Dominos, Dominis famulatur, aquarum
Obsequio, et leni pueros innoxius alveo
Devehit ad ripas, ac terræ reddere gaudet,

Quorum posteritas totum Regina per orbem
Terris et vasto leges daret undiquè ponto.
Illi dùm teneris implent vagitibus auras,
En lupa vicini summo de vertice montis
Præcipitat, prædamque petit jejuna vocantem.
At subito aspectu mulcetur bellua : terret
Majestas parvo residet quæ plurima vultu;
Cedit amor prædæ: fatales sponte veretur
Infantes plenosque Deo; jam sedula blandum
Matris ad officium trepidat, procumbere cunis
Gaudet, et amplexu frigentia membra fovere.
Submittit placidè mammas, avidisque labellis
Admovet indulgens; simùl et cervice reflexâ
Demulcet linguâ alternos, et corpora fingit.
Illi nutricis colludunt ubera circùm,
Et patulis manibus mammas amplexus uterque
Lactea dona bibit pendens et pectori inhæret.

SABINARUM RAPTUS.

Vicinis Romam confluxerat undique pagis
Turba virûm matrumque ingens, puerique senesque;
Hùc quoque ludorum læta ad spectacula, ludis
Nam gaudet muliebre genus, venêre puellæ.
Consedêre omnes, viridisque sedilia cespes
Præbuit, et circùm spatioso in littore campus.
Nec mora, prosiluere simùl, spatiumque citatis
Corripiunt in equis juvenes, atque ipse sedentûm
Ora notant, celerique obeunt procul omnia visu.
Dùm certat populus studiis, dùmque omnis in uno
Hæserat obtutu consessus, tollitur ingens
Ad cœlum clamor, trepidoque repentè tumultu
Ex inopinato consurgitur; inscia pallet
Turba metu, subitusque quatit præcordia terror.
Undique Romulidæ exiliunt, cupidasque puellis
Injiciunt sine lege manus, ut sæva luporum
Agmina præcipites agitant per prata capellas.
Haud secùs ardentes instant, retrahuntque, trahuntque,
Obviaque in toto rapiunt connubia campo.

Has timor unus habet, neque mens tamen omnibus una.
Hæc manet, illa fugit, stupet hæc, vocat illa parentem.
Cuncta fugâ, cursu, lamentis, pulvere latè
Miscentur; trepido fervent examine valles.

HORATIORUM ET CURIATIORUM PUGNA.

Nobile certamen visurus ab æthere Titan
Extulerat vultus nitidos, Albanaque fatis
Æmula Romanis concurrere fata parabant.
Et jam tergemini, Patriæ spes maxima, fratres
Armantur: circùm studio certante sodales
Arma ferunt, validisque ardent aptare lacertis:
Loricam hic humeris accommodat, ille minaces
Dat capiti cristas, avidos quoque sanguinis enses
Explorans, magni Imperii spem tangere gaudet.
Intereà murmur circumsonat: « Ite, feroces,
» Ite, viri; sedet in manibus benè credita vestris,
» Nostra salus; hæc arma lares, hæc arma parentes
» Prospectant; Patria aspirans ingentibus ausis,
» Nunc oculis dextras, fatis modò fata sequetur. »
Talibus exarsit dictis generosa juventus.
Protinùs ingenti media inter millia gressu
Sublimes animis, sublimes fortibus armis
Processêre. Sedent acies hinc indè pericli
Exsortes; verùm Imperii non molliter angit
Lubrica sors, manibusque trium suspensa virorum.
Ergo defixi tacitis obtutibus hærent,
Arrectisque inhiant animis, trepidantiaque haurit
Corda pavor; dubio pallet spes anxia vultu.
Signa canunt; subit ossa tremor. Mora nulla, reductis
Hinc atque hinc terni juvenes, magni agminis instar,
Incurrunt hastis: cujusque in pectore credas
Ingentem Patriam et totos spirare maniplos,
Tantâ mole ruunt. Postquàm certamine primo
Increpuêre arma, et gladiorum flammeus ardor
Emicuit, stupuêre acies, gelidusque per omnes

Horror iit; dùmque ancipiti victoria nutu
Fluctuat, astantûm torpet vox frigida, torpet
Spiritus; incertosque ictus et mobile ferrum
Densa corona virûm visuque animoque sequaci
Prospicit, et varios imitatur corpore motus.
Jamque moræ furit impatiens, jam vulnera miscet
Terribilis Mavors, Romanaque tela cruore
Imbuit Albano: Fluit atro vulnere sanguis.
At non fluxa cadit virtus: ruit impete facto
In gladios Albana cohors, mortemque morantem
Increpitans, totis invadit viribus hostes;
Deque tuis duo, Roma, jacent: sonuêre cadentûm
Arma solo, et gemuit cumulato fùnere tellus.
Albanis jam non dubias spes tota cohortes
Occupat exultans, Romanaque corda relinquit;
Cura manet tamen, et morsu dèpascit amaro
Exanimes. Restas etenim tu solus, Horati,
Tertia tu restas Albanis victima Divis.
Nam quid agat miser inclusus victricibus armis?
Unica tres hastas quo robore vinceret hasta?
Vinceret ille tamen, si singula tela resistant,
Acer, et adversùm tria vulnera vulneris expers.
Ergo metum simulans, ut pugnam dividat, ultrò
Aufugit. Imparibus fugienti passibus instant
Pro se quisque viri, neque enim vis omnibus una est,
Et varius sequitur vario pro vulnere cursus.
Acrior unus adest; porrectâque imminet hastâ
Proximus, hærenti similis similisque tenenti.
Transfodit hunc rapido conversus Horatius ictu.
Dùmque furit cœlum clamoribus, atque duorum
Increpitat gens tota moras, fratrique levamen
Ferre jubet, cæso jam victor Horatius hoste
Emicat, et tepido petit altera prælia ferro.
Hìc jam Romulidis spes improvisa refulget,
Attoluntque animos, plausu sonat arduus æther.
Successu ruit ille ferox fremituque secundo.
Dùm vix genua trahens, avidos extendere cursus
Tertius et dextræ properat conjungere dextram,
Descendit stygias, fratri comes, alter ad umbras.

Et jam cæde calens æquârat prælia Mavors;
Unus utrimque super, sed non super ardet utrimque
Spes eadem, non vivit idem sub pectore robur.
Exilit alter ovans, geminâque ex cæde rubentem
Attollens gladium, dat, nullo saucius ictu,
Indelibatas certamina in ultima vires.
Alter vulnere tardus, anhelis passibus æger,
Jam victus miser, et fraterno in sanguine lapsans,
Porrecto jugulo victori traditur hosti.
Ille autem exultans: « Fraternis Manibus, inquit,
» Hæc dedit hasta duos, supremum, ô Roma, cruorem
» Combibe; sacra tibi cadit hostia. » Dixit, et arma
Ægrè attollenti et vix frigida membra trahenti
Arduus insurgens ferventem desuper ensem
Infigit, multâque immersum morte recepit.
Corruit infelix; et eâdem strata ruinâ
Alba jacet, jam belligeræ non æmula Romæ.

HORATIUS Cocles solus Tuscorum exercitum in aditu pontis ab accessu prohibet.

« Quò fugitis? Quò vos timor inconsultus inertes
» Abripit, ô cives? Fugientibus imminet hostis
» Terga premens, et Janiculi decurrit ab arce.
» Jam Tuscas acies clademque effundet in urbem
» Pontis iter; jam cinget ovans Capitolia flammis
» Tarquinius; ferro diffringite, scindite pontem
» Ignibus, atque viam venienti abrumpite regno;
» Intereà solus tot contra tela resistam.
» Tu propera mihi, Roma, tuos adjungere Divos;
» Hoc tibi pro vallo proque aggere corpus habebis. »
Dixit; et oppositos gressum convertit in hostes
Arduus, et primâ pontis consistit in orâ.
Ast ubi terga inter pugnæ cedentia solum
Ora obvertentem, et stricto mucrone micantem,
Arcentemque unâ manuum tot millia dextrâ
Conspexêre, pavent; stupor arma parata retardat:
Unius innumeros audacia comprimit ausus.
Ille truces oculorum orbes huc versat et illuc

Terribilis, proceresque minax irridet Etruscos :
« Non pudet, ô miseri, Dominis parere superbis?
» Heu turpi gens nata jugo! Si vestra remordet
» Pectora nullus honor, si vobis aurea sordet
» Libertas, nostrumque juvat servilibus armis
» Oppugnare decus, nostroque incumbere collo;
» Vos servire decet, nolunt Capitolia Regem;
» Et quâ libertas, pereat quoque Roma ruinâ ».
Talibus anguntur stimulis; cunctantiaque urit
Corda pudor; sese tacitis obtutibus omnes
Increpitant; dubitans dubitantem quisque sodalem
Urget, ut urgetur, facinusque hortatur in audax.
Erumpunt tandem, et depromunt tela pharetris
Mille manus; unumque infestâ grandine corpus
Invadunt : auræ strident : it ferreus imber
Et ruit. Ille autem sese in sua colligit arma,
Et toto latè venientem ex æthere nubem
Impiger excipiens, clipeum huc obvertit et illuc,
Æratoque gravem circumfert tegmine sylvam.
Nec minùs ingenti totum, magni agminis instar,
Obtinet incessu pontem; jam sæviùs iræ
Ardescunt Tuscorum animis, jàmque agmina nutant,
Addensantque aciem, et consertis viribus unum,
Unum omnes nisu immenso detrudere certant.
Ecce autem fragor auditur, subitoque pavore
Continuit turmas; pontis compago tremebat
Vulneribus crebris, et multâ evicta virûm vi
Solvitur extremùmque gemit; sonituque ruit pons
Et refugit; vastoque abrumpitur intervallo
Romuleum littus. Resonat clamoribus æther.
Tum victor Cocles, jam subsidente ruinâ :
« Tibri, tuus miles, tibi creditur; accipe, testor,
» Corpus et arma, Pater, placidoque amplectere fluctu. »
Dixerat, et saltu medium se immisit in amnem.
Sternit aquas fluvius; frustrà circùmque supràque
Tela sonant; Tibris contra tot tela potenti
Sic meritum tegit ipse manu, mollique natantem
Flumine portat ovans, et pondere lætus amico
Incolumem ad patrias placido vehit agmine ripas.

Coriolanus à suis in exilium pulsus cum Volscorum exercitu Romam obsidet.

Antiquis Volscorum odiis, proprioque dolore
Armatus pariter, violenti turbinis instar
Venerat, exitiumque ingens tibi, Roma, ferebat
Marcius, et Volsco nutabant ariete muri.
Pallor habet cives; torpent in prælia dextræ;
Jam suus ex animis Mars excidit; ingruit ultor
Exul, agens molem irarum; stant turribus altis
Romulidæ mœsti; flammasque impunè vagantes
Arva per, horrentesque vident pro messibus hastas.
Ut si fortè lupus quem raptum ex ubere matris
Imprudens aluit media inter ovilia pastor;
Ut crevêre ungues, sævit, rictuque cruento
Aufugit in sylvas, viciniorumque luporum
Collectam rabiem nota ad præsepia ducit.
Caulas dira cohors circumfremit; atque ululatu
Horrifico pavidi latitant sub matribus agni.
Haud aliter veteres Volscorum Marcius iras
Agglomerat; trepidâ mussat formidine plebes.
Ergò inter gemitus et vota sequentia, lecti
Supplice verbenâ proceres ad castra feruntur:
Irrident Volsci miseros: stetit aure superbâ
Marcius indignans, aversatusque repellit
Obtutu torvo et verbis, jam Volscus, amaris.
Olli deflentes Patriæ miserabile funus
Sollicitos repetunt infectâ pace Penates.
Quid facias, Roma infelix? Jubet ire Senatus
Ipsos Pontifices, si Relligione ferocem
Expugnare animum, pestemque avertere possint:
« Ite, Sacerdotes: minitantem incendia civem
» Flectite, qui magnos didicistis flectere Divos ».
Protinùs augustis velati insignibus omnes
Ordine procedunt longo. Tegit infula crines;
Fulget apex; sacrâ cinguntur tempora vittâ,
Defluit et tardo verrit vestigia tractu
Carbasus; incedunt taciti; componit euntes
Plurima majestas: in toto Jupiter ore est.

Castra petunt. Volsci stupuêre, hominesne Deosne
Incerti, ut videre, silent. Hominesve, Deosve
Rejicit, et Patriæ jam numina respuit exul.
Tum verò pavor ingeminat; defendere muris
Corpora, corporibus muros spes omnibus una est.
Pœnitet irarum : quàm nolit Roma, trophæis
Expertam toties, armasse in funera dextram !
Templa gemunt; matrumque effusis crinibus agmen
Verrit humum, fletuque aras aspergit amaro.
Ecce autem è templis, seu mens est illa Deorum,
Seu sua mens fit cuique Deus, consurgitur : una
Romulidum reliquas, gemitu quassante, jacentes
Excitat, et subiti dux agminis emicat ardens,
Seque tuis infert, generosa Veturia, tectis.
Exulis hæc genitrix, Patriæ peperisse salutem
Læta priùs, nunc mœsta graves aluisse ruinas,
Ah! diros Nati successus flebat, amatamque
Execrata manum lucemque perosa sedebat.
Assidet ora madens lacrymis nurus; illa maritum
Odit amans; dubios coquit ægro corde dolores.
O Patria ! ô conjux ! tacitos divulsa volutat
Heu caritura domo, cariturave conjuge luctus;
Et modò suspirans cœlum aspicit, et modò prolem,
Infaustam prolem, quæ parvula ludit in ulnis
Inscia fatorum, et tenero miserabilis ævo.
Has ubi mœsta cohors circumstetit, incipit una :
« O Marcî genitrix ! ô conjux ! Curia vestris
» Non jubet aut Consul miseras succedere tectis ;
» Audiit orantes, cœloque misertus ab alto
» Impulit huc Deus ipse ; preces huc vertere nostras
» Admonet ipse Deus ; magnæ vos Numina Romæ.
» Quòd si vos libeat nostris concedere votis,
» Urbi parta salus. Nec vestros vincet honores
» Fama Sabinarum, quæ dirâ cæde furentes
» Pacavêre viros infestaque corda parentum.
» Nunc agite, et nostræ comites vos addite turbæ,
» Si liceat verbis avertere mollibus hostem.
» Sentiat, infensis dùm Marcius intonat armis,
» Clade gravi oppressam, tanto in discrimine Romam

» Injustas nescire vices, nulloque dolore
» Exarsisse in vos, hosti carissima sævo
» Pignora, at incolumes, vel dùm perit ipsa, remitti;
» Sentiat, et Patriam agnoscat jam mollior hostis. »
Dixerat, assensuque agmen muliebre fremebat.
Tunc sic ægra parens fletu perfusa profatur :
« Et nos communi jactat fortuna periclo,
» O miseræ cives! propiùsque supervenit angor.
» Occidit heu! Marcî virtus! heu! gloria nobis
» Occidit! Hostili septus custode tenetur
» Volscorum mediis dux et captivus in armis.
» Ergone tam tenui rerum in discrimine pendes,
» O Patria! his ut tota humeris innixa recumbas!
» Te pius uxori, te prætulit ille parenti
» Hactenùs; infandâ nunc dùm furit impius irâ,
» Num dabit uxori, num te dabit ille parenti?
» Nec tamen auxilium, fuerit quodcumque, negamus.
» Ducite, si quid opis, si qua est fiducia nostrî.
» Quòd si non liceat precibus depellere cladem,
» At precibus mediis animam effudisse licebit. »
Sic ait, et luctuque gravis tardâque senectâ,
Attollit sese, et gressus molitur aniles.
Adjuvat, et tacito fletu comitatur euntem
Multa gemens nurus atque oculos demissa decoros.
Matris in amplexu dulcis lugendaque proles
Accubat, heu! vivo proles orbata parente.
Obsessis insueta phalanx è mœnibus exit :
Quamque viri nequeunt urbem defendere telis,
Hanc audent precibus matres lacrymisque tueri.
It rumor castris Romanâ ex urbe cohortem
Erupisse novam, et Marcî perfertur ad aures,
Grassari imbelles armata per agmina vultus,
Fœmineoque virûm tentari pectora fletu.
Fletu fœmineo sed Marcî corda moveri
Quî possint? Quem non Legatis addita movit
Publica majestas, non relligiosa Deorum
Numina, Pontificum toto spirantia vultu,
Nunc magis implacidas avertit ferreus aures?
« Fallimur? Uxor adest? Et adest, non fallimur, uxor,

» Et genitrix, Marci, sparsis per tempora canis:
» Ut gemit! ut tacitos loquitur frons mœsta dolores! »
Dixerat hæc unus procerum; subitusque cucurrit
Ima per ossa pudor; stetit acri vulnere fixus;
Erumpunt lacrymæ; solio turbatus et amens
Desilit, et manibus passis et corpore toto
Matris in amplexus præceps ruit. Illa ruenti
Objiciens palmas, vultumque irata retorquens,
« Siste, ait; hostiles horrent mea colla lacertos.
» Ecquis ades; primùm hoc edissere; Natus an hostis?
» Captivam ne tuæ cingunt, matremve phalanges?
» Scilicet huc ævi traxit me dira senectus,
» Bis miserum ut gemino te vulnere, Nate, viderem!
» Exul quùm Patriam fugeres, hostisque redires.
» Quæ te progenuit, quæ te ubere terra benigno
» Nutriit, hanc ausus ferro violare nefando
» Impius! intranti fines Patriamque videnti
» Non cecidit rabies? Civis non exuit hostem?
» Non palmis ultrò fluxêre minacibus arma?
» Quùm tibi Roma procùl venienti apparuit, ingensque
» Astitit antè oculos Patriæ surgentis imago?
» Non animo succurrit: habent hæc mœnia matrem,
» Natosque, uxoremque, domum, Manesque paternos.
» Ergo, Roma, parens si non fœcunda fuissem,
» Tuta fores; si non mihi filius isset in auras,
» Libera mors oculos placidâ mihi clauderet umbrâ.
» Sed quæcumque manet nostros injuria canos,
» Me brevis hora premet, te longa infamia: vivet
» Fama sequax, cunctos mors auferet una dolores;
» Jam nos, te melior, solvet matura senectus.
» Hos curare tuum est, quos, ni tela impia ponis,
» Longi servitii gemitus vel acerba manet mors.»
Dixerat hæc genitrix. Matres simul undique mœsto
Assensu gemuêre; omnes Patriamque, suosque,
Seque dolent; lacrymis et vultu supplice, Marcî,
Teque Deosque vocant, et flebilibus lamentis
Castraque concordi incendunt hostilia luctu.
Imbelli gemitu mansuescere ferrea corda
Marcius, et molles invito obrepere sensus

Miratur; cecidêre animi: jam lumina flêtu
Victa natant; manibus labuntur tela cruentis.
Agnoscit Natum genitrix, nec blanda recusat
Oscula; complexura virum ruis obvia, conjux:
Excipit optantem te jam tuus; ipsa Parenti
Admovit refugam et pavefactam casside ahenâ
Progeniem. Geminos risu tenet ille paterno,
Per galeam cupido delibans ore; diùque
E collo genitoris onus prædulce pependit.
At postquàm amplexu longum satiavit amorem
Et pater, et conjux, et filius; aspicit urbem:
« Jam vive, ô dixit! te totam, perfida debes,
» Roma, meis. » Simùl hæc, simùl indignata moveri
Castra jubet, Volscosque avidos abducit. At illi
Rauca fremunt; dùmque avulsi vix mœnia linquunt,
Ereptam rabido respectant murmure prædam.

SAGUNTUS DIREPTA.

Hesperiæ lumen, fidei sanctissima custos,
Bello victa gravi, magnâ jam parte jacebat
Et nudata viris et turribus alta Saguntus.
At murorum inter, Pæno quassante, ruinas
Stant animi: dirum Annibalem vultusque minaces
Impavidi, et multo nondùm satiata cruore,
Tela vident: intrat miseros vecordia cives;
Libera mors juvat; et quoniam non aura salutis
Ulla super, Patriæ supremo in funere malunt
Ipsi divitias, ipsi profundere vitam,
Quàm dare Getulo prædam et ludibria Marti.
Ergo Pyram ingentem mediis in mœnibus urbis
Ædificant; jam cæruleas exsurgit in auras
Ignis ovans: latè vulcano tecta relucent.
Huc passìm portantur opes; has invidet hosti
Ira virûm, properatque suis absumere flammis.
Bacchatur nova pernicies; pretiosa supellex
Eruitur; gazas patefactis atria portis
Cuncta vomunt; urbem sua vis populatur: in hostem
Civis abit; prædo sibi quisque: manuque Penates

Nudari (miserum !) sese mirantur herili.
Confusas morsu depascitur ignis avaro
Divitias : flammis data præda voracibus ardet
Argenti moles et concolor ignibus aurum ;
Et quidquid longo fortuna aggesserat ævo.
Nec vos, ô Divi, vestros tenuistis honores !
Numina sancta Deum spoliantur ; sacra profanis,
Publica privatis cumulo involvuntur eodem.
Nec satis : in medios cæco ruit impete præceps
Ingens turba rogos : infesti militis iras
Turpiaque eludit meliori vincula fato,
Frustraturque minas, nihil in quo sæviat hostis
Securos præter cineres et busta relinquens.
Panditur intereà labentibus ariete muris
Urbis iter : subito irrumpit glomerata tumultu
Ferrea Pœnorum nubes ; circumvolat horror ;
Mucronum micat atra seges, mixtoque ululatu
Bellantûm loca cuncta sonant, loca cuncta cadentûm.
Ilicet ad cædem discurritur ; impius ardet
Ensis, et imbelles maternó in funere Natos
Demetit, invalidosque senes ; nec inermibus annis
Parcitur ; ecce inter morituræ conjugis ulnas
Occidit ah ! gemino confossus vulnere conjux.
Corpora corporibus densantur ; sanguis inundat
Plurimus ; ingenti Mars perfurit improbus urbe.
Non impunè cadunt ; terreri nescia, victis
Dat rabies animos ; alii per tela, per enses,
Cæci præcipitant ; ruit in nova vulnera virtus
Saucia, nec vivax uno furor occubat ictu.
Erumpentem animam largo cum sanguine, sanguis
Ultimus ulcisci properat : manus arma fatigat
Semianimis, victusque et eodem funere victor
Expirant inter cumulatæ stragis acervos.
Inclusi tectis alii circumdare flammas,
Cumque suis gaudent communi occumbere busto.

SOMNIUM ANNIBALIS.

ROMULIDUM terror, serâ sub nocte jacebat
Annibal, et placido recreabat membra sopore.
Ecce autem juvenis mortali corpore major
Astitit in somnis, subitâque in luce refulsit;
Arreptâque manu : « superis è sedibus, inquit,
» Adsumus, ô ductor Lybiæ! me Rector Olympi
» Divitis Italiæ misit tibi pandere calles;
» Tu sequere, immotosque cave deflectere vultus. »
Dixit, et ingreditur. Perculsus imagine fictâ
Obstupuit Pœnus. Gressum tamen audet euntis
Ponè sequi, inque ducem tacitos defigere visus.
Intereà horribilis fragor intonat : omnia vasto
Miscentur strepitu, penitùsque immurmurat horror
Sylvarum, et pavidas ferit ingens sibilus aures.
Respicit : immensâ per lucos squameus anguis
Mole trahebatur; concussaque verbere caudæ
Convellit nemora, ac radicibus eruit imis.
Perpetuâ dat strage viam; populataque latè
Agmina sylvarum, quercusque, ornique gementes
Procubuêre : micant elisi è nubibus ignes,
Fulminaque erumpunt, et cœli templa videntur
Ardua concordi jam jam lapsura ruinâ.
Constitit attonitus monstris, causasque requirit
Annibal; extemplò juvenis flammata retorquens
Lumina : « Perge sequi, inclamat, procùl absit inerti
» Corde timor; tibi vastandam fatalibus armis
» Italiam tanto portendunt omine Divi.
» Nunc age, sterne viam ferro, nec plura requiras,
» Non fas terrigenis scrutari fata Deorum. »

TEMPESTAS APENNINI.

IBAT, et indomitas jam tandem evicerat Alpes,
Jam niviumque moras et ineluctabile pondus
Saxorum, ingenti perruperat Annibal ausu.
Ecce iterùm latos humeros opponit eunti

Ingens aërium tollens caput Apenninus.
Constitit; et varium turbata per ora cucurrit
Murmur, ut opposito rapidus fremit objice torrens:
« Quem belli finem expectent metamque laborum?
» An contra immensos moveant nova prælia montes?
» An juvet immergi modò vallibus, et modò nubes
» Affectare altas, nivibusque hærere sepultos?
Sensit, et in primum dux provolat impiger agmen.
» O Socii, exclamat, vobis hic ultimus agger
» Divitis Italiæ superest: hæc mœnia Romæ
» Scandere cessatis?» Simùl hæc, simùl arduus altum
Tentat iter, sequitur Lybiæ quem torva juventus.
Vix ducis exemplo fidens processerat agmen,
Ecce tibi nubes horrendis fœta procellis
Volvitur: immenso funduntur ab æthere nimbi.
Sibilus intereà boreas sævitque, sonatque,
Et refugos afflat violento turbine vultus.
Haud mora, consistunt. Pars irrita conjicit arma;
Pars gravis, armorumque gemens sub pondere iniquo
Procubuêre; alios insano vortice ventus
Versat circumagens et crebro turbine torquet:
Intercludit hiems animæ spiracula, et auras
Vitales haurire vetat; tùm corpora terrâ
Abjiciunt fessi rerum; concussa tumultu
Porta tonat cœli; ruptis è nubibus ignes
Elisi micuêre; aures stupefactaque captus
Lumina, sollicitâ torpet formidine miles.
Undique nox atris circumvolat horrida pennis.

TRAJANI

ERGA PAUPEREM MULIEREM BENIGNITAS.

Arduus, et rutilis acer Trajanus in armis
Ibat bella ferens. Hinc circùm plurimus atque hinc
Pulsat humum sonipes; suprà caput aurea quassant
Signa sinus: aquilæ claro panduntur in auro.
Ecce, virûm fremitus hinnitusque inter equorum,

Irruit (obstrupuêre omnes spatiumque dedere)
Mater inexpletùm lacrymans sparsoque capillo;
Irruit infelix, frenisque obversa prehensis:
« Siste gradum, exclamat, lacrymasque absterge tuorum,
» Et miseræ ereptum genitrici ulciscere Natum. »
Hîc Princeps patrio commotus pectore: « Mater,
» Te tua jura manent, dixit, compesce querelas,
» Dùm redeam. » Sed præcipiti compulsa dolore,
» Quid si non redeas? At erit quicumque sequetur
» Ultor, ait. Tunc illa: Tibi quid proderit, inquit,
» Laus aliena, tuam si tu delator omittis? »
Constitit, et tacito perstrictus verbere: « Certum est
» Jam nostras implere vices; en adsumus, hìc nunc
» Stare decet, dùm nos, pietas ô sancta, moraris! »

POETÆ DE RHETORICA

SCRIPTURI INVOCATIO.

Unde hominum resides moveat facundia sensus;
Quo de fonte cadat, largo ceu flumine, fandi
Copia; quo varias deceat disponere partes
Ordine; quos rebus verborum aptare colores,
Nunc canere aggredior. Vos ô, quas Attica tellus
Quas et Roma parens pulchro tulit æmula partu,
Ingentes animæ, fontes mihi pandite vestros,
Pandite, et occultos artis reserate recessus.
Tuque, ô Pelæï terror cladesque Philippi,
Grandi voce tonans, sublimior omnibus unus
Inter Cecropidas, decus immortale Minervæ,
Plurima cui cingunt auratos fulgura crines,
(Anne aliquem te dicam hominum dicamne Deorum)
Adde pares animos, cœptisque audacibus adsis.
Nos tua jam imbelli versamus fulmina dextrâ.
Et tu Romuleæ gentis sol unice, Tulli,
Nobile rostrorum sidus, quo sospite vixit,
Quo cecidit moriente, tuis obnoxia fatis,
Fandi Diva potens; si te Catilina minantem

Fugit hians; si flagitiis Antonius ardens
Horruit invictæ telum immedicabile linguæ;
Si maduit lacrymis invitus Cæsar, et iræ
Immemor è manibus tremulis edicta remisit,
Voce tuâ victus; notas tibi tradimus artes.
Doctor ades, calamumque tuo mihi nectare et auro
Imbue; da sensus aptos; da cerea motu
Corda ciere suo; quique erupere volenti
Ex oculis, doceas lacrymarum educere rivos.

FINIS.

INDEX CARMINUM.

LIBER PRIMUS.

HEROICA SACRA.

LIBER SECUNDUS.

HEROICA PROFANA.

EX HISTORIA ROMANA.

LIBER TERTIUS.

MISCELLANEA.

LIBER QUARTUS.

ELEGIACA ET LYRICA.

LIBER QUINTUS.

FABULÆ.

SELECTÆ QUÆDAM È FABULIS

C. LE BEAU.

LIBER SEXTUS.

LIBER SEPTIMUS.

VARIA È VARIIS.

È COMMIRIO.

È RUÆO.

È RAPINO.

E VANIERIO.

È CAROLO LE BEAU.

FINIS INDICIS.

